Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Eler

Collegium Practicum Generale seu Ethicum : XIII. Disputationes, partim publice, partim privatim habitas, complectens

Rostochi[i]: Pedanus, 1627

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0001
DFG

Èb_1055.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0002
DFG

COLLEGIUM

PRACTICUM GENERALE seu ETHICUM

XIII. Disputationes, partim publicè, partim privatim habitas, complectens,

Consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ

In

Incluta ad VARNUM Academia

Institutum & Adornatum

à

M. JOHANNE ELERO

Rigâ-Livono.

Ex Bibliotheca Academiæ Rostochiensis

Omnium perfectionem obtinere, & in nullo penitus errare, divinitatis magis, quàm mortalitatis est.

Ut purpura, color pulcherrimus, irritare tauros solet: sic obtrectatores felix aliorum successus in transversum agit, ut in ipsos affectum effundant parùm benignum.

ROSTOCHI

Typis exscripsit Joachimus Pedanus,

Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XXVII.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0005

DFG

VIRIS

Magnificis, Nobilißimis, Ampliſſimis, Conſultißimis & Prudentißimis

Dnn. BURGRABIO Regio, CONſulibus, Prætoribus, Senatoribus & Secretariis INCLUTÆ RIGENSIUM REIPUBL.

Patronis ac Mæcenatibus meis æternùm devenerandis.

Salutem & auream Pacem à ſalutis & pacis autore precor.

STat lex naturæ: *Viri Magn. Nobiliß. Ampliſſ. &c. Mæcenates magni:* Nemo ſui deſertorem agat, *ſed ab interitu, quantum poteſt, ſe vindicet, ad hoc enim medicamina inventa.* Cervus *ubi transverberantis ſagittæ vim perſentiſcit, dictamnum quærit:* Homo, *ſi febrili ardore inteſtina æſtuent, hydrops corpus diſtendat, & artritici dolores dilancinent, ſubitò medicum inclamat, imò ringitur, ſi non ille propinare pharmaca properet. Animam, nobiliſſimam noſtri partem, geminus infeſtat morbus: Intellectum errorum tenebræ obnubilant; Voluntatem* vel *vitiorum tormina diſcruciant,* vel *obſcœnarum voluptatum illecebræ demulcent. Antidota non expetamus? nefas, cum providus naturæ arbiter & hic cuiq; intemperiei medelam exhibeat, nec eodem collyrio mederi velit utriq;.* Intellectui *laboranti Philoſophia Theoretica ſuccurrit, quæ errorum nebulas diſſipat, intellectumq; jubare ſuo irradiat, ut ritè verum à falſo poſſit diſcernere. Hæc & cauſa mihi, cur Pneumaticam in hac Academia conſcribere hactenus voluerim.* Voluntati *medetur Practica Philoſophia, quæ animi vitia* vel *in ipſa herba ſuffocat,* vel, *ubi nonnihil adoleverint, evellit. Hæc & animi affectibus lupatum injicit, eorumq; petulantiam refrenat, ut nec ſuperbè lætentur, cum proſperè cedit, quicquid*

quid optant; nec mereant extremè, cum fugam minatur volubilis fortuna. Scire debet, quid petat ille, qui sagittam vultritè mittere, & tunc moderari manu telum; Sic si honestati litare quis satagit, prænoscat moralem finem oportet, ne â regiâ viâ aberret in diverticulum & ambages inextricabiles. Cuncta hæc Ethica nobis suggerit, dum palmarium omnis doctrinæ & scientiæ exhibet, dum monstrat quomodo civilis beatitudinis portum attingere liceat. Hæc virtutes suas, tãquam Mercuriale moly, offert contra inhonestæ Circes veneficia, ne ipsius illecebris obbrutescamus. Quin & Ethica tam fructuosa, ut se ad alias etiam disciplinas liberalissimè porrigat atq; diffundat. Testis mihi Theologia, dum Paulus Rom. 2. v. 15. ait: Ex lege naturæ præfractos sæpè convincendos esse, unâ testimonium perhibente ipsorum conscientia & cogitationibus sese mutuò accusantibus aut defendentibus. Ast quæ sit lex naturæ, quæ conscientiæ vis, Ethica edocet, dum dictitat, quod, sicut Cruciarij Romano ritu crucem suam ferebant, ipsi ab ea mox ferendi; sic sceleratis conscientiæ crucem Deus imponat, in qua pœnas luant, priusquam corpore luant. Commendat virtutes scriptura, detestatur vitia: Ast quæ horum omnium definitiones, quæ objecta, & proprietates, evidenti penicillo non delineat, sed ex Ethica præsupponit, cujus ope & in decalogi expositione utitur. Ad Jurisprudentiam & Politicam gubernationem descendamus. Leges suas boni Imperatores si conscribunt, ad Practica fundamenta mentis oculos defigunt, dum eo fine illas condunt, ut in societate civili honestè homines vivant. Ast quomodo honestè vivendum, quæ lex in conscientia obliget, Ethica determinat; lex n. quæ rectæ rationi, & naturæ repugnat, non obligat. unde Helpidius maluit præfecturâ urbis carere, quam injustam legem Constantij exequi. Jura & leges multi discunt, ut judicia aliquando obeant, & salutaria consilia suggerant: Laudabiliter sanè, ast quid hæc omnia prosunt? si ex Ethicis animus virtute non munitur & prudentiâ stipatur, si injustus judex numi amore judicium pervertit, & advocatus nequam causæ prævaricatur. Ob hanc utilitatem antiquitas Socratem laudavit, quod Philosophiam ex astris in terram detraheret, cum à nuda contemplatione ad praxin animum sevocaret, ratus parum satisfacere suo nomini Philosophum, si speculationibus nudis ita immoriatur, ut nunquam quid patriæ, quid amicis, quid propriæ denig; beatitudini debeat, recolat. Ob hanc rationẽ & ego, cui insuper Christiani nominis professio recte vivendi legem imponit, Philosophiam Theoreticam mihi tam efflictim depereundam non putavi, ut alteram partem interim

Amm. l. 21.

interim oderim, quin potius sub incudem disputatoriam illam jam revocare volui, cum juxta Scalig. Exc. 308. altercationibus magis proficiamus, quam tacitis meditationibus. Nam sicut aurum purum & excoctum ab adulterino discernitur affrictu lapidis; Sic & verum à falso disputatorio conflictu. Forsan Aristarchus quispiam aurem hîc mihi vellicabit, quod juvenis de justitia, legibus, aliisq; gravioribus materiis disseram, cui tamen Aristoteles propter ætatem prudentiam denegat. Verum cur hoc Aristotelis telum clypeo illo Quintiliani non excipiam? Non id esse existimandum, cujusquisq; sit ætatis, sed quantum in studiis jam effecerit. Non ætate, sed ingenio acquiritur sapientia. Plebis judicio tempus obstat, quæ sapientiam annis & canitie barbæ metitur. Quin & cum Polybio periculum ex alio factum propriæ præfero experientiæ. An Medicus paralysin curare non debet, nisi ejus mala ex se didicerit?

Aristot. 6. Eth. c. 9.

Quintil. l. 2.

Polyb. l. 1.

Vos a. *Viri Magn. Nobiliss. &c. Patroni debenerandi, meæ scriptioni tutores aut Patres ut advocem, causæ est nec bona, nec una.* Prior est dignitas ac virtus vestra, *quæ lucem obscuræ meæ scriptioni conciliet, & prudentiæ suæ umbone à capite meo abertat obtrectatorum insultus, qui curiosâ indagine papulas meas observabunt, & convitiis nimioperè eas arietabunt. Hæc enim perpetua virtutis conditio, ut exposita sit malignitatis scopo. Nam ut vermiculi rosis aliisq; fragrantibus floribus innascuntur; Sic invidiæ labes aliorum scripta circumrodere solet. Malæ causæ signum est alios convitiis lacessere, hinc meæ non abundant aculeatis; à quibus veritatis amore divortium feci, styli modestiam sentient.* Posterior est beneficium vestrum in me, *immunem hactenus*, collatum. *Vestræ beneficentiæ tribuo, quod tot annos ad Musarum aras libârim, imô litârim, dum alumnum me stipendio ornâstis. Hæc gratitudinis pignus à me exposcit, utinam pro meo voto, pro vestris meritis, eximium! Ne a. ingratitudinis nomine malè audiam, hanc meam scriptionem beneficentiæ vestræ depredicatione ornare volui, non ut exile hoc munusculum in soluti causam vobis imputarem, quibus me obligatum fateor nexu, quem profiteri magis, quàm solvere cupio tantillâ præstatione; sed ut ipsâ pignoris tenuitate profitear, quantis nominibus vobis sim obstrictus. Æstimate igitur Viri Magn. &c. hoc munus non à sua dignitate, chartaceum est & levidense, Sed ab offerētis calente animo, qui pondus ipsi forsan addet. Securus pœnè hæc dico de successu, nobi n. beneficam vestram voluntatem, in qua & desinam, si prius rogavero* tum *æternum Numen, ut vos diu in hoc dignitatis fastigio patriæ meæ tutores superesse velit, bellaq; infausta ad Orci tenebras releget;* tum *Vos Viri Magn. &c. ut me prono favore complecti pergatis. Dabam Rostochij in Musæo meo die 20. Decemb. Anno 1627.*

Vv. Mm. & Nn. Aa.

obsevan.

M. JOHANNES ELERUS Rigâ Livonus.

BENE-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0008
DFG

BENEVOLO LECTORI S.

Quot Lectores hariolor, tot fermè censores spero, quandoquidem cuivis suus sensus. Unde hic liber diversas, imò pugnanteis invicem, patietur censuras, cum multi adferant judicium, quod sit jam ante præjudicij atq; adfectus mancupium. Ne te a. B. L. ampullis & sesquipedalibus verbis tædiosè detineam, strictim defungar meo officio, duo dicens, *ET Quid à me hic factum; Et Quid à te velim. De me* cognosce, quod ex Aristotele, Scholasticis, aliisq; doctis, qui præiverunt, ea methodicè selegi, quæ ex usu tuo maximè fore putavi, præsertim cum plurimi libelli Ethici vulgati graviora non attingant. Secutus sum illos autores, sed liberè, nec in verba Magistri jurare volui, cum servum pecus sint imitatores, & prævio oscitante facilè oscitent. Atqui quædam, inquis, ut de Conscientia, Prudentia, aliisq; materiis parcè tradidisti, & tanquam stillicidium de situla: fateor, ast certa de causa, quàm hic reticeo: unde alibi ea affatim & pleno sinu profundere animus est, si Deus expolire & consummare dabit. Nunc *quid à te pariter velim*, audi. *Primum* Philosophi, non Grammatici, oculis mea legas, hoc est, rem non nuda verba ponderes, imitatus bonos canes, qui non pellem extremam leviter stringunt, sed ipsam feram prehendunt & mordent; Sic tu rem quæras, non splendida verba, quæ ab illâ sæpe abducunt. Scholasticos imitari volui, qui severiores colunt Musas, & Mercurium gerunt in pectore, non in lingua. Unde Ciceronis aliorumque decempedâ eos non metiaris, quandoquidem aliter in curiis & rostris agitur, aliter in Acroateriis Philosophorum, qui rationum pondera attendunt, & oderunt cum Poeta plumbea vina in auro. *Secundò*, ubi in unam aut alteram thesin incideris, non illicò omnia damnes aut probes, sed judicium tantisper suspendas, usque dum integram disputationem, imò tractatum evolveris, quia juxta J C T I regulam, incivile est, nisi totâ lege perspectâ, unâ aliquâ particulâ ejus propositâ judicare vel respondere. *Tertiò*, mendas Typographi modestè emendes, ne quod ipse peccavit, ego luam, aut si & me à veritatis tramite alicubi deviantem adverteris, amicè moneas, ingenuè enim monentes non vereor, sed revereor, imò Democriti illud aureum mihi frequens: Νόμῳ, καὶ ἄρχοντι, καὶ σοφωτέρῳ εἴκειν (*Legi, Magistratui, Sapientiori submitti*) unde non probo illos, qui cum Heliodoro ab Episcopatu, quàm opinione, abire malunt. Hisce vale B. L. meoq; labore feliciter & candidè utere.

l. 24. ff. de LL.

CLARISSIMO VIRO

Dn. M. JOHANNI ELERO

Ethica vulganti.

HActenus ELERO ad Physicæ Logicæq; recessus
Phœbo sacratos ducere cura fuit.
Omine res gesta est felici. Dogmata ijsdem
Nunc Morum docto pollice ficta dabit.
Macte tuis donis, felix tere biblia sacra, &
Speratis patriam perge beare bonis.
Illa tibi haud deerit, persolvet præmia Civi,
Quem cernit doctas ire redire vias.

JOHANNES QUISTORPIUS Th. Doct.
Prof. Ecclesiastes & p.t. Rector.

Ad

Dn. M. JOANNEM ELERUM.

ELERE Aonidum decus immortale sororum,
Musarum totus qui pia castra colis;
Atq; juventuti inculcas præcepta sophorum, &
Quæ fugienda doces, quæq; sequenda mones,
Ut queis doctrinæ & virtutum gloria curæ est,
Hisce frui liceat Nectare & Ambrosia.
Macte igitur, longum & concessis utere donis
ELERE Aönidum lausq; decusq; chori.

JOANNES BACMEISTERVS
Phil. & Med. D. Acad. Rostochiensis
Professor & Senior.

Ad

Ad

Virum Clarißimum, Philoſophum exquiſitum & ſolidè eruditum,

Dn. M. JOHANNEM ELERUM

amicum ſuum obſervandum.

TRojani ſcriptor belli, mirandus Homerus,
quantum animi virtus, quantum ſapientia poſsit
docturus, quid turpe ſiet, quid & utile, quid non?
exhibuit mundo præclarum exemplar Vlyſſem.
Exemplis quanto præſtant Præcepta; caducæ
corporeæ moli diævis enthea mentis;
tanto Mœonio major tua gloria vate,
JAN-ELERE, ſophûm princeps laudate virorum.
Tu, quid ſit virtus? quid ſit ſapientia? quid non?
ſubtili perquirere haves indagine mentis,
intimaq; auguſtæ penetralia viſere Divæ,
quæ ſola & poſſit facere & ſervare beatum.
Hæc via, quâ ſcanduntur olympi templa ſerena;
quâ datur haut unquam moriturâ vivere famâ:
Hanc quisquis tecum graſſabitur, ille beati
vertice pulſabit convexa palatia cœli.

PETR: LAUREMBERG
Phil. & Med. D. & Prof.

Inſigni Philoſopho M. JOH. ELERO
votivè acclamat.

MVlti ſi multis credant ſe plurima ſcire,
Credunt: nec tu ſi plurima; pauca ſciunt.

Quale

Quale rogas ELERE meum mihi scire peroptem?
Dicam: quale tuum parturit ingenium.

JOHANNES Flügel
Rigâ-Livonus.

I.

Ad Clariss. Philosopho-Ethicum
M. ELERUM.

PLurima scit qui scit te plurima scire Magister,
Sed nil scit qui te plurima scire negat.

II.

Ad exactissimum librum Ethices
ELERIANÆ.

Autor quod fuerit tuus est laus magna Magistri,
Autoris tanti laus tua quod liber es.

L. M. Q. adposivi

NICOLAUS Hanenfeldt
Livonus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0012
DFG

COLLEGII PRACTICI GENERALIS
seu ETHICI
DISPUTATIO PRIMA PROOEMIALIS
DE

NATURA ET CONSTITUTIONE GENERALI PHILOSOPHIAE PRACTICÆ.

Quam
Auspicio Sacrosanctæ Trinitatis
Et
Consensu Amplissimi Senatus Philosophorum
In
Incluta ad VARNUM Academia
SUB PRÆSIDIO
M. JOHANNIS ELERI
Rigâ-Livoni,
Publicè defendendam suscipiet
JOHANNES RIBESTALIUS
Gustrov. Megapolitanus.
In Acroaterio Majori ad diem 11. Augusti.

Socrates apud Stobæum hortatur discipulos, ut hæc tria in omni vita sibi comparent, vid. in animo prudentiam, in lingua silentium, in vultu verecundiam.

Terentius: Hoc verò est sapere, in aliorum vitam tanquam in speculum intueri, & ex illis exemplum capere tibi quod ex usu siet.

ROSTOCHII
Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ. Anno 1627.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0013
DFG

THESIS I.

DE Philosophia Practica hîc duo breviter notentur. I. Ordinis præcognitio, qua præcognoscitur, quo ordine tractanda & tradenda sit Philosophia Practica, num Synthetico seu Compositivo juxta Piccolomineum in introductione ad 10. gra. civ. Philos. cap. 21. & seqq. & in comite ejusdem Politico: an verò Analytico, juxta Zabarellam l. 1. c. 6. de methodis, & in Apologia de doctrinæ ordine. II. Ipsa Tractatio.

DE PHILOSOPHIA PRACTICA notetur.

II. Ordinis illa Præcognitio controversa inter Zabarel. & Piccol. ut eò accuratius enodetur, prælibetur hîc breviter duplex Ordinis consideratio I. Absoluta, in qua Ordo absolutè in se consideratur quoad (I) Definitionem, juxta quam ordo est Habitus Intellectus instrumentarius, quo cujusq; disciplinæ res ad se invicem ita disponuntur & collocantur, ut quantum fieri potest disciplina illa optime & facillimè cognoscatur & arripiatur. Cujus definitionis enodationem uberiorem ex Logica pete, quippe ad quam tota hæc controversia de ordine potissimùm pertinet. (II) Finem, qui est disciplinæ cognitio & melior & facilior, h. e. ut disciplina aliqua quam optimè & quam facilimè addiscatur. Quia enim ordo est Instrumentarius Habitus Intellectus, idcircò in disciplinis ipse adhibetur hoc fine, ut omnia sint planiora & ab intellectu nostro quam facillimè & optimè percipiantur. Unde licet res disciplinæ alicujus absq; genuino & Logico ordine quandoq; arripiantur, tamen illa cognitio est tumultuaria & confusa, non distincta, quam tamen intendunt disciplinæ. (III) Formam, quæ est processus à facilioribus cognitu & nobis notioribus ad difficiliora & ignotiora. Quæ forma ordinis perpetua est, ita ut ratio ordinis (non ex rerum naturalium serie, i. e. à natura rerum, qua tali, sed potiùs) à melio-

I Ordinis præcognitio, *in qua ordinis cõsideratio. I. Absoluta quoad (I) Definitionem. (II) Finẽ.*

(III) Formam, de qua notetur.

1. Limitatio

re & facilìore materiæ cognitione desumenda sit. *Instituitur autem ille processus ordinis à facilioribus cognitu & nobis notioribus* 1. *Non absolutè*, quando vid. notius ad alterius ignoti cognitionem nihil momenti habet, in tali n. casu servatur ordo nobilitatis; *sed Relativè*, seu sub ea relatione, quâ notius refertur ad notificandum aliud ignotius. Quia enim certam & distinctam rei cognitionem polliceri lectori cupis, certè, quorum unum sine altero cognosci accuratè non potest, illorum id, quod ad alterius cognitionem facit, necessariò præsupponendum & priùs exponendum est. *Potest autem respectivè aliquid notius esse altero dupliciter, ratione* (1.) *Necessitatis*, quando notius *vel* est causa, *vel* necessarium medium ad aliud cognoscendum. Hoc modo à principiis rei inchoandum, (ceu ex Physicis patet) non præcisè prout sunt rei principia, sed prout per principia illa res faciliùs cognoscitur, dum secundum ordinem cognitionis distinctæ principia notiora sũt, ita ut ordinatæ illius positionis & collocationis causa immediata sit non rei natura, sed facilior nostra notitia. Similiter & universalia præmittuntur particularibus, non præcisè ob prioritatem naturæ, sed ob meliorem & distinctam mentis cognitionem, quippe quæ sine universalibus particularia distinctè cognoscere nequit. Unde sine confusione atq; odiosa repetitione particularia explicari nequeunt, nisi generalia semel antè absolvantur. (2) *Utilitatis saltem*, quando notius nihil dictorum præstat, sed saltem utile est ad aliud cognoscendum, ut ejus notitiâ, in mente præsuppositâ, intellectus facilior sit & promptior ad apprehendenda & dijudicanda alia. Hoc modo animalia nobis dicũtur notiora quàm stirpes, quia per animalium cognitionem descendimus ad notitiam plantarum. Similiter & doctrina de visu quoad utilitatem notior est doctrina aliorum sensuum. 2. *Quoad cognitionem nostram (non confusam & imperfectam*, quâ aliàs singularia sunt notiora nobis quàm universalia, *sed) distinctam & perfectam*, ita ut notius nobis illud dicatur, quod nobis, distinctam rerum cognitionem venantibus, facilius est cognitu. Ubi tamen *notes* velim, *distinctam notitiam hìc sumi (non absolutè*, pro eâ, quæ omni-

(1)

NB.

(2)

2.

omnibus numeris absoluta & perfecta est, *sed*) *determinatè*, pro ea, quæ sufficiens est intentioni disciplinæ. vide Zabarell. de Method. lib. *1.* c. 8. *Probatur* verò *hæc ordinis forma*, id est, processus, qui sumptus est nō à rei serie naturali, sed nostra cognitione meliori & faciliori, *duplicitèr. 1. ex fine Ordinis qui est conferre aliquid ad cognitionem, non ad rerum generationem*, cum ordo sit habitus instrumentarius intellectus, non rei. Instrumenta verò discendi ad id excogitata sunt, ut faciliorem reddant disciplinam. Si itaq; in ordine commoditas cognitionis maximè spectanda est, certè à notioribus nobis progrediendum erit ad ignotiora nobis, ita ut in disciplina quadam illud priore loco collocetur, ex quo posterioris & ignotioris notitia dependet. Hinc si Ordo naturæ repugnat cognitionis nostræ facilitati, ordo naturæ deseritur, & instrumentum ordinis inventum est, quod obscuritati lumen & difficultati facilitatem addat. 2. *à testimonio Aristotelis*, qui sæpissimè ordinem naturæ deseruit, ut ordinem doctrinæ & cognitionis observaret. Sic 2. de an. t. 27. tactum vocat sensuum communissimum, & tamen à communi illo non incipit, sed à visu, quippe in quo illa, quæ de sensibus sibi demonstranda proposuerat, clariùs perspiciebantur, & *1.* de hist. anim. c. 6. prius agit de homine quàm de brutis. Plura testimonia pro sententia hac nostra si desideras, lege gratiâ brevitatis ipsum Zabarellam l. 1. de meth. c. 6. & seqq. & Apolog. de ordine doctrinæ l. *1.* c. 3. seq. Clariss. Arnisæum Polit. l. 2. cap. 1. & doctr. Polit. l. *1.* c. 1. (*IV*) *Divisionem seu distributionem, juxta quam Ordo* constituitur *duplex*. 1. *Syntheticus & Componens*, qui in scientiarum dispositione à primis rei principiis ad ultima, seu ipsum compositum, progreditur, quo rerum scientia quam optimè & facilimè tradatur. 2. *Analyticus & Resolvens*, qui in disciplinarum Practicarum & effectivarum, seu artium, dispositione progreditur à notione finis ad cognitionem principiorū, ut quantum fieri potest optimè & facillimè disciplinæ illæ tradantur. *Unde in ordine Analytico tria spectari solent* (1) *Finis*, à quo in ordine Analytico ad ipsa principia progredimur. *Ratio* istius processus petitur ex conditione ultimi finis in di-

2. *Probatio.*

1.

2.

(*IV*) *Distributionem, juxta quā ordo est.*

1. *Syntheticus.*

2. *Analyticus cujus.*

(1) *Finis.*

sciplinis Practicis & effectivis, qui cum sit non cognitio, sed operatio & opus quoddam, à quo mediorum subalternorum ratio pendet, necessitas certè postulat, ut à notione finis exordiaris, quod alioquin tota tractatio vana esset, cum sine finis notione Media seu instrumenta, quorum opera finem attingas, seu producas, doceri nequeant. Certè scire debet quid petat ille, qui sagittam vult mittere, & tunc dirigere & moderari manu telum. Sic de arte ædificandi tradituro primò omnium de fine, i. e. domo cogitandum est, eaque bifariam prægnoscenda, & quid sit, & quod fieri poterit: deinde à fine ad principia, ad parietes, tecta: ab his tandem ad lapides, lateres, ligna, cæmenta, quæ prima, & remotissima illius artis elementa sunt, transeundum est: in quibus ars docens desinit, & operans incipit. Similiter *Ethicus* media Legitima excogitare non potest, nisi cui fini ea adhibere velit, prænoverit, quia finis est q. meta & terminus, ad quem omnia media collineant. Unde perinde est de mediis disputare sine præsuppositio fine, atq; ventis vela dare, ad nullum directa portũ.

(2) *Subjectum.*

(3) *Media*

(2) *Subjectum*, de quo gratiâ brevitatis vide notas Clariss. Arnisæ. in Logicam Crellij pag. mihi 696 (3) *Media seu principia*, quibus ad finem illum pervenitur. Hæc tum demum pro veris habentur, si ad finem illum obtinendum idonea fuerint. Unde in considerationem non veniunt, nisi notio finis præsuppositia fuerit, quippe sine qua principiorum illorum idoneitas cognosci & concipi nequit. Hinc in Politicis notio finis præsupponenda est notioni mediorum, ita ut qui vult Resp. rectè instituere, eum oporteat primum id considerare, in quo vera beatitas civilis consistat. Quamdiu n. ignoratur finis vel terminus, tamdiu nequit inquiri via, quæ ducat ad illum. *II. Respectiva, in qua hi duo ordines*, vid: Syntheticus & Analyticus, *comparatè considerantur quoad mutuam discrepantiam*.

II. Respectiva, quoad mutuã horũ ordinũ discrepantiã, quæ est ratione.

III. Hæc autem mutua discrepantia ex utriusque definitione facilè elucescit, & *triplex constitui potest, vid: ratione.*

1. *Modi ordinandi.*

1. *Modi ordinandi seu transeundi, juxtà quem in ordine* (1.) *Synthetico* à primis principiis transimus ad principiata seu ea, quæ con-

constant existis principiis. Hoc modo Aristoteles Physiologiam disposuit (2.) *Analytico* contrà à fine ad principia operationis. *Dico* notanter ad principia operationis, quia aliàs Finis in ordine Analytico ritè dici potest principium cognitionis, quia *ipsius* notio largitur cognitionem medijs. 2. *Objecti seu Rei ordinandæ* quæ *in ordine* (1.) *Synthetico* est res contemplabilis saltem seu necessaria. Unde ordo synthetic⁹ habitibus saltem contemplativis accommodatur, quia res, quarum scientia quæritur, ignorantur & perfectè cognosci nequeunt absque primis principijs, unde ab ijsdem scientiæ necessariò exordiuntur. (2.) *Analytico* est operabile quid. Unde hic ordo saltem in activis & effectivis habitibus locum habet, quippe quæ non nudam notitiam, sed operationem seu opus tanquam finem respiciunt. 3. *Finis, qui* licet utrobique sit cognitio, tamen diversimodè duobus hisce ordinibus competit, *dum cognitio est finis* (1.) *Ultimus, in ordine synthetico*, quia in habitibus contemplativis cognitio nudè propter se ipsam quæritur & appetitur, ita ut illam adepti quiescamus (2.) *Intermedius saltem in ordine Analytico*, quia in disciplinis operativis cognitionem quærimus, non præcisè propter scipsam, sed ut illam dirigamus ad operationem seu opus, tanquam ulteriorem finem v. g. Sutor discipulum nil docet nisi qua arte quibus medijs consuere poterit calceum quam commodissimè. Sic totius Philosophiæ moralis, ut ait Apul. in pr. lib. de Philos. caput est ut scias, quibus ad beatam vitam pervenias. Quare *Philosophia moralis ordine* (non Synthetico, sed) *Analytico disponenda erit, ceu patet* (1.) *ex ipso Aristotele*, qui *tum* Ethicam, *tum* Politicam hoc tractavit ordine. (2.) *ex informatione, experimentali.* Si enim ipse Piccolomineus discipulum *vel* Epicuri *vel* Chrysippi moraliter & Ethicè informare deberet, certè nunquam illis persuadebit media sua Aristotelica, nisi priùs consenserint in fine, eò quod media ex fine, tanquam ex principio deducantur. Epicuri enim discipulus talia media conquiret, quæ ad voluptatem & vitam tranquillam ducunt; Chrysippi autem discipulus illa assumet media, quæ ad perturbationum vacuitatem conducunt. Ipse autem Piccolomi-

2. *Objecti.*

3. *Finis.*

1.

2.

NB.

(1.)

(2.)

lomineus talia inducet, quæ ad actionem secundū virtutē tendūt. Nunquā itaq; ipse reliquis media sua persuadebit, nisi in fine Aristotelico priùs consenserint. Unde Aristoteles 3. Eth. c. 3. rectè dixit. Consultationem omnem fieri ob finem propositum & 7. Eth. c. 8. finem in artibus esse principium.

Error. 1. Keckermanni.

IV. Ex hisce jam *patet Error triplex. I. Kecker.* qui syst. Log. l. 3. tr. 2. c. 1. & Gymn. Log. l. 2. c. 10. ait: Processus methodi imitetur processum & ordinem naturalem rerum progrediendo à natura pioribus & notioribus ad posteriora. Idem sentit Piccolomeus in int. ad 10. gr. civ. Phil. c: 17. & 18.

Objectio. (1.)

Nec obstat. 1. quod *Ut se res habet in esse, ita etiam se habeat in cognosci*, quia axioma loquitur de rei saltem veritate, ne pro veris falsa assumantur, non autem de rei methodica & ordinata tractatione. Unde rectè axioma ait: Ut se res habet in esse (non dicit in fieri) ita etiam debet cognosci. E. Qualem habet res naturam in esse, talis etiam debet exponi in mente, & explicari in disciplinis, methodo tamen illa, quæ menti est conveniens. Unde in objectione ista committitur ἀμφιβολία φράσεως.

(2.)

2. quod *Ars imitetur naturam*, quia & hoc axioma intelligit naturam *aut* intellectus, & sic concedimus, ordinem, tanquam artem quandam mentis, debere imitari naturam intellectus, quippe quam adjuvare & disponere debet, ut eò facilius res propositas cognoscere possit; *aut* objecti extranei seu rerum externarum, & sic negamus ordinem imitari debere generationem seu productionem rerum externarum, seu quæ extra intellectum dantur, quoniam intellectus natura in ordine respicienda est, quippe cujus instrumentum Logicum est. De hoc axiomate fusiùs agam in tractatu meo axiomatico. *II. Piccolominei*, qui in Comite Politico & introd. ad 10. grad: civ: Phil. c. 21. & 22. synthetico ordine tractandam statuit Philosophiam moralem. *III. Eorum*, qui triplicem statuunt ordinem, vid: Syntheticum, Analyticum & Definitivum, cujus refutationem vide gratiā brevitatis ap: Zabarel de meth: l: 2. c: 4.

2. Piccolominei.
3. Aliorū.

II. Ipsa Tractatio quæ.

V. Ipsa Tractatio Philosophiæ Practicæ constitui potest *duplex. I. Nominalis. II. Realis.*

VI. In

VI. *In Nominali* consideratione *notetur* 1. *Notatio* II. *Æquivocatio.*

VII. *In Notatione* quoad *tum* originem, *tùm* impositionis rationem, *enodatur vox* (1.) *Philosophia*, quæ à Pythagora primitus introducta est testibus Lactantio, Laertio & alijs. Cum enim olim σοφοὶ h. e. sapientes nuncuparentur illi, qui abstrusarum & humanarum rerum disciplinas tractabant, Pythagoræ hic sapientis titulus arrogantior videbatur, quàm qui homini, vix umbram sapientiæ assequenti, competeret. Unde Philosophum, h. e. sapientiæ studiosum, modestè se nominavit, & vocem Philosophiæ substituit, *partim* ad evitandum hunc titulum sapientis, quippe qui soli Deo competeret: *partim* ad retundendam aliorum inanem jactantiam. *Est autem Philosophia vox Græca, & composita* ἀπὸ τοῦ φιλεῖν καὶ σοφίαν, ita ut Philosophia quoad vim nominis & primævam Pythagoræ impositionē significet studium seu amorem sapiētiæ, qui in voluntate est, non in intellectu. Iuxta modernam a. consuetudinem, & loquendi usum, Philosophiæ significatio ab hac primæva ejus significatione deviat, dum pro ipso habitu Philosophico, h. e. ipsa sapientia & disciplinarum seu rerum humanarum peritia supponitur, per suppositionem Metonymicam, quâ adjunctum seu amor supponitur pro ipso objecto, h. e. habitu, circa quem versatur. (1.) *Practica*, *quæ* similiter Græcæ originis est, & *deducitur* à πρᾶξις h. e. *operatione. 1. ratione objecti*, quia circa actiones hominum voluntarias & liberas, tanquam objectum suum, versatur. vide disc: 4. th. 13. *2. ratione finis ultimi*, quia finis ultimus determinatè, in quo Philosophia Practica terminatur, est πρᾶξις seu operatio moralis perfecta, quia juxta Philosophum l. 1. Eth: Nic: c. 3. Philosophia Practica addiscitur, non ut sciatur, sed ut secundum illam agamus. vide etiam disc: 2. th: 20. seq.

VIII. *Ut* autem *termini* πράξεως seu *Philosophiæ Practicæ notitia sit accurata* & distincta, *occasionaliter notetur ejusdem formalis discrepantia à* θεωρία *seu contemplatione*, & ποιήσει *seu Effectione*, quia distincta distinctè sunt concipienda, dùm intelle-

B

I. Nominalis in qua.
(1.) Notatio, quoad enodationem vocis.
1. Philosophia.

NB.

2 Practicæ
1.
2.

Unde hîc notetur πράξεως *formalis discrepantia á reliquis habitibus, quæ enodatur definitione.*

1. *Contemplationis.* *NB.* intellectus noster ab omni confusione abhorret. *Unde* distinctè *notetur descriptio* 1. *θεωρίας seu contemplationis*, quæ est functio quædam intellectus nostri, qua mens nostra res necessarias, earumque affectiones & species contemplando scipsam ad INTRA, ut ita mihi cum scholasticis loqui liceat, perficit. *Quæ definitio resolubilis est in* duplicem *conceptum* (1.)

1. *Latiorem seu Genericum, qui est functio nostri intellectus, dicitur & aliàs γνῶσις seu notitia*, quæ est actus ille, quo intellectus noster, objectivè indeterminatus, primò deducitur è statu indeterminati in statum & conditionem determinati. Dicitur autem juxta Scholasticos intellectus noster objectivè indeterminatus, scil: ratione potentiæ, qua omnia scire & cognoscere desiderat, quia illius potentiæ ratio non fertur ad certum aliquod objectum scientificum, quemadmodum aliàs visus determinatur colore, & luce mediante perspicuo; Auditus sono. Vnde Aristoteles l: 3. de an: c: 4. intellectum nostrum comparat tabulæ rasæ, cui nihil inscriptum est, omnia autem inscribi possunt. vide & dis: 5 th: 6, *Dicitur autem γνῶσις seu notitia illa conceptus latior seu generitus, quia est generale quid, competens tribus illis mentis nostræ functionibus*, vid: *θεωρίαι, πράξει & ποιήσει*. Si enim operatio & effectio ritè regulata esse debet ab intellectu, certè notitia quædam præsupponenda erit; quia nemo in ignota materia operari quicquam ritè potest, *unde Græci accuratè distinguunt inter γνῶσιν & θεωρίαν*, quia hæc se habet ad illam tanquam species ad suum genus. (II.) *Strictiorem seu specificum magis, qui desumitur. 1. ab objecto*, quod est res necessaria h. e. ex natura sua non operabilis, seu quæ ex natura sua & per se actionem seu effectionem humanam respuit, qualis est *tùm* substantia tàm spiritualis quàm corporea, quia mens nostra nil virtutis habet ad illa entia vel producenda vel mutanda; tùm quantitas ratione abstracta à materia, oculisque solummodò mentis conspicua, quæ effectione & actione ideò eximitur, quia nemo circulum virtute informabit, aut in eundem formam artificialem realem inducet. 2. *à fine*, qui in contemplatione est nuda veritas

2. (1.) (2.)

& noti-

& notitia in se terminata, qua mens nostra circa necessaria ita occupata est, ut, cùm ea mutare nequeat, veritatem duntaxat, ejusque causam inquirat, inque ea acquiescat. *Hæc veritatis cognitio* nuda, & *in se terminata, dicitur* in definitione contemplationis secundum Scholasticos *perfectio mentis ad INTRA*, quia ideæ illæ & conceptus à rebus abstracti ita in intellectu manent, ut illum solum perficiant, nec se extendant ad subordinatam facultatem (vid: *tùm* appetitivam, *tùm* locomotivam) quæ in officia intellectus destinata est. v. g. conceptus abstracti Solis, Lunæ & reliquarum stellarum in contemplatione physica in intellectu manet illū perficiendo, ut ipse acquiescat eorum corporum materiam & formam, affectiones & virtutes seu influentias si cognoverit, nec ulteriùs intendat in objectum cognitum introducere *vel* formam artificialem, *vel* honestatem, ut ipsa in illo refulgeat. *In hisce posterioribus duobus conceptibus consistit manifesta discrepantia contemplationis ab Actione & Effectione, quæ est ratione* (1.) *objecti*, quod in contemplatione ex natura sua est non operabile, in reliquis autem operabile ex sua natura. Unde quando in Medicina, Ethica vel Jurisprudentia, quis nudam objectorum illorum speculationem intendit, contemplatio illa non est propriè & per se, quia hujusmodi objecta essentialiter & ex sua naturâ redigi possunt ad operationem; sed per accidens saltem & secundum quid, vid: propter accidentalem intentionem discentis, seu ejus qui contemplationem nudè spectat. (2.) *finis ultimi*, qui in contemplatione est nuda notitia & cognitio, quippe quæ in Philosophia Theoretica per se & primariò intenditur, ut in ea intellectus tanquam in fine ultimo acquiescat; in Actione autem & Effectione est operatio seu opus, h. e. ulterior translatio cognitionis datæ ad operationem seu opus inducendum v. g. Virtutem in Ethicis si cognoscis, nō sufficit hæc notio cognita, sed traditur appetitivæ facultati, ab intellectu regulatæ per certa media ad exequendum, ut scil: honestas in actiones humanas introducatur. Similiter calceum sutor considerat, non ut in notitia ea præcisè acquiescat, sed ut calceum efficiat per instrumenta corporea.

NB. (1.)

(2.)

NB.

NB. *Ex quibus* luculenter *patet, distinctionem habituum in Speculativum, Practicum & Effectivum, dependere formaliter à fine* (qui est *vel* sola veritatis cognitio, ut in speculativis; *vel* cognitio extendenda & dirigenda per subordinatam facultatem, ut in Practicis & Effectivis) *originaliter autem seu radicaliter ab objecto.* Quando enim objectum nullo modo est operabile, tum ad solum contemplandum movet intellectum: quando verò est agibile aut factibile, tunc intellectus se extendit ad subordinatam facultatem, destinatam in officia intellectus, cui imperat id exequi, quod apud intellectum est concluſum v. g. Prudens ideam fortitudinis apud se ubi consideravit, ratio executionem præconceptæ fortitudinis imperat appetitui, & tunc illa cognitio actu ad praxin deducitur. vide Dionys. Carthusianum in 1. sent: q. 2. Prolo. fol 19. col: 2.

2. *Actionis* *II. Πεξεως seu Actionis*, quæ est functio nostri intellectus, qua ob boni considerationem Intellectus & voluntas ad bonum & honestum peragendum quasi extenduntur. *Est autem πξᾶξις seu Actio functio quædam mentalis* (non in intellectu terminata, sed) *regulata & directa ad honestatem, quam exequitur subordinata facultas appetitiva, quippe quæ in officia intellectus est destinata*: vide dis: 3. th: 15, de imperio intellectus. In directione hac ad honestatem distinguitur Actio ab Effectione.

3. *Effectionis.* *III. Ποιήπεως seu Effectionis*, quæ est functio nostri intellectus regulata, & ad aliud extra intellectum extensa, atque per subordinatam facultatem instrumentis corporeis tradita ad exequendum & perficiendum, ceu patet exemplo artis sutoriæ, in qua cognitio nostri intellectus regulata traditur per facultatem locomotivam instrumentis corporeis ad perficiendum calceum vel simile opus. Unde *πόιησις* seu Effectio in formali sua ratione dicit operationem per instrumenta corporea, quippe per quam ab alijs habitibus distinguitur, quia neque contemplamur per instrumenta corporea, neq; per talem operationem virtuosi denominamur. Contradictio simpliciter est Clarisſ: M. Gutkio, Amico meo honorando, dici *πόιησιν* & non simul operari per instrumenta corporea. De hac

hac πόησις & Effectione Deo auxiliante alibi fusus agam.

(H) Æquivocatio.

IX. *De Æquivocatione notetur, quod* πρᾶξις *dupliciter supponi soleat* 1. *Generaliter* pro omni operatione, cui regulam & directionem præscribit intellectus ad operandum. Hoc modo πρᾶξις includit πόησιν, & opponitur soli θεωρίᾳ seu speculationi, In hoc sensu terminum hunc sumsit Aristoteles 1. Eth: c: 1. praxin supponens pro omni operatione, dum ait: omnem praxin dirigi ad finem. 2. *Specialiter, stricte & propriè magis*, quando ex usu scholæ Peripatetitæ accipitur pro ista operatione, quæ ad honestatem destinatur, sive ex qua bonus vel malus aliquis dicitur. Hoc modo πρᾶξις contradistinguitur πόησει seu Effectioni, quippe quæ respicit operationem ad extra, quæ non subordinatur essentialiter honesto. Unde & in sensu posteriori nunc intelligitur.

1.

2.

X. *Realis consideratio duplex sit. I. Absoluta*, qua Philosophia Practica absolutè in se & sua natura consideratur. *II Respectiva*, qua ipsa consideratur in collatione cum alijs.

II. Realis, quæ est.

XI. *Absoluta consideratio triplex* constitui potest. *I. Definitiva II Causativa. III. Distributiva seu divisiva.*

(I) Absoluta in qua.

XII. *Definitiva consideratio*, qua definitivè enodatur quidditas & natura Philosophiæ Practicæ, *duplex aliàs tradi solet I. Respectiva, qua* Philosophia Practica consideratur in respectu ad suum Totum, vid: PHILOSOPHIAM, quæque accuratior censetur, & hæc est: *Philosophia Practica est pars Philosophiæ posterior, facultates animi appetentes, earumque actiones informans, ut honestas in ijs refulgeat, & homines tandem in omni vitæ gradu summo civili bono profacultate fruantur. Hæc* definitio *resolubilis est in conceptum* (1.) *Latiorem, dum dicitur pars Philosophiæ*, quia tanquam pars analogicè integralis refertur ad Philosophiam, tanquam ad suum Totum integrum analogum, constans partibus heterogeneis analogis, vid: Theoreticâ & Practicâ, quæ integram Philosophiam constituunt Partes autem causativæ (h. e. essentiales & integrales) ut tales, seu in respectu ad suum totum, ob incompletam suam naturam definiri solent per terminum partis & men-

(I.) Definitio.

I. Respectiva cujus resolutio in conceptum.

mentionem totius: v. g. pedem definiunt: Pes est pars corporis &c. ita & hic procedendum putant, dicendumq; quod Philosophia Practica sit pars Philosophiæ. Ex quibus simul patet *error eorū, qui Philosophiā Practicā definiunt per Philosophiā tanquā per genus legitimum*, putantq; divisionem Philosophiæ in Theoreticam & Practicam esse generis in suas species. *Cujus effati absurditas patet ex natura* 1. *Generis. Nam omne genus materialiter consideratum, seu ut est totum universale, & nomen & definitionem partibus suis subjectivis seu speciebus communicat.* v. g. animal & nomen & definitionem suam speciebus, vid: homini & bestiæ communicat, ita ut uterq; nominetur animal, & utrique definitio animalis, (vid: esse corpus animatum sentiens) attribuatur, rectè enim definis hominem, quod sit corpus animatum sentiens rationale. Idem judica de Leone, qui est corpus animatum sentiens irrationale rugiens. *At Philosophia neutri parti*, & Theoreticæ & Practicæ, *convenienter communicare potest & nomen & definitionem*, vid: quod sit habitus sapientiâ & prudentiâ constans. *E. & Philosophia illarum partium genus esse nequit.* 2. *Speciei.* Nam *omnis Species plus in se actu continet, quàm genus. Ratio* petitur ex Canone Logico: *Plus est actu in specie, quàm in genere.* v. g. plus est actu in homine, quàm in animali. In animali enim est corpus animatum sentiens, in homine huic accedit rationale. *Atqui partes hæ Philosophiæ*, vid: Theoretica & Practica, *seorsim consideratæ, non plus sed minus continent, quàm ipsa Philosophia*, quippe in qua est constare sapientia & prudentia. In Theoretica autem est saltem constare sapientiâ; in Practica constare prudentiâ. Et hæ partes non possunt esse species Philosophiæ, tanquam generis seu totius universalis (*II.*) *Strictiorem & specificum magis, qui desumitur.* 1. *à specialiori affectione*, vid: posterioritate, qua dicitur pars Philosophiæ posterior, scil: *in respectu & collatione ad Philosophiam Theoreticam, quæ dicitur pars prior ob triplicem rationem, vid:* (1.) *ob ipsam naturam*, qua contemplari prius est quàm agere (2.) *ob subjectum*, quod informatur, quod in Philosophia Theoretica est intellectus,

NB.

1.

2. Strictiorem.

1.

(1)

(2.)

qui

qui prior est appetitu *tùm* intellectivo, *tùm* sensitivo. Ast hic appetitus in Philosophia Practica informatur à virtute morali, vide dis: 5 th: 23. (3.) *ob objectum*, dum Philosophia Practica certo modo objectum suum mutuatur ex Theoretica, vid: affectus, qui absolutè sumti ad Physicam pertinent: ad Philosophiam Practicam autem respectivè referuntur, vid: prout moralitet sunt informandi. 2. *ab objecto*, circa quod Philosophia Practica versatur, ut est facultas appetitiva, ejusque actiones, de quo objecto vide dis: 3 & 4. 3. *a fine*, qui est honestas & εὐζωία seu bona & recta vita, de quo fine fusius vide dis: 2. *II. Absoluta, qua* juxta alios *Philosophia Practica* in se consideratur, quique illam hoc modo definiunt, quod *sit prudentia, quæ per media moralia, seu virtutes, appetitum hominis regit & informat, ut in suis actionibus rectæ rationis præscripto obsequatur ad consequendam felicitatem civilem.*

(3)

2.

3.

2. Absoluta.

in qua potissimũ notetur de Prudentia.

XIII. Cùm autem hujus definitionis enodatio ex subsequentibus disputationibus sufficienter pateat, *duo hic breviter notentur. I. Prædicationis hujus probatio*, qua probatur prudentiam ritè prædicari de Philosophia Practica, sive Philosophiam Practicam esse prudentiam, non alium habitum. *II Specialior consideratio*, qua specialiter enodatur natura Prudentiæ, quia per eam & hic describitur Philosophia Practica, & dis: 5. thes: 18. virtus moralis declaratur, tanquam per omnium virtutum moralium formam adsistentem & dirigentem.

NB. 1 *Probatio prædicationis.*

1.

XIV. Prædicationis illius *probatio desumi potest ex* triplici *loco* 1. *oppositorum*. h. m. *Habitus Philosophiæ Practicæ non est instrumentalis*, quia hic per se non expetitur, unde nec pars Philosophiæ accuratè salutatur. Ast Philosophia Practica continet *tùm* proprias utilitates in se terminatas, *tùm* proprium in se finem, ita ut ad nutum aliarum facultatum sese componere ex natura sua non cogatur. Hinc licet non rarò instrumentum reliquarum facultatum (vid: Theologiæ & Iurisprudentiæ) à quibusdam salutetur, illud tamen saltem per accidens fit, ex intentione accidentali quorundam hominum. *E. est habitus principalis. Si hoc, erit vel Intelligentia, vel Scientia, vel Sapientia, vel Ars, vel Prudentia. Ratio* desumitur ex

ex Canone Logico: *Posito genere* ((vid: habitu principali) *necesse est aliquam poni speciem*, scil: *indeterminatè, & quidem per*
(1) *divisionis evolutionem disjunctivam. Atqui non est Intelligentia*, quia non est habitus, prima necessaria & indemonstrabilia principia formaliter considerans, dum suas conclusiones ex certis principiis deducit, & rerum mutabilium est: *Neq; Scien-*
(2) *tia, ceu patet ex scientiæ* 1. *fine*, qui est nuda rerum cognitio & quidem demonstrativa 2. *objecto*, quod est res necessaria & æterna. Ast neutrum *Philosophiæ Practicæ* competit, quippe cujus 1 *finis est* (non contemplatio, sed) *actio*. dum addiscitur, ut vitam hanc ejus beneficio rectè, & quantum natura duce fieri in ista nostra imbecillitate potest, feliciter transigamus. 2. *Objectum est res* (non necessaria, sed) *mutabilis*, quæ aliter atq; aliter se habere potest. Unde Peripatetici negant in Ethicis & Politicis exemplis dari exactam & exquisitam demon-
(3) strationem. vide Zabarell. in com. in c. 2. l. 1. post: *Neq; Sapi-*
(4) *entia*, quia & hæc considerat rem necessariam, & quæ sub consultationem non cadit: *Neq; Ars*, quia (1) *Ars corporis usibus præcipuè destinatur*; Philosophia Practica autem animi perfectionem spectat (2) *actiones, quæ ab hac Philosophiæ parte proficiscuntur, propter seipsas expetuntur*, benè enm & rectè vivere per se pulchrum & appetibile est; Ast illa, quæ ars præstat, plerunq; non tàm propter se quàm propter aliud appetuntur, exemplo vestis, quæ sarcitur, ut corpus eâ tegatur *E erit Pru-*
2. *dentia. II Objecti*, quod & in Philosophia Practica & in Prudentia est actio humana moraliter informanda, vide Arist. 6.
3. Eth. c. 8. *III Finis*, qui utrobiq; est bonum honestum.
Error. XV. Ex hisce patet *error* I. *Eorum*, qui Philosophiam
1. Practicam per Scientiam definiunt, *est enim monstrum in Philo-*
sophia Aristotelica Scientia Practica, vide Rev. & Excel. Dn. D.
2. Martini præc. meum hon. dis. 1. de S. Bono q. 7. *II. Eorum*,
qui Artem illam esse statuunt, vide Clar. M. Gurk, dis. 1 thes. 5.
3. *III. Gilkenij, qui in pecul.* tract. comment. Eth. præf. contra Zabarellam describit Jurisprudentiam per Scientiam. Nam in jure ut & Practica Philosophia non omnia scientificè demonstrantur, ut in scientiis aliàs, sed potiùs prudenter ibi omnia agenda dispiciuntur.

16. *Spe-*

XVI. Specialis Consideratio Prudentiæ *duplex esse potest I. Absoluta*, qua ipsa in se breviter consideratur, *quoad* 1. *Definitionem.* 2. *Objectum.* 3. *Causam.* 4. *Divisionem.* *II. Respectiva*.

2. Specialis Consideratio, quæ

XVII. Definitio ex Aristotele l: 6. eth: Nicom: c: 5. *hæc* depromitur: *Prudentia est habitus cũ recta ratione activus, circa ea, quæ homini bona sunt vel mala. Hæc* definitio *resolvi potest in conceptum. I. Latiorem* seu Genericum, *qui est Habitus, & quidem.* 1. *Acquisitus*, quandoquidem acquiri potest per actus proprios ipsius possidentis, dum prudentiæ causa efficiens est diuturna singularum actionum exercitatio, & longa experientia. vide th. 19. 2. *Intellectualis*, quia primariò & immediatè intellectum nostrum perficit in enunciando verum. *Dico notanter* primariò & immediatè, quia aliàs Prudentia secundariò & mediatè (vid: mediante intellectu) appetitum dicitur perficere dirigendo ipsum, & præscribendo ducis instar, quid agendum sit secundum omnes circumstantias in omni virtute morali, vide disp. 5. th. 18. *II. Strictiorem s. Specificum magis, qui desumitur* 1. *à principio directivo actionum moralium, quod* h. l. est *recta ratio*, quippe quæ bonum à malo, honestum à turpi, agendum à fugiendo discernit, adeoq; præscribit quid fieri oporteat, & quibus circumstantiis. Unde Prudentia dicitur habitus activus cum recta ratione. h. e. qui secundum veram & rectam rationem vivere docet, & agere ea, quæ hanc vitam decent. Hinc quicquid nec rectæ rationi congruit, nec ad honestatem tendit, nomen prudentiæ mentitur, & mera est calliditas, utut aliàs in vita utile appareat. 2 *à fine*, qui est veritas Practica, quæ ad morales actiones refertur, unde Prudentia habitus activus dicitur. 3. *ab objecto.*

1 Absoluta. *in qua* 1. *Definitio, in qua conceptus.* (1) *Latior.* 1. 2. (2) *Strictior.* 1. 2. 3.

XVIII. *Objectum* Prudentiæ *sunt τὰ πρακτὰ* seu *Agibilia*, quæ homini ad benè agendum & vivendum sunt necessaria, adeoq; bona & mala. Hæc autem Agibilia sunt contingentia seu mutabilia, & à prudentia considerantur non tantùm universaliter, sed & singulariter, dum etiam ad singularia descendere opus habet. Ut enim ad valetudinem conservandam non sufficit scire carnes leves esse salubres, sed scire id quoq; oportet, has vel illas carnes esse leves; ita & in

2. *Objecti* *NB.*

prudentia ad singularia descensus fit, activa enim est, actio v. est in singularibus.

3. *Causa.* XIX. *Causa* Prudentiæ constitui potest *duplex I. Prima,*

(1) *Prima.* quæ est ipse Deus, à quo primum principium prudentiæ arcessendum est, & ita existimandum, veram prudentiam ab ejus lege & voluntate unicè dependere. Unde quisquis prudens est, illud tota vita sectandum censet, quod legi naturæ & rectæ rationi congruit, eò quod Deus ipse illud præcipiat & approbet, & certò remuneretur: contrà illud fugiendum statuit, quicquid à lege naturæ & recta ratione abhorret, eò quod illud Deus vetet & detestetur, adeoq; acriter puniat. vide Clar.

(2) *Secunda.* Horn. Eth. l. 4 c. 3. *II. Secunda, quæ est (1) Remotior, ut est naturalis inclinatio,* qua quis propendet ad mediorum celerem

1. *tùm* inventionem, ut intelligere possit, quæ & quot media ad finis alicujus affectionem requirantur; *tùm* dijudicationem & discretionem, qua judicare potest, an ista media sint bona

2. & utilia necne. *(II) Propinquior aliquantum, ut* sunt *1. Practica præcepta tùm* Generalia, quæ in Philosophia Practica traduntur; *tùm* Specialiora, quæ quilibet sibi in suo statu, loco & tempore, quo vivit, consignat. Nam quia Prudentia circa singulares circumstantias locorum, temporum & personarũ versatur, hisq; sese accommodat, maximè necessaria erit specialior hujusmodi consignatio, secundùm quam consilia & a-

(1) (2) ctiones institui possunt. *2. Inspectio exemplorum alienorum (1) Bonorum,* quæ imitemur. Non enim leve adminiculum ad prudentiam acquirendam censetur conversatio cum viris prudentibus. (2) *Malorum,* quæ cautè vitemus, juxta illud Demosthenis: *Omnes homines, utentes aliorum exemplis, magis*

(3) *cauti fiunt. 3. Continuata exercitatio,* qua in vita quotidiana assidua tractatio negociorum privatorum & publicorum instituitur secundùm præcepta & exempla observata. Hæc tàm necessaria est, ut Arist. l. 6. Eth. Nicom. c. 9. statuat, juvenes non posse evadere prudentes, quia propter ætatem destituuntur usu & experientia rerum agendarum, licet alias Geome-

4 *Divisio, juxta quã Prudẽtia* trici & Mathematici, atq; in ejusmodi rebus sapientes evadãt. *XX. Juxta Divisionem Analogicã Prudentia constitui solet 1. Pro-*

(1) *propria* *pria & Privata,* qua quis sibi suisq; rebus & commodis priva-

tis

tis rectè consulit & prospicit, absq; respectu eorum, quibus cum vivit. *II. Communis*, qua quis aliis quibuscum conversatur inservire ac providere studet. *Hæc rursus duplex (I.) Oeconomica*, qua quis familiæ suæ rectè consulit & prospicit de bonis & utilibus. *(II) Politica & Civilis*, qua quis Reip. circumspectè consulit & prodest. *Hæc rursus* statuitur *duplex* 1. *Nomothetica seu Legislatoria*, quæ leges ritè condit & dextrè explicat. Dicitur aliàs Architectonica, quia ut architecti est ædes mente designare, & præscribere quid & quomodo fabri in earum exstructione exequi debeant; sic Legislatoria Remp. ordinat, *tàm* publica *quàm* privata jura condit, ad quorum normam Practica prudentia deinceps eam gubernat 2. *Administratoria, & Politica specialiter dicta*, quæ Remp. secundùm leges istas administrat, adeoque distinctè considerat circumstantias temporis, loci & personarum, unde & *Practica* à nonnullis *dicitur*. *Hæc* rursus *duplex (1) Judiciaria*, quæ judicia obit. *(2) Deliberativa seu Senatoria*, quæ deliberat & sententiam in Senatu dicit, de quibus alibi.

(2) *Communis.*
1.
2.
(1)
(2)
(1)
(2)

XXI. In Respectiva Prudentiæ *considerantione attenditur ejusdem collatio cum Arte, quoad mutuam discrepantiam, quæ* potissimùm *est ratione 1. finis*, qui in prudentia plerunq; est ipsa actio, dùm justè & temperanter agere propter seipsum expetitur; ast in Arte est diversus semper ab effectione, v.g. calceus fit propter usum, h.e. ut induas vel vendas. *2. oppositi erroris.* Nam qui in arte factis peccat sponte, is melior est eo, qui invitus peccat, exemplo pictoris, qui præstantior est, si de industria in pingendo aberret, quàm si invitus hoc faciat; Atqui in prudentiam delinquit, melior est, si invitus id, quàm si voluntario fecerit.

2. Respectiva.
1.
2
†(II) *causæ*
1. Finis.
2 Efficiēs.
1. *Universalis.*
2. *Particularis.*
quæ (1) Homo industrius.
(2) Recta ratio *de qua.*

† *XXII. Causativa considerantio enodat* causas Philosophiæ Practicæ, *quæ sunt I. Finalis*, quam vide disp. 2. th. 9 & 10 *II. Efficiens*, quæ est *(1) Universalis*, ut Deus, à quo, ut causa prima, omne bonum. *(II) Particularis, quæ est* 1. *Homo industrius, prudens & peritus*, cujusmodi fuerunt Socrates, Plato & Aristoteles. 2. *Recta ratio*, quæ est rectum intellectus judicium de re, vel naturaliter nota, vel ex principiis naturaliter notis legitimè

gitimè deducta. Unde per rectam rationem Philosophi intelligunt (non ipsam animam rationalem, neq; ipsum hominis intellectum, quippe qui errare & decipi potest, etiam in sapiente, sed) intellectus judicium, & quidem rectum seu non errans, nam si erret, jam non est ratio, sed deceptio. *De hac recta ratione hic* breviter *notetur*. 1. *Realitas & Existentia* post lapsum, quod vid: post lapsum aliqua adhuc superst recta ratio seu rectum judicium, tùm de naturalibus, tùm de civilibus seu vitæ hujus honestate. 2. *Distinctio*. 3. *Materia*, de qua judicium illud instituitur.

[1] *Realitas.*

1. *XXIII. Realitas & Existentia* illa rectæ rationis *probari potest* 1. *ab absurdo*, quia aliàs extra supernam revelationem & supernaturale lumen fidei nec homo discrimen honestorũ & turpium scire posset, nec in universum ulla esset *vel* Ethica *vel* Politica *vel* Jurisprudentia, cum recta ratio sit fundamentum, super quo omnes illæ disciplinæ sint exstructæ, dum omnia præcepta naturaliter cognoscibilia de virtute & honestate

2. ex recta ratione fluunt. 2. *à testimonio scripturæ asserentis*

[1] *post lapsum naturale aliquod lumen & notitiam* [1] *in Theoricis*, dum naturaliter quadantenus notum est Deum esse, eum esse

[2] omnium rerum causam primam, Roman. 1. vers. 19. [2] *In Practicis*, in quibus Ethnici cognoverunt fornicationẽ, avaritiam &c. esse peccata, unde & justitiam seu jus Dei cognoverunt Rom. 1, 32. Imò dicuntur naturâ interdum quæ legis sunt facere Rom. 2, 14. & v. 15. opus legis cordi inscriptum gestare, & à suis ipsorum cogitationibus & ratiocinationibus interdum accusari. Ubi per λογισμὸν seu ratiocinationem intelligunt ipsum judicium intellectus rectum in vita pessima, quod etsi sectari Ethnici illi nollent, ex animo tamen penitus delere non potuerunt.

[2] *Distinctio.*

XXIV. Juxta Distinctionem ex diverso fine & objecto duplex constitui solet Recta ratio. I. Theorica, quæ est de re Theoretica, quam intellectus eo solum fine cognoscit, ut ejus veritatem perspectam habeat.

1. 2. *II. Practica*, quæ est de re Practica, quam intellectus cognoscit [non propter nudam apprehensionem & notitiam, sed] propter ulteriorem operationem, ob quam & appetitum dirigit, ostendendo quid sit appetendum.

XXV. *Ma-*

XXV. *Materia*, de qua judicium intellectus instituitur, *duplex est.* 1. *Principium*, quod est propositio omnis per se à naturâ nota, seu cujus veritatem homo naturâ, aut per se, aut ex ipsorum terminorum simplicium perceptione intelligit. v.g. quando quis novit quid sit totum, quid pars, statim cognoscit hujus principij veritatem. Omne totum est majus qualibet sua parte. *Est autem illa principiorum evidentia intelligenda de ipsis principiis, spectatis in se præcisè, & extra aliquam adjectionem, & specialem circumstantiam*; nam alioquin fieri potest, ut vel in dubium vocentur, vel non ita facilè percipiantur. v.g. Natura docet neminem esse occidendum, quia hoc tibi fieri nolis, nec quicquam de hujus principij, in se consideratâ, veritate dubitat: Interim tamen in dubium vocari potest, propter annexam quandam circumstantiam, vid: annec eũ interficere liceat, qui, quod lethaliter vulneratus sit in prælio, ipse te rogat, ut hoc facias, & mortem sibi approperes. *Sunt autem illa principia duplicia.* 1. *Theoretica.* v.g. si æqualibus adduntur æqualia, tota sunt æqualia. Impossibile est idem simul esse & non esse. 2 *Practica, quæ* sunt (1) *Affirmativa.* v.g. Parentes sunt honorandi. Honestè vivendum. Suum cuiq; tribuendum &c. [2] *Negativa*, v.g. Nemo est lædendus. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. *II. Principiatum seu Conclusio*, quæ est illa propositio, cujus veritas non est nisi aliunde eruatur, & vel inductione vel syllogismo innotescat.

[3] *Materia.*

1.

NB.

2.

XXVI. Ex hisce jam facilè patet *error Eorum*, qui veritatem Philosophicam Theologicæ contrariam fingunt, quasi veritas cognita per principia Philosophica, seu naturalem rationem rectam, contrarietur veritati cognitæ per principia Theologica seu divinam revelationem, ita ut quod de uno eodemque materiali objecto verum enunciat Philosophus, falsum pronũciet Theologus, & vice versa de hac cõtroversia si expetis plura, lege gratia brevitatis Clariss: Horn: Eth: l. 2 c: 2. & disp. meam Pneumaticam 4. th: 4. Eandem enodatam fusius habebis & suo tempore, Deo auxiliante, in tractatu meo axiomatico.

Error.

XXVII. *Juxta divisivam considerationem Philosophiæ*

[III] *Divisio, jux-*

in quâ dividitur, in partem 1. Generalem

Practica, tanquam Totum integrum analogum, *distribuitur in suas partes analogas, vid: in partem* 1. *Generalem seu Communem*, quæ in genere & præcisè monstrat boni viri officium, cujuscunque etiam status aut ordinis ille fuerit. Unde agit de moribus universè & in genere sumtis, monstratque saltem communia benè vivendi præcepta, propter quam generalitatem parti propriæ præmittitur. Dicitur aliàs ETHICA, vide disp: 2. *II. Specialem seu Propriam*, quæ ad particularia descendit, & *præcepta communia de moribus accommodat societati certæ (I.) Civili & publicæ, ut POLITICA*, de qua in Politicis disp: (II.) *Domesticæ, ut OECONOMICA*, quæ tamen suo modo subordinatur Politicæ juxta Arist: 1. Eth: Nic: c; 1. & 2. quia illius finis (h.e. cura eorum, quæ ad honestatem moralē in familiæ conversatione faciunt) ad hujus dirigitur, & ab eo perficitur, quemadmodum aliàs & omnes artes Politicæ obediunt, quatenus lex & norma ijs in Rep: à Majestate præscribitur, utque ad salutem publicam vel excolantur, vel adhibeantur, præcipitur.

2. Specialē

1.

2.

NB.

XXVIII. Legitima divisionis hujus sufficientia desumi potest ab objecto & fine Philosophiæ Practicæ. Objectum enim vid: appetitus & actio humana *considerari potest* 1. *Generaliter & directivè*, quat: actiones humanæ virtuosæ & honestæ denominari debent, & sic considerantur in parte generaliori seu Ethica. 2. *Specialiter & applicativè, quat: actiones honestæ debent esse hominum viventium* (1.) *civiliter*, & sic oritur Politica (2.) *Domesticè & familiariter*, & sic datur œconomica. Simili modo summum Bonum considerari potest.

Error.

1.

XXIX. Ex hisce patet *error*. 1. *Eorum*, qui putant Philosophicam Practicam in partes illas dividi, tanquam in tres distinctas disciplinas, cum tamen sit saltem unius disciplinæ in suas partes distributio. *Ubicunque enim datur idem objectum, tam quoad materiale, quàm quoad formale seu modum considerandi, ibi non dantur distinctæ disciplinæ. Atqui in Ethica, Politica & Oeconomica datur idem objectum quoad tùm materiale seu rem consideratam, tùm formale seu modum considerandi.* Actiones enim humanæ in omnibus istis partibus considerantur eodem

dem respectu generali, vid: ut honestas in ijs refulgeat. *E. non dantur distinctæ disciplinæ. II. Antonij Mirandulani*, qui unam duntaxat Philosophiæ Practicæ partem, in Ethicis contentam, admisit. Contra quem vide Rev: & Excell: Dn. D. Jac. Martini disp. de S Bono q: 1. th: 2. 2.

XXX. Sequitur jam *Respectiva Philosophiæ Practicæ consideratio, in qua ipsa cum alijs confertur, & quidem. I. Cũ Philosophia Theoretica, quoad* (1.) *Prærogativam* vid: utra pars alteri sit præferenda. *Verum prærogativa illa considerari potest quadrupliciter, ratione 1. objecti certioris.* 2. Subjecti nobilioris 3. modi procedendi accuratioris. *Et sic* juxta hunc triplicem modum *Theoretica præfertur*, quippe *in qua datur* (1.) *objectum certius*, quod est res necessaria, cum contrà in Practica parte sit res contingens & mutabilis (2.) *subjectum nobilius*, quod perficit, quod est nobilior animi facultas, vid. Intellectus; in Practicis autem Appetitus (3.) *modus procedendi accuratior*, qui in Theoreticis est exquisitè apodicticus & demonstrativus; in Practicis non item 4. *utilitatis majoris* in vita communi. Et sic Practica Theoreticæ multis modis anteponenda. vide Piccolom: gr: 5. c: 44. & seq: *(II.) ordinem addiscendi*, vid: utra pars prius addiscenda Et sic quoad ordinem discendi *Theoreticam præmittendam censemus ob Practicæ* 1. *Dependentiam à Theoretica, quoad* (1.) *objectum*, quod Ethica ex Physica mutuatur, ut sunt affectus, vide th: 7. (2.) *Terminorum explicationem*, quæ ex Theoreticis sæpissimè desumitur. 2. *Difficultatem*, ob circumstantiarum varietatem. Unde Philosophia Practica limatum requirit judicium. Quodipsum nota contra Keck: qui gym: Log: l: 2. c: 12. inter principales disciplinas initium sumendum statuit ab Ethica. *II. Cum Theologia, cui & Philosophiæ Practicæ notitia utilis censetur atq; necessaria, scil: necessitate* [*non absolutâ*, q. nullo modo eâ Theologia carere posset, *sed*] *determinata & expedientiæ*, quat: conducit ad commodam & exquisitam moralium terminorum explicationem, in scripturâ contentorum, *ceu patet. 1. de Ethica*, ex qua in Decalogi expositione virtutum vitiorumque explicationes petantur, Nam licet scriptura passim commendet virtutes, & damnet opposita vitia, tamen non ita explicitè &,

(II) Respectiva, in qua Philosophia Practica confertur.
1 cũ Theoretica Philosophia, quoad.
(1) Prærogativam.
1.
2.
3.
4.
(2) Ordinẽ addiscẽdi.
(1)
(2)
2. cũ Theologia.
1.

tè & exactè ponit virtutum objecta, & definitiones, atq; Ethica, quippe ad quam exquisita illarum tractatio pertinet. vide
2. Rev: & Exc: Dn: D. Calix: in præf: epit: Theol. 2. *de Politica* Quia enim de statu Politico agere debet Theologus, & explicare, an is Deo placeat, certè scire oportet, quid & qualis ille sit, & in quibus ejus natura consistat. Ast hæc omnia ex Politicis desumuntur. Idem judica, si formam Reipub: Judaicæ examinare velis in Libris Judicum & Regum *III. Cum Jurisprudentia, cui similiter utilis est Philosophia Practica necessitate expedientiæ,* 1. *quia Philosophia Practica continet principia legum omnium,* adeò ut quæ cum recta ratione & principiis Practicis plane non convenit, non lex, sed tyrannica constitutio videatur. 2. *quia leges justæ & bonæ ab imperatoribus conscribuntur ad ea fundamenta, quæ in Philosophia Practica proponuntur.* Nullo enim alio fine leges conscribuntur, quàm ut homines in humana societatè honestè vivant. Ast quomodo honestè vivendum, & in quo consistat humanarum actionum mediocritas, Philosophia Practica determinat.

3. *cum Jurisprudentiæ.*
1.
2.

COROLLARIA.

I. An Anima sit tota in toto corpore, & tota in qualibet corporis parte? *Aff. cum dist. certa.*

II. An Anima Vegetativa sit forma specifica plantæ, ut talis; & an Anima sensitiva sit forma specifica bestiæ, ut talis? *N. utrumq;.*

III. An Cœlum sit corpus solidum? *N. contra Keckerm.*

SOLI DEO GLORIA.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0036
DFG

COLLEGII PRACTICI GENERALIS
seu ETHICI
DISPUTATIO SECUNDA
DE

DEFINITIONE ET FINE ETHICÆ;

Quam

Auspicio Sacrosanctæ Trinitatis
Et
Consensu Amplissimi Senatus Philosophorum
In
Incluta ad VARNUM Academia
Sub Præsidio

M. JOHANNIS ELERI
Rigâ-Livoni.

Defendendam suscipiet

FRANCISCUS SIMON
Templinensis.

Horis locoq; consuetis die 29. Novemb

Maximilianus I. Imperator crebrô effari solitus est. Mensuram tene & respice finem.

Seneca Epist. 22 Ea, quibus delectatur vulgus, tenuem tantum & perfusoriam voluptatem habent, estq; eorum invectitium gaudium, ac fundamento caret.

ROSTOCHII,
Ex officina Typographica Joachimi Pedani
Acad. Typog. Anno 1626.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0037
DFG

Reverendis, Clarißimis, Præstantißimis
& Doctißimis Viris,

Dn. M. MARTINO VVILLICHIO
Rev. Ministerij Hamburg. Seniori digniss,
& ad S. Catharinam.

Dn. M. NICOLAO HARDCOPFIO, ad S. Nicolaum

} Pastoribus meritissimis.

Dn. M. JOHANNI-ADOLPHO FABRICIO, ad D. Jacobum.

Dn. M. JOHANNI JEGERO, ad D. Jacobum.

Dn. M. BERNHARDO VVITTEN ad D. Catharinam.

} ibidem Ecclesiastis fidelissimis.

Dn. M. GERHARDO HACKEMAN.
Pastori ad S. Mariam Magdalenam
vigilantissimo,

Dominis Patronis, Fautoribus & Promotoribus meis, omni observantiæ cultu prosequendis

D. D. D.

Franciscus Simonis
Templino-Marchita.

THESIS I.

Ethicæ consideratio.

Consideratio ETHICÆ duplex esse potest *I. Nominalis*, quâ enodatur nomen & vox Ethices. *II. Realis*, quâ explicatur ipsa natura rei, pro quâ supponitur & accipitur vox Ethices.

I. Nominalis.

2. In NOMINALI consideratione hic potissimum *duo* attendantur. 1. ἐτυμολογία seu NOTATIO. 2. ὁμωνυμία seu Æquivocatio.

(1) Notatio.

3. *In Notatione* consideretur vocis Ethicæ *tûm* origo *tùm* applicatio seu impositionis ratio, quæ diversa hic est pro origine diversitate. *Duplex* enim vulgò datur *derivatio & denominatio* Ethices, quarum *1. à causâ efficiente* deducitur, videlicet ἀπὸ τοῦ ἔθους *ab assuefactione*, quia mores nostri informantur crebrâ assuefactione, & virtuosâ exercitatione. *2. ab Objecto* juxta alios, vid. ἀπὸ τῶν ἠθῶν à moribus, quia Ethica tota versatur circa mores & actiones nostras morales informandas, ut in iis honestas refulgeat. Quæ *posterior* denominatio *probabilior* videtur. *1.* ob initialium literarũ Græcarũ convenientiam majorem, ceu ex Aristotelis inscriptione patet. *Derivatum* autem *sequitur ordinariè naturam sui primitivi*, ut habet axioma Grammaticum. 2. Ob naturam objecti disciplinarum, quippe quod formaliter consideratum potissimum habitibus largitur specificationem & denominationem, ceu patet exemplo Politicæ, quæ dicitur ἀπὸ τῆς πόλεως à civitate, quippe circa quam ut objectum suum versatur Politica. Idem judicium feras de Oeconomica.

(2) Æquivocatio.

4. *De Æquivocatione* notetur, quod *ETHICA dupliciter supponi soleat. 1. Propriè & strictè* pro generaliori saltem parte Philosophiæ Practicæ, contradistincta Politicæ & Oeconomicæ, tanquam partibus specialioribus. In hac propriâ suppositione

positione Ethica nunc accipitur. 2. *Impropriè & Synecdochicè*, per Synecdochen partis integrantis analogicè, pro toto integro analogo, vid. quatenus Ethica supponitur pro totâ Philosophiâ Practicâ, quæ ambitu suo comprehendit & Ethicam & Politicam & Oeconomicam, tanquam partes analogicè integrantes Philosophiam Practicam. Posteriori hoc Synecdochico modo nunc non accipitur Ethica, quum hîc tantum agamus de Philosophiæ Practicæ parte generali, non quavis etjam specialiori.

II. Realis. 5. *Realis* consideratio hic *duplex* sit *I. Definitiva II. Distributiva* seu Divisiva.

I. Definitiva. 6. *Definitiva* consideratio est, quâ definitivè enodatur quidditas & natura Ethicæ, determinatè explicando quid ipsa sit. Solet autem (ut in dis. 1. de Philosophia Practicâ monui) vulgò duplex tradi definitio Ethicæ. 1. *Absoluta, quâ Ethica* in se consideratur & definitur, quod *sit prudentia, humanas actiones moraliter informans, & ad summum bonum civile consequendum*, vel ad benè beateq; vivendum, *efformans*. Hujus definitionis enodatio patebit ex dis. 1. quippe in quâ termini illi sunt explicati, 2. *Respectiva*, quâ Ethica consideratur in respectu ad suum totum, vid. Philosophiam Practicam. Et tunc *Ethica dicitur Pars generalior Philosophiæ Practicæ, quæ actiones morales viri boni præcisè & in genere, absque determinatione ad certum & specificum statum seu conditionem considerat sub ratione honestatis, & quatenus simpliciter respiciunt civilem beatitudinem.*

(1) 7. *Respectiva hæc definitio* resultat ex divisione Philosophiæ Practicæ in dis. 1. facta, & *resolvi potest in conceptum duplicem, 1. Latiorem seu determinabilem, qui triplici voce circumscribitur, dum* Ethica *dicitur 1. pars*, quia partes causativæ (h. e. essentiales & integrales) ut tales, seu in respectu ad suum totum, ob incompletam suam naturam definiri solent per terminum partis & mentionem totius; sic manus definitur, quod sit pars propria hominis &c. 2. *Generalior*, quo termino *partim* convenit materialiter cum generali parte Logicæ, Physicæ & Metaphysicæ: *partim* distinguitur à Politica & Oeconomica, tanquam specialioribus partibus Philosophiæ Practicæ. 3. *Philoso-*

phiæ

phiæ practicæ (sc pars). Quo termino sui Totius rursus *partim* distinguitur à partibus communioribus Logicæ, Physicæ & Metaphysicæ; *partim* convenit cum Politica & Oeconomica, quæ similiter partes sunt Philosophiæ Practicæ. *II. Strictiorem* (2.)
seu Determinantem quasi, qui desumitur 1. *ab objecto formali*, vid. actionibus moralibus, sub ratione honestatis in genere & præcisè consideratis. Hac generali actionum humanarum consideratione hæc pars potissimum distinguitur à Politica & Oeconomica, quia hæ partes important modum considerandi specialiorem, restrictum ad certum & specificum statum vid. vel Politicum vel Oeconomicum. 2 *à fine* vid. civili felicitate, generaliter tamen consideratâ.

8. *Distributiva* consideratio *explicat ETHICÆ partes seu* *II. Distributiva.*
membra, quæ juxta Analytici ordinis præcepta *Tria* constitui possunt. 1. *Finis*, qui est bonum consequendum, in cujus gratiam media unicè assumuntur. Unde Finis est potior respectus, quippe qui mediis dat amabilitatem, ordinem & mensuram, ita ut media tum demum perfecta censeantur, quando finem attingere vel producere idonea sunt. Sic Medicamenta tunc perfecta media censentur, quando eorum operatione sanitas restituitur. Sic perfectè officio defunctus est Logicus, quando Syllogismi lumine verum secrevit à falso. 2. *Objectum* in quod finis ille est introducendus. 3. *Media* per quæ Finis ille introduci debet. *De FINE* præsens aget disputatio, de Objecto & me- *Finis.*
diis subsequentes.

9. *Finis* Ethicæ constitui potest duplex. *I. Universalis &* *I. Universalis.*
absolutè ultimus, qui communiter in omnibus disciplinis præsupponitur, ut est *Gloria Dei*, ad quam cum omnes disciplinæ ultimo referantur & terminentur, tacitè illam omnes, ut finem communem & remotum, præsupponunt. Quod autem omnibus commune est, nullibi potest particulariter explicari, præcipuè quando ad communem hunc finem disciplinæ ipsæ sese nesciunt convertere absque directorio superioris. Unde rectè Clariss. Arnisæ. lib. 2. Polit. c. 1. s. 3. n. 2. contra Christianarum Politicarum scriptores negat, Ethicam aut Politicam propterra corrigendam esse, quia ad novum finem externum,

vid. gloriam & notitiam divini nominis, refertur, *tùm* quia finis ille nimis communis est, ceu patet inter alia ex 1. Cor. 10, 31. *tùm* quia ab alia facultate dirigitur. *II. Particularis & Determinatus*, qui determinatè in prudentia Ethica spectatur.

II. Particularis.

I. Internus.

10. Est autem *Particularis* hic finis *duplex 1. Internus*, qui in ipso habitu obtinetur, & ut plurimum in potestate artificis est. Hujusmodi finis Internus Ethicæ *est informatio morum humanorum.* Est enim Ethicæ officium, ut actiones humanas dirigat secundum honestatem, atque ita viros bonos efficiat.

II. Externus. *cujus consideratio.*

2. Externus, qui in usu cõsistit, nec semper in operantis potestate est, qualis finis hic est felicitas civilis seu summum bonum. *Notanter* dixi finem externum non semper esse in potestate operantis. v.g. finis naucleri est, salva nave in portum venire, quem tamen tempestate abreptus sæpè non assequitur; Similiter finis bella concitantium est victoria, licet spe non raro cadat Imperator. Sic finis prædicationis verbi divini est salus hominum, finis Diaboli circumeuntis est omnium devoratio 1. Pet 5. v. 8. nec tamen tum omnes divini verbi auditores salvantur, tum in Diaboli est potestate, ut quos suæ ingluviei destinavit, secum in perniciem possit rapere. Unde rectè & doctè Clariss. Arn. in notis ad Log. Crell. p. 33 contradicit Ramæis, qui omnem finem collocant in potestate operantis, ubi & elegantia invenies exempla.

11. *Consideratio* finis hujus externi, seu *summi boni duplex esse potest I. Nominalis. II. Realis.*

I. Nominalis.

12. *Nominalis* explicatio *respicit* 1. ἐτυμολογίαν. 2. ὁμωνυμίαν. 3. συνωνυμίαν.

1. *Notatio.*

13. Ετυμολογία *seu Notatio respicit* vocum istarum *tùm* originem *tùm* applicationem. *Dicitur* autem felicitas illa civilis *aliquid 1. Bonum*, quam vocem Grammatici nonnulli derivare annituntur à boando, eo quod boet & clamet quasi, ut alios ad se alliciat. Allicit autem hæc civilis felicitas suâ convenienti perfectione hominum animos, ut hi beatitudinem illam maximè appetant. *2. Summum*, quia civiliter ultimo & summè terminat appetitum hominis. Unde dicitur summum *moraliter & civiliter*, quum actiones humanæ in illo tandem ultimò acqui-

acquiescant; *non autem transcendentaliter neq; propter generalitatẽ*, qualia summa sunt attributa generalia Entis Metaphysica, quippe quæ omnibus rebus competere possunt; *neque propter entitativam nobilitatem & dignitatem*, quum hujusmodi transcendentalis sublimitas soli Deo competat.

14. *De Homonymia* seu Æquivocatione *notetur*, quod *Bonum duplex* alias statuatur. *I. Laudabile*, quod ut conducibile semper destinatur ad aliud. Hujusmodi bonum est virtus, quæ destinatur ad aliud quid, vid. actiones virtuosas. Laudamus enim virum justum & fortem ab actiones ejus justas & fortes. Hoc bonum hic non intelligitur, quia non propter se, sed propter aliud quid expetitur, unde neque summum esse potest, h. e. ultimò terminans appetitum. *II. Honorabile*, quod ob præstantiam admiramur, honoramus, & propter se expetimus. *Hoc* rursus *duplex* constitui potest: 1. *Divinum*, quod humanas vires planè superat, ut est Theologicum bonum, imo ipse Deus. Hoc bonum hic non intelligitur. 2. *Humanum*, quod in hominis potest esse potestate, quippe per cujus actus quodammodo acquiri potest. Hoc bonum hic intelligitur, quia alias frustraneus esset conatus hominis civilis, si planè suum finem intentum non posset assequi. *Hoc* autem humanum bonum rursus subdividi potest in *Bonum (1) Theoreticum seu contemplativum*; quod in jucundissima Dei & creaturarum omnium contemplatione consistit. Hæc Theoretica beatitudo seu felicitas, si ἀκριβῶς loqui velimus, directâ translatione huc non pertinet, ceu patet. 1. *Ex naturâ Objecti Philosophiæ Practicæ*, quod est res natura sua agibilis vid. humana Actio. Hinc ita argumentamur: Habitus alligatus ad Objectum ex sua natura agibile, non potest nec debet directè præcipere de fine habitus contemplativi. Atqui Philosophia Practica est talis habitus. E. *Major* probatur *dupliciter (1) ex Oppositione finium contradistinctorum*, quales sunt acquiescentia in nuda contemplatione, & non acquiescentia in nudâ notitia, hoc est, ulterior translatio notitiæ ad operationem. Atqui *Opposita ut talia non cadunt in idem*, nec finis contradistinctè oppositi confundendi sunt, juxta regulam: *Distincta distinctè sunt*

2. *Æquivocatio.*

sunt proponenda, non confuse. (2) ab habitus contemplativi requisitis, quæ sunt principia, Objecta scientifica & affectiones, quibus in rigore dictis Philosophia Practica destituitur. 2. *Ex conditione finis per deductionem ad absurdum*, hoc modo. Quæcunque disciplina finem contemplativi habitus seu theoreticam felicitatem tradit, illa eundem & acquirere potest. Atqui Ethica finem contemplativi habitus tradit. E Ethica eundem acquirere potest. *Conclusio est absurda* (1.) *ex experientiâ*, quia nemo Theoreticam felicitatem ex Ethicis præceptis directè unquam hausit. (2.) *ex frustranea aliàs tractatione reliquorum* habituũ intellectualium, quippe qui frustranei forent omnes, si ex Ethica directè & sufficienter felicitas Theoretica hauriri posset, juxta regulam Zabarellæ de 4. fig. syll. c. 7. *Quando rectâ viâ ad finem progredi possumus, non opus est per obliquam & longiorem incedere.* (2) *Practicum & Activum*, quod in virtuosâ actione consistit. Hoc Practicum bonum in Ethicâ consideratur generaliter, quatenus ab homine acquiri debet, non autem specialiter quatenus ab homine in hoc vel illo vitæ genere constituto indagandum est, quia specialior hæc consideratio ad specialiores pertinet partes.

3. Synonimia.

15. Συνωνιμία continet Epitheta honoraria summi boni, qualia præcipuè sunt. 1. Εὐδαιμονία, *cujus* denominationis *ratio* datur (1) *ab intrinseco* principio juxta Arist. in 1. Mor. Nicomach. c. 4. videlicet à mente prudenti hominis, quoniam mens prudens hominem ad divina elevat, & ejus bonus est Dœmon; hinc ejus perfectio εὐδαιμονία appellatur. Unde Aristoteles 2. lib. Topic. loc. 19. ex Xenocratis sententia ait: Animam studiosam cuicujq; esse Dœmonem. Hæc sententia probabilior videtur. (2) *ab extrinseco principio* juxta Platonem, videlicet à Dœmone quodam, quo homines duci & regi existimavit, de qua Platonis sententia vide Piccolom. gr. 9. cap. 2. 2. μακαρισμὸς *seu beatitudo*, cujus denominationis rationem deducunt à lætitiâ comite ejus, quum Prisci τὸν μακάριον deduxerint ἀπὸ τοῦ μάλιστα χαίρειν h. e. à maximè gaudendo, teste Arist. 7. Moral. Nic. c. 11. 3. Εὐτυχία h. e. secunda fortuna, cujus

cujus denominationis ratio petitur secundum Aristotelem à conditione bonorum fortunæ, quippe quæ ornant & juvant summum bonum, ut sine iis homo felix esse nequeat. Plura si desideras gratia brevitatis vide Piccol. gr 9. c. 2.

II. Realis.

16. *Realis* Enodatio summi Boni *respicit considerationem* duplicem: 1 *Absolutam*, quâ absolutè in se suisq; concomitantibus & effectis summum bonum consideratur 2. *Respectivam*, quâ summum bonum in suo opposito consideratur.

I Absoluta in qua S. Boni.

17. *Absoluta* consideratio quinque *continet*, vid. Summi Boni, 1. *Positionem*, quod sit & detur summum aliquod bonum, 2. *Definitionem* & essentiam. 3. *Proprietates*. 4. *Concomitantia. & Circumstantia*. 5. *Effectus immediatos.*

1. *Positio.*

18. *Positio* summi boni (vid. quod sit summum bonum, & quod poni debeat) *probatur dupliciter*, *I. Generaliter* monstrando, quod sit & dari debeat bonum aliquod humanarum actionum, quod probatur *argumento duplici*, 1. *Artificiali* desumpto 1.) *à genere ad speciem* juxta Topicam regulam: *Quicquid tribuitur generi, tribuitur & speciebus.* Hinc Syllogismus esto: Omnis actio suscepta cum ratione est propter certum finem. Hinc & omnis ars omnisq; methodus & electio bonum aliquod expetit, vide D. Jacob. Mart. disp. 3. εὐδαιμο: th. 2 q 3. Dominicum de Flandriâ 1. Met q. 2. Atqui Actio nostra moralis est actio suscepta cum ratione. E. Actio nostra moralis est propter certum finem: & per consequens propter certum quoddam bonum. *Ratio* consecutionis annexæ patet ex Canone Philosophico: Finis & bonum idem sunt, sc. materialiter. (2) *à positione finalis causalitatis seu effectus ad positionem causæ finalis*, juxta Topicam maximam: *Posito effectu, in fieri potissimum, ponitur & causa.* Hinc ita argumentamur: Si datur naturalis & ordinati seu rationalis appetitus humani motio, datur & aliquod bonum movens & excitans appetitum ad sui desiderium. Atqui verum prius. E. & posterius. Ubi notes velim, me propositionem majorem restrinxisse ad motionem naturalis appetitus humani, quia alias 1. Deus & natura agerent frustra, concedendo homini inclinationem ad id, quod planè frustraneum imo Non-ens est. Unde rectè Philosophi Practici

ctici monent istud desiderium hominis involvere quendam defectum, ortum ex absentia perfecti, quem defectum ut expleat homo, qui humanæ naturæ desertorem non agit, propendet in vitam perfectissimam, ut Medicamentum voluntatis & appetitus. 2. Appetitus præternaturales & assciticij frustranei esse possunt. 1. *Inartificiali*, seu testimonio multiplici veterum, quos brevitatis gratiâ vide apud Piccol. gr. 9. *II. Speciale*, monstrando specialius, quod illud bonum sit summum, ultimò in suo genere terminans appetitum, quia aliàs processus fieret in infinitum, à quo natura abhorret, quippe quæ nobis aliàs frustra indidisset boni appetitum, quum nullum esset appetibile, in quo appetitus acquiesceret. Unde sequitur, quod in humanis actionibus, licet multi sæpè fines dentur, unus tamen ultimus & summus sit, qui propter seipsum & non alium expetatur.

2. *Definitio.*

19. *Definitio* & Essentialis consideratio Summi istius boni duplex. *I. Vera*, & ex rei veritate, *II. Opinativa*, & ex hominum opinione.

(1.) *Vera, cujus conceptus duplex.*

20. *Vera* & probabilior definitio censetur illa, quam habet Arist. lib. 1. Nicomach. c. 6. vid. *quod Beatitudo sit actio animæ rationalis secundum virtutem optimam & perfectissimam in vitâ perfectâ.* Quæ definitio absolutè, & in omni sua latitudine considerata, generalior quodammodo videtur, competens felicitati & Theoreticæ & Practicæ, (cum utrique illius definitionis verba, absolutè posita, competant,) ceu patet ex Piccol gr. 9. c. 28. p. 813. M. Gutkio dis. Pract 15. th. 6. Ut autem specialiter Practicæ nostræ felicitati illa competant verba, limitationes datæ in resolutione istius definitionis notari possunt.

21. *Resolvi* autem *potest illa* definitio *in conceptum* duplicem, *I. Latiorem II. strictiorem.*

II.

22. *Conceptus latior* seu contrahibilis *est Actio vel operatio*, per quam excluditur tũ otium ignavorũ, quum non in otio sed negocio felicitas practica consistat, dum homo non ad desidiam sed opus aliquod & actionem est natus; tum etiam habitus nudus virtutis, quippe qui etiam in dormientibus & nihil agentibus esse potest, in quibus tamen internosci non potest probus

ab

ab improbo. Est autem hic intelligenda actio. *I. Perfecta non imperfecta. II. Per modum* (non causæ & fundamenti, quasi esset causa fundamentalis & efficiens summi boni, gaudij forsan, in quo ex mente aliorum essentia summi boni posita esset, sed) *formæ ac postremæ perfectionis*, ita ut summum bonum essentialiter & formaliter consistat in actione perfecta. Hinc accuratè ait Piccol. gr. 9. c. 14. Colligamus itaque summum bonum, ut in fundamento, collocatum esse in virtute; ut in forma ac postrema perfectione in actione probâ & honesta &c. *Esse a summũ Bonũ Actionem* (non causaliter & effectivè sed) *essentialiter & formaliter, probari potest viâ duplici 1. Astructivâ*, quâ astruitur directè Summum bonum consistere in actione. Hæc probatio astructiva induci potest *(1) a denominatione formali viri felicis.* A cujus præsentia & adessentia homo unicè formaliter denominatur felix & beatus, illud est verum Summum bonum seu beatitudo. Atqui ab actione perfectè virtuosa homo unicè formaliter denominatur felix. E. *Major* patet ex officio & essentia denominationis formalis, quippe quæ esse nequit nisi à forma denominante tanquam principio suo. *Minor* patet ex oppositio, quia actione perfectè virtuosâ absente homo desinit formaliter esse beatus. E. illa præsente homo formaliter fit beatus, quia Oppositorum Opposita sunt consequentia. Hinc simile illud probè notetur: Quemadmodum in ludis Olympicis coronabantur nõ formosissimi & robustissimi, sed qui strenuè dimicando vincebant; Ita in hac quoq; arena non solum habitu virtutis prædíti summi boni coronâ honestantur, sed qui præclara virtutum munera obeunt. *(2.) ab adjunctâ perfectione & appetibilitate ultimatâ, &c. in ordine Politico.* Hinc ita colligo: Quicquid est in se perfectum, & ultimò civiliter appetibile, illud est Summum bonum. Atqui actio perfectè virtuosa est talis. E. *Major* patebit ex Summi boni proprietate 1 & 2. th. 29. 30. *Minor* patet ex experientia, quia omnia reliqua ad actionem tendunt, quippe cujus gratiâ sunt. Ut enim in operum constructionibus instrumenta, inservientia usui, inania forent, si eis artifex non uteretur; sic reliquotum bonorum omnium possessio inanis est absq; virtuosa usurpatione. 2. *De-*

structivâ, quâ à Summi boni essentia removentur reliqua bona omnia, quæ ab aliis adducuntur. Dum autem reliqua omnia removentur à Summo bono, virtuosa actio oblique ponitur. Hujusmodi destructionem breviter collige ex th. 29. seq.

2. 23. *Conceptus strictior* seu contrahens *desumitur* dupliciter, 1. *a causa efficiente.* 2. *à conditione requisitâ.*

(1.) 24. *Causa duplex datur* 1 *Naturalis principalis*, quæ est homini nativa, vid. anima rationalis, per quam principale agendi principium inculcatur. Hic terminus à summo bono removet actiones 1. Corporis in cibo & potu, quum summum bonum inter bona animi, non corporis enumerandum sit. 2. Animæ *tùm* vegetativæ *tùm* sensitivæ, quatenus hujusmodi actiones rationis totaliter & planè sunt expertes, quia tunc ad nutum & imperium rationis, ceu dictatoris superioris, se componere nequeunt. Hinc in plantas & bruta Summum bonum non cadit. *II. Habitualis & fundamentalis*, quæ humanis acquiritur actibus, estq; ratio rectitudinis, ob quam actio, ab anima rationali prodiens, recta dicitur. Estq; hoc loco *ipsa virtus moralis*, quippe quæ norma & regula est, secundum quam actio virtuosa est instituenda, ceu patet ex locutione Aristotelica, *secundum virtutem optimam & perfectissimam.* Unde Beatitudo Practica est functio, quæ nõ à sola anima naturaliter proficiscitur, sed ab habitu acquisito vid. virtute, ob quam causam Summum bonum neque hæreditarium quid est, sc. participatione propria. Unde heroum filij quandoque noxæ, quia natura saltem habilem facit, non autem dat habitum. Optima autem & perfectissima requiritur virtus Moralis, quia optimus effectus, qualis est actio felicitatis, optimam requirit causam, ita ut causa toto genere deterior non sit suo causato. *Per optimam* autem *& perfectam virtutem*, hic *intelligenda* est *virtus* 1. *Moralis*, quæ hominem verè moraliter valeat perficere. Nam intellectuales beatitudinem theoreticam directè respiciunt, non Practicam. 2. *Indefinitè* pro quavis virtute perfectissima & absolutissima. Unde si plures virtutes sunt, optima illarum huc spectabit secundum Clariss. Horn. dis. Eth. 1. th. 45. Accipienda autem est indefinita hæc interpretatio; *Si* Summum bonum

conside-

consideretur (non in nuda ideâ, sed) *in rei veritate*, h. e. *in individuo etiam certo.* Tunc enim non repugnat Summum bonum in uno individuo reperiri, quoad gradum excellentem unius virtutis, & gradum remissum reliquarum. Ex quibus Solonis sententiam Francofurd. 1. Eth. q. 8 accuratè refutant.

25. *Conditio requisita* ab Aristotele exprimitur hisce verbis *in vitâ perfectâ, sc. determinatè, & in suo genere vid. in ordine Politico & civili*, nam perfecta vita in contemplatione consistens huc non pertinet. *Hæc* autem *perfecta vita civilis tria requirit; I. Ætatis maturitatem*, in qua ratio est efficax, judicium acre & constans, habitus firmi, ut splendidas actiones edere possint. Ob absentiam hujus maturitatis in ætate pueri summi boni non sunt capaces, & ab Aristotele idonei Ethicæ auditores negantur. *II. Temporis diuturnitatem, quæ* rursus determinari & *restringi potest* 1. *ad conditionem hominis*, h. e. ut talis intelligatur vita perfecta, qualem homines admittunt, & rerum humanarum conditio fert. Unde felicitatem Practicam totaliter evertere nequeunt miseriæ, quæ homini contingunt ante obitum, licet illam quandoque haud parum obscurent, multò minus illam evertent casus posterorum. 2. *Ad actionis continuationem & perpetuationem*, quum secundum Aristotelem l. 1. Nicom. c. 6. Ut una hirundo aut dies non facit Ver, ita quoque beatum aut felicem hominem neque unus dies, neq; breve tempus aliquod efficiat. *Est autem hic intelligenda perpetuatio*, (1) *non Numerica*, quia beatus *tum* variarum virtutum actiones edit, non necessariò unius saltem, tum relaxationis gratiâ cessationem quandoque instituit, ceu patet ex somno, (2) *sed Specifica*, ita ut homo à virtutum tramite in semitam vitiorum non exorbitet, sed perpetuo tenore virtutem colat. *III. Ad requisitam perfectionem instrumentorum* seu adminiculorum, quæ ad summi boni existentiam, splendorem & ornatum requiruntur. (2.)

27. Ex hisce enodatis hæc practicæ felicitatis definitio specialior erui potest. *Beatitudo Practica est actio* (perfecta & formaliter sumpta) *animæ rationalis secundum virtutem optimam & perfectissimam* (moralem & indefinitè sumptam) *in vitâ perfecta.*

fectâ (scilicet civiliter, & quidem quoad ætatis maturitatem, temporis diuturnitatem, & instrumentorum apparatum requisitum).

(2) *opinativa.*

28. *Opinativa* Summi Boni definitio *triplex* statui potest, *juxta triplex vitæ genus* & institutionem. *I. Vulgaris*, quæ cum Schola Cyrenaica & Epicureâ in corporis voluptate Summum bonum ponit. *II. Politica & Civilis*, quæ res in Rep gerendas potius respicit, quam vitam mollem & delicatam. Hæc Summum bonum collocat *1. in divitiis*, 2. *in honore*, (1) *Alieno*, h. e. Majorum, qualis est nobilitas generis: (2) *Proprio*, qualis est tum civilis potentia, tum gloria & nominis celebritas. *III. Contemplativa & Habitualis*, quæ rerum cognitionem & habitq rebus omnibus præponit. Hæc Summum bonum dicitur collocare, *1. in Idea aliquâ boni*, quæ sententia asscribitur Platoni, & refutatur à Piccol. gr. 9. c. 23. 24. & seq. Clar. Horneio dis. Eth. *1.* th. 36. seq. & Eth. p. 94. seq. 2. *in virtutis habitu*, quæ sententia est Stoicorum.

3. *proprietates seu affectiones.*

28. *Proprietates seu Affectiones*, quæ ipsum Summum bonum denominant, sunt *quintuplices* præcipuè vid. *esse* 1. *Perfectissimum*, 2. *Sibi sufficiens*, 3. *Propter se expetibile*, 4. *Homini proprium & domesticum*, 5. *Fixum & constans.*

(1) *perfectio summa.*

29. *Summa perfectio & excellentia* in Summo bono requiritur propter ultimatam terminationem civilem appetitus. Quod enim civiliter ultimò appetitum terminat, ut ipse in eo acquiescat, illud certè perfectissimum in civili ordine erit, alias appetitum ultimo terminare non poterit. Est autem hæc perfectio summa hic *intelligenda.* 1. *Non absolutè*, quæ in omni genere summum obtinet gradum, quum in comparatione ad bonum theologicum imperfectionem quandam admittat; *Sed determinatè*, ratione *tùm* Politiæ ac civilis ordinis; *tùm* humanæ sortis ac conditionis, propter admistas quandoque calamitates, Est enim felicitas nostra humana, & vitæ admodum fragilis perfectio. *II. De actionibus in sensu non diviso*, quasi actiones virtuosæ singulæ seorsim in humanâ hâc felicitate ab Aristot. considerentur; *Sed composito*, quô actiones virtuosæ collectim sumuntur, tam præteritæ quam præsentes & futuræ, exemplo senectu-

senectutis. Ut enim senex dicitur nemo propter hunc vel illum vitæ annum seorsim sumtum, sed propter annos illos omnes simul sumtos: Sic felix non quis dicetur, quod hoc vel illo tempore virtuosum ediderit actum, sed quod tota vita virtuti studuerit. *Propter* summæ *hujus perfectionis* requisitæ *defectum à Summo bono removetur.* 2. *Honor*, quia dignitas nec corporis mala levat, nec animum perficit. (2.) *Divitiæ*, quia *tùm* injuriâ parantur, *tùm* in usurpatione maximum admittunt abusum.

30. *Sufficientia* in Summo bono requiritur propter summam perfectionem, quippe cui nihil addi potest. Est autem hæc Summi boni sufficientia, quâ sibi sufficit, *intelligenda I. non absolutè*, quasi nullo modo bonitatis augmentum capere posset ex alio bono superaddito, quia hæc sufficientia & αὐτάρκεια Deo potissimum competit; *sed determinatè*, ratione vitæ optabilis nulliusq; indigentis, quam homo felix agit, in quantum ex Summi boni possessione continet illud omne, quo indiget ex necessitate, licet alijs bonis possibilibus, non ita necessariis, careat. Et quamvis Summum bonum præstabilius evadat, si cum alio bono conjungatur, tamen id fit saltem propter cumulum illum bonorum. *II. Non de vitâ solitaria*, quasi felix sibi soli sufficienter vivere posset; *sed de Politica*, cui ipsum hominem natura destinavit. Ob defectum hujus secundi requisiti à Summo bono segregantur divitiæ, quia etiam in magnis divitijs potest quis esse miser. (2.) *Sufficientia.*

31. *Expetibilitas propter se* in summo bono requiritur *tùm* propter summam perfectionem, *tùm* propter intrinsecam Politicam sufficientiam. Quod enim in se summè perfectum est, sibique sufficiens, propter se certè expetibile est. Hoc modo propter se expetibilis est actio virtutis, & non propriè propter affectus moderandos (ut quidem objiciunt) tanquam finem expetitur, quia ipsa illa actio virtutis est Moderatio, Vid. Alex. l. 4. quæst. Mor. c. 24. Hinc *à Summo Bono removentur.* 1. *Divitiæ*, quia divitiæ *tàm* naturales *quàm* artificiales sunt propter hominem, suntq; instrumenta saltem vitæ non finis. 2. *Virtus*, quia Possessio virtutis est propter usum. 3. *Honor*, quia hic est propter opinionem virtutis. (3.) *Expetibilitas propter se.*

32. Ho-

4) *Homogeneitas seu ut S. B. sit homini proprium.*

32. *Homini proprium & domesticum* dicitur Summum bonum, quia hic agitur de bono competente homini, quâ homo πολιτικὸν animal est, & ab omnibus alijs distinguitur. Unde & in optima hominis erit parte. Hinc *à Summo bono removetur* 1 *Nobilitas generis*, quippe quæ non est proprium bonum, sed alienum, h. e. majorum. 2 *Honor*, quippe qui non est in possidentis potestate, adeoque ipsi proprius & domesticus quoad collationem. 3. *Voluptas corporis*, quæ pecudum magis quam hominum.

(5) *Constantia & Immutabilitas.*

33. *Constantia & firmitas seu immutabilitas* in Summo bono *requiritur*, quia in se consideratum est summum & perfectissimum. Quod autem summum & perfectissimum, illud ut tale intrinsecè totaliter mutari nequit. Est autem hæc Summi boni Constantia & Immutabilitas 1. *Intrinseca & Essentialis, quâ essentia* felicitatis *mutari nequit*, 1. *Entitativè*, ut commutetur ex extremo in extremum, h. e. ut felix evadat vitiosus, inducendo habitum vitiorum, adeò ut, quod primò vir ille felix judicavit honestum, mox turpe censeat. Hujusmodi Entitativa mutatio & transitus probari nequit neque exemplo neque ratione sc: si de permutatione loquamur ratione virtutis, (non divinæ de quâ alibi agitur, sed) humanæ 2. *Gradualiter, quoad receptionem magis & minus, sc. Si felicitas ratione ἕξεως & abstractè consideretur.* In hac consideratione ne ipsæ virtutes & qualitates reliquæ gradualem illam admittunt discrepantiam, vide Arist. 8. Met. con. 10. *Ratio* est, quia *essentia consistit in Indivisibili. II. Non autem accidentalis & extrinseca necessariò*, quippe quæ ipsi accidere potest propter extraneum subjectum vel ornamentum, ita ut hoc modo felicitas mutetur, *quoad 1. Protensionem*, h. e. durationem, ita ut pro diversitate viri felicis magis & minus durare possit. 2. *Objectivam extensionem*, h. e. ut modò ad plures, modò ad pauciores se extendat homines, qui reperiantur viri beati. 3. *Subjectivam intensionem*, h e. ut ratione subjecti & actualis inhærentiæ recipiat magis & minus, prout fortius vel levius in subjecto radicatur. Contingere autem potest hæc accidentalis intensio Subjectiva dupliciter vid. *in sensu* (1) *absoluto*, si consideretur in uno eodemq; homine, sub diverso

1.

2.

diverso tamen tempore. (2) *comparato*, si comparatio instituitur inter varios homines felices, ita ut unus altero dici possit felicior. 4. *Ornamentum & splendorem externum.* Ut enim magna & multa fortunæ bona ornatiorem reddunt vitam, & promovent præclara facta; sic contrà magna & multa fortunæ mala eam obscurare & impedire videntur. Et ut bona illa vitam non reddunt felicem, sic mala hæc illam (licet obscurent, tamen) non efficiunt miseram, ita ut optimè instructus à virtute nunquam quicquam agat odio dignum aut improbum, sed fortunæ casus animo generoso ferat, & nihilominus pulcherrima, quoad potest, semper agat, imitatus optimum Imperatorem, qui si non potest eo exercitu, quo velit, saltem eo, quem præsto habet, bellicosissimè se gerit: Ut & sutor bonus ex pellibus, quarumcunque copia est, semper calceum pulcherrimum facit. Unde hic probè *notetur distinctio* Arist. 1. Nicomach. c. 15. *inter dici non-beatum*, propter ereptum splendorem & ornatum ferè omnem, ut si quis in Priami incidat calamitates; *& inter dici seu fieri miserum*: Illud suo modo concedit Aristoteles, hoc non. *III. Intelligenda est de actionibus consideratis non in sensu diviso*, quò actiones virtuosæ seorsim considerantur, sic enim unaquæq; actio seorsim sumta transit & mutatur; *Sed in sensu composito*, quo totius vitæ actiones colliguntur, & tunc permanentem & constantem notant felicitatem, exemplo vitæ, quæ ipsa quoq: permanens apparet, etsi singulis momentis aliquid ejus perit. Hinc *à Summo Bono segregatur* 1 *Honor*, quippe qui inconstantissimus, ceu flos graminis. 1. Pet. 1. 24. 2. *Virtus*, quia possidens virtutem in tantam calamitatem incidere potest, ut felix, nisi absurdè, ampliùs dici nequeat, vid. si omnibus penè sensibus orbetur, & totâ vitâ in lecto decumbat. Idem patet exemplo Lethargici. 3.

34. *Concomitantia & circumstantia* sunt, quæ forinsecus accedunt, & summum bonum *tum* adjuvant, *tum* illustrant. Hæc bona concomitantia, quia in suo genere sunt bona, dicuntur sui accessione augere Summum bonum eo pacto, quo omne maximum bonum accessione etiam minimi alicujus optabilius redditur. *Horum notetur I. Necessitas, II. Species.* *4. Concomitantia, quorum notetur.*

35. *Necessitas* horum concomitantium *considerari potest* dupli-

(1) *Necessitas.*

dupliciter, 1. *Generaliter, quod ad Summi boni existentiam* & splendorem necessario *requirantur*: 1. *Bona quædam concomitantia.* Et licet Summi boni essentiam non constituant & ingrediantur, tamen Summum bonum in existentia ijs vel planè non, vel ægrè admodum carere potest. Unde ex mente Peripateticorum vir probus, licet in adversâ fortuna virtuti consentanea agat, & instar palmæ renitatur, non tamen eam vivit vitam, quàm absolutè, & demtâ omni conditione acerbâ, vivere exoptaret. *Est* autem *hæc necessitas* bonorum *indefinita & indeterminata ratione* (1) *Bonorum ipsorum*, quippe quæ omnia non sunt æquè necessaria ad vitam, & consequenter ad beatam vitam. (2) Gradus, qui summus & excellens necessariò esse non debet, quum sufficiat aliqualis. Unde rectè *distinguunt Peripatetici inter absolutam sanitatis negationem*, si vid. nullum planè sit corpori robur, *& inter determinatam negationem*, si vid. quis non valeat pancraticè, aut non habeat robur Glyconis vel Milonis. Si Milonis vel Glyconis robur non adest, mediocre sufficere potest, de qua mediocris facultatis sufficientiâ lege Arist. lib. 10. Eth. c. 8. 2 *Multiplex ratione varij usus, dum munera* seu bona *hæc conferunt pro humanâ felicitate* (1) *assequendâ* (2) *illustrandâ* 3 *conservandâ* Ut enim oculus lumine destitutus marcessit otio, faber sine instrumentis torpet. Ita virtus ejusq; actio à fortunâ & naturâ relicta impotens quasi redditur. *II. Specialiter*, & tunc dicuntur requiri illa externa bona ad vitæ felicitatem dupliciter, *ratione 1. Animi*, cujus respectu instrumenta dicuntur virtutis. *2. Corporis*, quod perficiunt, illius indigentiam tollendo, quod præstant sanitas, sensuum integritas, & divitiæ naturales. *Requiri autem ad vitæ felicitatem etiam corporis perfectionem patet* (1) *ab oppositio* videl. malis corporis, hoc modo. Mala corporis turbant & minuunt Summum bonum & felicitatem, quæ sibi ex omni parte est satis, adeoq; sunt contra naturam. E. bona corporis, h.e. quæ corpus perficiunt, Summum bonum seu felicitatem illam augebunt, adeoq; erunt secundum naturam. *Antecedens* patet ex instinctu naturali, quo homo vitare cupit hujusmodi mala, v. g. tormenta & cruciatus vehementissimos, quia non sunt ad votum & nutum naturæ. Iste autem instinctus naturæ, quô vitare cupit mala, & appetere conservantia corpus, non erit frustraneus.

Unde:

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0054
DFG

Unde si ipsis etiam Stoicis libera concederetur eligendi optio, certè potiùs eligerēt virtutis munere fungi cum secundâ, quàm adversâ fortuna. Et licet vir probus adversam fortunam moderatè ferat, tamen tempori inservit, imitatus nautas, qui imminente tempestate sponte dicuntur exonerare navem, vel ut letaliter vulneratus sponte dicitur concedere Chirurgo pedis sectionem, licet illa sectio alias non sit ad votum ejus. *Sequela* patet ex regula: *Oppositorum opposita sunt consequentia.* (2) *à conditione Objecti Ethici, seu hominis*, qui hic non consideratur, ut mens à corpore sejuncta, sed ut corpori unita. Ex hisce rationibus Aristoteles & Academici negant Stoicis sapientem in tauro Phalaridis, aut perpetuis vitæ tormentis beatum esse.

36. *Divisio* respicit specialem enumerationem concomitantium & circumstantium. *Sunt* a. *illa bona* I. *Interna, quæ* in ipsis possidentibus sunt & *respiciunt,* (1) *Vitam, ut* est *libertas*, quæ dicitur facultas obeundi & exercendi actiones virtuosas facilè, liberè & expeditè circa quodvis objectum quovis loco & tempore. Ubi tamen nota regulam: *Libertas ad illicita se non extendit*, ob quam causam rejicitur Tyrannis, & abusus privilegiorū. *Huic* libertati *opponitur Servitus*, mancipatio & captivitas, quæ magna felicitatis impedimenta sunt, quum servo & captivo nō proprio nutu, nec in quodvis objectum liceat exercere virtutē. (2) *Corpus, ut sanitas*, quæ consistit (1) in optimâ summaq; humorum temperaturâ (2) in apta & proportionata membrorum dispositione. Quam a. acceptabile sit bonâ cum valeditudine & sine dolore præclari quicquam gerere, ex opposito patet, videl. quam acerbum sit, idem cum jacturâ valetudinis & inter maximos corporis cruciatus peragere. *II. Externa*, quæ felicitati extrinsecus ita accedunt, ut sint extra possidentem, qualia sunt 1 *Res.* 2. *Personæ*, quæ ad summi boni perfectionem requiruntur, ut sunt Amici, qui mutuâ benevolentiâ se prosequuntur. Hisce, ut virtute præditis, beatus opus habet, ut sint, quorum virtute se oblectet, & in quibus suam contempletur. Cum a chartæ præsentis angustia accuratam amicitiæ tractationem non admittat, eam in aliam rejiciam disputationem.

(2) *Divisio* I.

2.

37. *Sunt* a. *Res duplices*, 1 *Possessionis, ut Divitiæ*, quæ omninò ad felicitatis integrum statum requiruntur, ita ut his totaliter

desti-

destitutus fruſtra ad præclara aſpiret. Ubi tamen nota diſtinctionem Peripateticorum, inter ſummi boni eſſentiam præcisè conſideratam, & inter ejuſdem exiſtentiam ſeu integritatem: Ad hanc non illam bona hæc referuntur; cujus diſtinctionis declarationem vide ap Ariſt 1. Eth. Eud. c. 2. Sunt a. divitiæ *duplices* 1. *Naturales*, quæ ab ipſa natura nobis tribuuntur, ut ſuccurratur humanæ indigentiæ: ut eſt cibus, potus, veſtitus, habitaculum, aut alia, quæ per ſe primò ad corpus alendum aut tegendum deſtinantur. 2. *Artificiales*, quæ humanâ induſtriâ ſecundariò vitam juvant, ſc. quatenus earum beneficio naturales illæ comparãtur, ut ſunt nummi & reliqua artificioſa. Vid. Ariſt 1. Pol c. 6. *II. Dignitatis, quæ* eſt eminentia perſonæ, propter virtutem perſonæ ejusq; actionem. Conſtituitur a. dignitas aliàs *duplex*, *I. Generalis*, quæ generaliter cuivis bono obvenire poteſt: *ut eſt* (1) *Honor*, qui eſt dignitas magno cum affectu, à prudenti collata illi, de cujus virtute inſigni & meritis in Rempubl. conſtat. (2) *Gloria*, quæ eſt dignitas conſiſtens in unanimi actionũ rectarum celebratione. (3) *Laus*, quę dicitur dignitas à multis collata alicui ob habitũ virtutis etiam minus excellentẽ. (4) Bona fama, quæ eſt dignitas alicui ob vitæ integritatẽ, & à ſceleribus graviorib⁹ immunitatem, tributa à bonis, quos ſæpè non novimus. *II. Specialis*, quæ certis perſonis ſpecialiter competit, ut eſt dignitas generis, Cæſarea, Regia &c. de quibus in Politicis agendum.

5. *Effectus immediati*

38. Sequuntur jam *immediati effectus* S. B. qui *duplices* ſunt. 1. *Conſcientia bona, ſc. non antecedens*, quæ actionem virtuoſam antecedit, illamq; dirigit, de hac diſp. 4. aget; *ſed Conſequens*, quæ actionem jam factam inſequitur, unde Conſcientia illa bona dicitur operatio intellectus, examinans facta cum lege & rectâ ratione conſentientia, & reſultans cum adjunctâ lætitia. *Hinc II. Voluptas*, & quidem *1 non corporis*, de quâ voluptate alibi; *ſed animi*. 2. *Honeſta*, *non autem turpis*.

II. *Reſpectiva.*

39. Sequitur ultimo loco *Reſpectiva* ſummi boni *conſideratio*, quæ fit in collatione cum ſuo oppoſito, quod eſt miſeria civilis & præſentis vitæ, cujus deſcriptio ex oppoſito S. B facilè elucescet. Hinc Piccol. gr. 9. c. 49 eam ex oppoſito ſuo deſcribit, quod miſeria ſit actio improba ex perfecto vitio prodiens in vita perfecta.

COLLEGII PRACTICI GENERALIS
seu ETHICI
DISPUTATIO TERTIA
DE
OBIECTO ETHICÆ

Quam

Auſpicio Sacroſanctæ Trinitatis
Et
Conſenſu Ampliſſimi Senatus Philoſophorum
In
Incluta ad VARNUM Academia

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS ELERI
Rigâ-Livoni,

Defendendam ſuſcipit

JOACHIMUS ROVERUS
Hamburg.

Horis locoq; conſuetis die 9. Decembr.

Quemadmodum apes ex thymo aſpero & ficciſſimo optimum mel conficiunt; ita vir beatus in rebus etiam aſperrimis invenit præclari quid.

ROSTOCHI
Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ.
Anno M. DC. XXVI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0057
DFG

THESIS I.

ANalyticus ordo Philosophiæ Practicæ monet, ut à fine ad objectum, in quod finis per media introduci debet, progrediamur, quippe sine cujus cognitione, saltem aliquali, finis accuratè non introducetur. Ut enim medicus corpus humanum curare non potest, neque sanitatem, tanquam finem suum, introducere, nisi subjectum suum præcognoscat ex Physica & anatomica sectione; ita Ethicus animo hominis medicinam parare non poterit, nisi illius naturam, quantum ad hanc rem necessum est, perspectam habet. *Objecti consideratio.*

2. Potest autem *objecti Ethici consideratio* esse *duplex*. *I. Generalis*, qua generaliter objectum hoc enodatur secundum communem rationem objectorum, *juxta quam* in omni objecto *duo consideranda* sunt. 1. *Materiale*, quod est res considerata, quæ communis esse potest multis distinctis disciplinis. Sic homo consideratur in Physica, Medicina, Ethica & Theologia; perinde ac aurum & à Physico, & à Chymico, & ab aurifabro communiter consideratur. 2. *Formale*, quod est ipse modus considerandi seu ratio, ob quam objectum ad certam disciplinam restringitur, & cœterarum disciplinarum objectis contradistinguitur. Sic homo, licet materialiter multis disciplinis sit communis, tamen in singulis peculiarem considerandi rationem obtinet. In Physica enim homo consideratur, ut est contemplabilis, hoc est, prout est subjectum necessarium, certas possidens affectiones per causam demonstrabiles; in Medicina, prout est sanabilis; in Ethicis, prout est beabilis civiliter; in Theologia, prout est beabilis spiritualiter, id est, informandus ad vitam æternam. I. Generalis.

II. Specialis, qua specialiter objectū hoc Ethicum consideratur, videlicet, prout civili beatitudini subst. II. Specialis. *Juxta quam objectum est*

I. *Absolutum.*

II. *Limitatum.*

3. *Et tunc objectum* illud Ethicum *duplex* statui potest. I. *Absolutum, seu Subjectum Denominationis*, quod est ipsum Compositum, cui civilis beatitudo tribuitur, estq; h. l. Homo, ut est civiliter beabilis. Hominis enim informationem civilem Ethica intendit, & quidem, quoad animum, non corpus, quippe cujus curationem Medicina spectat. II. *Limitatum*, id est, Determinatum, & Subjectum Quo, quod est ipsa res specialior, secundum quam felicitas civilis suppositio, seu homini, competere dicitur. *Hoc* Subjectum rursus duplex statui potest. 1. *Remotius aliquantum*, ut facultas appetitiva 2. *Proximum magis*, ut actio humana moraliter informanda, & quatenus honestas in eas refulgere debet. Utrumq; Ethicus considerare cupit, imitatus Medicum prudentē, qui ut morbo ipse radicitus tollatur, & morbi causam tollit; sic Ethicus, quò humanarum actionum imperfectionem corrigat & tollat, ipsius appetitus vitium curare intendit, quippe à quo actiones humanæ fluunt. De actionibus a 4. aget disputatio.

I. *Facultas appetativa cuius consideratio.*

4. *Facultas appetitiva* hic consideratur, prout est rationis compos, non expers. Hinc ab Ethico objecto removentur & facultas vegetativa, & ejus actus, quà tales, quia neutrum vel rationem habet, vel ejus imperio subjacet, nisi per accidens planè, quatenus per oppositi remotionem bonum quid inducitur, v. g. si morbus corripuerit membrum aliquod, arte nutritio mala in bonam commutari potest, propter impedimenti remotionem, ob quam anima vegetans rectiùs exequitur munus suum quam antè, licet ejus functio, videlicet nutritio, propriè & per se consilio non regatur, quippe quum in tua potestate non sit, ut rectè aut pravè nutriaris, sed dependet hoc ipsum *tùm* ab organorum dispositione, *tùm* à nutrimenti qualitate. *Dixi notanter* removeri ab objecto Ethico facultatis vegetativæ actus, quà tales, quia applicatio agentis ad patiens (videlicet cibi ad corpus) in nostra esse potest potestate, perinde atque collisio chalybis & silicis fieri potest pro nostro lubitu, ut ignis excutiatur; aut ut lignum quernum alteri subjacenti pro beneplacito nostro applicari potest, ut ex attritu lineæ nigricantes imprimantur

tur ligno alteri substrato. Undè hic probè distinguendus est ipse actus ab applicatione agentium & patientium, hæc enim in nostra esse potest potestate, ille non. Potest autem *appetitivæ facultatis consideratio* esse *duplex*. *I. Generalis*, in qua considerantur ea, quæ communia sunt utriq; facultati appetitivæ, & rationali & sensitivæ. *II. Specialis*, in qua quælibet facultas appetitiva specialiter consideratur, secundum ea, quæ cuivis specialiter competunt. I. Generalis. *in qua.*

5. *In generali consideratione tria* notentur. *1. Actus generales, qui* in cognitione præditis constituuntur *duplices*. 1. *Boni persecutio*, quâ appetitus sensitivus jucunda persequitur, voluntas præterea & honesta appetit. Hic actus, si vocis usum spectemus, propriè appetere dicitur. *2. Mali evitatio & fuga*, qua appetitus sensitivus, quantum potest, in jucunda declinat. Sic & voluntas malum avertere annititur. *II. Objectum* appetitus, qui, si in omni sua latitudine consideretur, pro objecto habet *& bonum* sive verum, sive apparens, scil. quoad actum persequendi; *& malum*, scilicet quoad actum vitandi. De objecto hoc voluntatis specialius aget. th. 12. *III. Conditio sine quâ non*, sive *requisita antecedenter*, videlicet sine quâ antegrediente appetitiva facultas actus seu motus suos non facilè exerit, *est* q. h. l *cognitio*, per quam appetibile præcognoscitur, quum appetitus in iis, quæ cognitione pollent, cognitionem proportionaliter sequatur, dum voluntas liberè appetit, quod ratio bonum judicat; appetitus autem sensitivus id, quod sensus judicio bonum est. Hinc *cognitio* hæc statuitur *duplex*, *1. Sensitiva*, quæ fit sensuum beneficio, v. g. quando mediante visu cognoscitur corporis visibilis color & lux; quando mediante auditu cognoscitur sonus. *2. Intellectiva*, quæ fit intellectus nostri operatione, ut quando per speciem intelligibilem cognoscimus res extra intellectum nostrum existentes, quoniam species illa intelligibilis idealiter intellectui nostro repræsentat ipsum objectum. De hac cognitione fusiùs agitur in Physicis, ut & Pneumaticis. *1. Actus.* *2. Objectum.* *3 Conditio sine quâ non.* 1. 2.

6. *Specialis* consideratio *duplex* esse potest. *1 Absoluta*, qua quælibet facultas speciatim & absolutè in se suaq; naturâ II. Specialis.

consideratur. *II. Respectiva*, quâ facultates appetitivæ considerantur quoad mutuam à se invicem discrepantiam, *quæ* hîc duplex esse potest, *1. Subjectiva*, quâ distinguuntur subjectis, nam voluntas sedem suam habet in anima rationali, quippe cujus appetitus est, & à quâ, ceu principio suo, provenit; contrà appetitus sensitivus in anima sentiente est, à qua etiam provenit. 2. *Objectiva*, quâ objectis differunt, dum objectum voluntatis propriè & formaliter est bonum intelligibile, quod, si ratio rectè se habet, honestum est; ast appetitus sensitivi objectum est bonum sensile, seu quod sub sensus cadit, estq; bonum jucundum & delectabile. Et licet hæc duo bona quandoq; materialiter in unum coëant, tamen formaliter distinguuntur, & quandoq; reipsa sequestrantur, ut sæpè adhuc hodie multi ingeminent illud Medeæ: Video meliora proboq;, deteriora sequor.

I. Voluntatis. quoad

7. *Absoluta* consideratio respicit specialiorem enodationem cujusvis *facultatis appetitivæ*, 1. *Rationalis* per essentiam & ex se, *quæ* alias peculiari nomine dicitur *Voluntas*. 2. *Sensitiva*, de qua sequens aget disputatio.

I. Ονομα-τολογίαν. *in qua*

8. *Voluntatis consideratio* hîc *duplex* esse potest. *I. Nominalis*, quæ est secundum vocem & nomen. *II. Realis*, quæ est secundum ipsam rem, pro quâ vox voluntatis supponitur sive accipitur.

(1) *Notatio.*

9. *In Nominali* consideratione *duo* hic potissimùm notentur. *I Notatio*, secundum quam Voluntas quoad primævam impositionem derivatur ab actu volendi positivo, tanquam à potiori parte. Id enim propriè appetere dicimur, quod persequimur. Quùm autem in voluntate duas quasi partes præscindamus, quarum una est ad volendum, sive exercendum actum, altera ad nolendum, sive suspendendam actionem, notatio hæc Synecdochica erit, dum tantum unâ respicit partem. Ab hac primæva impositione modernus deviat usus, qui utrumq; per vocem voluntatis liberæ intendit, videlicet & actum, & actus carentiam, sive suspensionem.

(2) *Æquivocatio.*

II. Æquivocatio, juxta quam voluntatis consideratio statuitur *duplex. 1. Generalis*, quâ voluntas præcisè & in genere cõsideratur,

tur, prout competit Deo, Angelis & animæ rationali. Hoc modo voluntas in Pneumaticis consideratur. *II. Specialis*, quâ determinatè & in specie voluntas humana enodatur. *Hæc rursus duplex* esse potest. 1. *Speculativa*, quâ voluntatem hominis contemplamur theoreticè, prout est affectio hominis, ipsi competens propter animam rationalem, & sic in Physicis consideratur. 2. *Practica*, prout voluntas hominis virtutibus imbui debet moraliter. *Practico* hoc *modo adhuc considerari potest voluntas* (1.) *potentialiter*, tanquam potentia quædam volendi, Ethicè informanda. Et sic hoc loco consideratur. 2. *Actualiter*, quatenus actum volendi notat Metonymicè, dum effectus pro causa seu voluntate supponitur, ut cum dico: Rex habet bonam voluntatem ad regnum h. e. diligit. Hoc modo considerabitur in dis 4. prout actus voluntatis sunt principia actionum exteriorum. (3.) *Objectivè*, pro ipsa re volita, ut cum dico: Voluntas regis est, ut fur suspendatur h. e. suspensio furis est res volita à rege.

10. *Realis* consideratio statuatur *quadruplex. I. Definitiva. II. Objectiva. III. Effectiva. IV. Attributiva.*

11. *Definitiva consideratio* continet voluntatis descriptionem, quæ *hæc esto: Voluntas est facultas animæ rationalis, quâ homo res ab intellectu cognitas appetit vel aversatur. Hæc definitio resolubilis est in conceptum duplicem. 1. Latiorem sive contrahibilem*, in quo voluntas cum intellectu convenit, *quique duplici circumscribitur voce*, dum dicitur. 1. *Facultas* seu potentia naturalis, quâ anima rationalis redditur primò apta ad eligendum bonum & respuendum malum. Hinc facultas hæc, ut cæteræ omnes, ab anima distinguitur realiter, tanquam accidens à suo subjecto substantiali, ponitur enim hæc facultas in qualitatis specie secundâ, quæ est naturalis potentia seu aptitudo. Est autem voluntas facultas (1.) *Activa*, quæ effectivè suas producit actiones. *Ratio* desumitur 1. ex formali libertate voluntatis, ob quam in voluntatis potestate est, actiones suas exercere vel suspendere, seu non exercere. 2. A natura immanentis actionis, quæ in suum principium resultat, in quo tanquam in subjecto recipitur. Atqui actum volendi

II. πραγματολογίαν, in qua I Definitio in qua conceptus: (1) Latior. 1.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0063
DFG

lendi esse actum immanentem cuivis patet. (2) *Non autem passiva*, quasi voluntas ad actus suos determinaretur ab alio aliquo principio, effectivè determinante. Hujusmodi passivam determinationem non dari in voluntate *probatur dupliciter*, 1. *Generaliter*, quia passio, ut sic, non est libera patienti, ut sic, & per se, sed solum quatenus actio, à quâ passio illa provenit, ipsi est libera. Hinc libertas voluntatis non passiva sed activa potentia est. Vide gratia brevitatis Svar dis. Met. 19. s. 2. n. 19. 2. *Specialiter*, à remotione specierum ad remotionem generis h. m. Neque phantasma, neque objectum cognitum, neque intellectus effectivè determinare potest voluntatem. Ergo nullum principium eandem effectivè determinabit. *Antecedens* patet. (1.) de Phantasmate, quia anima in statu separationis liberè actus suos elicit seu vult, neq; tamen phantasma possidet, quod nota contra Godfridum, qui statuit volutatis actus produci effectivè, non à voluntate, sed à phantasmate, teste Becano Theol Schol. par. 2. tom. 1. tr. 1. c. 2. q 6. (2) de Objecto, quia illud voluntatem effectivè & Physicè determinare nequit, neq; secundum esse reale & actuale, quia objectum voluntatis sæpè realiter non existit, v.g. quando ægrotus appetit sanitatem; neque secundum esse possibile & apprehensum, quia tunc secundum statum possibilem Metaphoricè saltem agit, & ut causa finalis, non autem realiter, Physicè & activè producit actionem. 3. De intellectu vide thes. 25. quæ aget de habitudine intellectus ad voluntatem.

2. 2. *Animæ rationalis*, scilicet facultas. Est enim anima rationalis proximum subjectum, cui per emanationem & naturalem resultantiam ineſt hæc facultas. *II. Strictiorem, sive contrahentem, qui* desumitur tripliciter. *1. ab objecto*, videlicet re vel appetibili vel vitabili. *2. à conditione sine quâ non*, videlicet cognitione intellectuali, quâ res appetibilis prægnoscitur. *3. Ab actu sive effectu duplici*, videlicet appetitione & aversatione. De singulis seorsim.

(2) *Strictior.*

II. Objectum. quod est 1. *Bonum.*

12. *Objectiva consideratio enodat Objectum* voluntatis, *quod* in omni sua latitudine *duplex* statuitur ab antiquis Scholasticis. *I. Bonum, scilicet quoad actum volendi & appetendi objectum.*

ctum. Ubi duo de Bono hôc notentur. 1. *Ratio formalis*, sub quâ bonum voluntatem nostram movet & excitat ad sui appetitum, quæ formalis ratio motiva est ipsa bonitas & convenientia objecti, quatenus objectum appetitur sub ratione & conditione saltem boni. *Ratio* desumitur ex natura appetitus, qui est inclinatio appetentis in aliquid conveniens, vel secundum rei veritatem, vel secundum apprehensionem & opinionem saltem. Ast hujusmodi conveniens non est nisi bonum, ceu ex definitione bonitatis patet, quod sit perfectio enti conveniens. Hinc & Arist. l. 1. Eth. c. 1. ait. Bonum esse, quod omnia appetunt. Unde rectè *distinguunt Scholastici inter objecti & appetiti materiale*, quod est ipsa res, quàm voluntas appetit, estq; sæpè malum quid; *& inter formale*, quod est ratio movens voluntatem, & propter quam appetitur, estq; semper conditio & ratio bonitatis, ita ut malum, quâ malum, nunquam appetitum nostrum terminet in actu persecutionis. *Dico notanter*, quâ malum, quia quando voluntas quandoque appetit malum, id non fit formaliter, sub ratione ipsius malitiæ, sed potius sub ratione alicujus bonitatis. *Potest autem malum sub ratione alicujus bonitatis appeti dupliciter*, (1) *Simpliciter*, quatenus malum boni speciem mentitur intellectui nostro, à quo sub specie boni simpliciter erroneè apprehenditur, & voluntati offertur. Hoc modo sub specie boni Hydropicus potum, sibi aliàs nocivum, desiderat; expetit & febricitans vinum, quod ipsi maximo detrimento esse solet. Sic & sub specie boni Eva fructus vetiti intendebat comestionem. Gen. 3. Vide & Scal. exer. 299 s. 2. de hac ficta specie boni. (2.) *Determinatè*, *& secundum quid*, quatenus malum expetitur, *vel* propter majoris mali evitationem, *vel* adjunctam utilitatem, sive connexionem alicujus boni. Hoc modo aliquis hosti suo appetit dedecus, pauper-tatem, imò ipsam mortem, ceu ex facto Simei patet, 2. Sam. 16. propter nimirum adjunctã utilitatem, dum n. hosti mala precatur, putat sibi bonum esse nocere hosti. Sic quando quis bonum propositum & cognitum respuit, ut experiatur libertatem, facit id ob rationem boni, quam putat inesse ipsi experi-

1.

(1.)

(2)

perimento libertatis. Sic habitus pravus intemperantiæ dicitur inclinare voluntatem ad malum seu luxuriam, propter annexum aliquod bonum, videlicet delectationem, quam concipit in ipsa luxuria. Sic privationes alicujus boni (v. g. strangulatio, in aquam præcipitatio &c.) expetuntur propter bonum quid adjunctum, dum ex opinione illorum majus malum tollitur, ceu patet exemplo Raziæ 2. Maccab. 14. v. 37. 41.

2. *Distinctio, juxta quam bonum consideratur,* (1.) *ratione nostræ apprehensionis, & tunc Bonum aliud est verum*, quod tale in rei veritate est, quale ab intellectu nostro existimatur & cognoscitur, v. g. datio eleemosynæ propter honestatatem, bona est per se & in se, & in nostro conceptu; *aliud apparens*, quod appetitum nostrum movet, non ut est in re, sed ut apparet esse, adeoque saltem existimatur bonum. Hujusmodi bonum est interfectio Lucretiæ, suspensio Achitophelis. 2. Sam. 17, 25. Judæ, Matth. 27, 5. Utrumque bonum hic consideratur. (2) *Ratione ordinis*, quo bonum movet appetitum. *Et tunc bonum* juxta Arist. 1. Magn. Mor. c. 2. *duplex est* 1. *Finis* qui per se expetitur. Consideratur autem Finis in duplici statu (1.) possibili, h. e. prout adhuc obtineri & acquiri debet, & sic versari dicitur circa finem tum amor, tum intentio. (2.) actuali, h. e. prout jam acquisitus est, & sic circa illum versatur gaudium & fruitio, 2. *Medium*, quod, ut tale, expetitur propter finem, unde voluntatem non movet, nisi in ordine ad finem. v. g. si non adeò bellè valeo, appeto sanitatem, ut finem, medicamenta autem ut media, quibus sanitas parabitur. *II. Malum*, scilicet *quoad actum nolendi*, quo homo fugit mala ut talia, h. e. ut apprehenduntur tanquam disconvenientia, sive verè, sive apparenter. Sic avarus beneficiorum retributionem, in se alias honestam, aversatur, quia illam inutilem & disconvenientem judicat. Ex hisce patet *error Nominalium*, qui asserunt, voluntatem posse appetere etiam malum, quâ tale, & odisse bonum, ut bonum est. Argumenta hujus sententiæ si expetis, gratia brevitatis vide Wilhel. Occam 3. sent. dist 13 ad dub. 3. Joan. Scotum 2. sent. dist. 43. q. 2. quæ tamen omnia ex præsuppositis nostris facilè diluentur.

2.

2. *Malum.*

13. *Effe-*

13. *Effectiva consideratio enodat actus*, qui à voluntate pendent. *De his* autem voluntatis actibus *duo* potissimum hic notentur. *I. Distinctio. II. Conditio sine qua non.*

III. Effecta seu actus, de quibus 1. Distinctio, in qua actus (1) Elitici.

14, *Distinctio* explicat, quotuplices actus illi sint, qui à voluntate pendent. *Sunt* autem *duplices*. 1. *Eliciti*, *qui* immediatè ab ipsa voluntate eliciuntur, in qua & manent. Hi actus eliciti *dupliciter describuntur*. *1. Positivè*, prout actus exercendus notatur, cujusmodi est ipsum velle, consentire & eligere; ubi voluntas vult & approbat objectum propositum, vel actum circa illud exercendum. *2. Privativè*, prout carentia actus potiùs denotatur; ut est ipsum nolle, sive non-velle, quà exprimitur habitudo ad ipsam carentiam actus & approbationis. Hujusmodi voluntas erat in Judæis, quando renuebant carnis Suillæ esum, & Bacchi sacrificia, ad quæ tamen per lictores & carnifices Antiochi protrahebantur. 2. Maccab. 6. & 7. Hæc voluntas, licet Metaphysicè actum neget, moraliter tamen non dicitur exerceri absque omni actu voluntatis, quo refugit & renuit malum, ita ut ipsum nolle sit aliquid velle negativum ex parte objecti, scilicet velle aliquid non esse, aut non esse hoc vel illo modo. Isennac. lib. 8. Phil. nat. tr. 1. n. 2 *Hoc* autem *nolle* tunc *dupliciter sumi potest*. (1.) *Simpliciter & absolutè*, quatenus assensus & approbatio objecti propositi, aut actus alicujus circa illud, præcisè negatur absq; connotato conatu impediendi, ut cũ Germani dicunt: Es gefellt mir nicht. v.g. cum parens petulantis filii factũ necvult nec approbat, idem tamen correctione impedire non conatur, noluntas illa dicitur absoluta & simplex. (2.) *Mixtè & connotativè*, quando præter approbationis & volitionis negationem connotatur *vel* conatus impediendi, *vel* conversio ad objectum repugnans aut diversum. Hujusmodi noluntas connotativa erat in Abigajila, Nabalis uxore, dum irati Davidis adventum & nolebat, & per deprecationem atque oblata munera avertere conabatur. *1.* Sam. 25, *18.* seq. hic enim connotatur conatus impediendi. Idem judicium institue de noluntate Micholis, quæ Davidis interitum & nolebat & avertebat. *1.* Sam *19*, *11.* seq. Sic decem tribus Rehabeamum

beamum regem & noluerunt, & simul se ad Jeroboami, ut diversæ personæ, electionem converterunt, *1.* Reg. 12, *16. 20.* ubi præter carentiam approbationis Rehabeami connotatur conversio ad objectum diversum, videlicet Jeroboamum.

(2) *imperati, ubi notetur*

II. Imperati, qui ab aliis potentiis, quas voluntas excitat, eliciuntur ad voluntatis imperium, unde & actus imperati dicuntur, scilicet ratione voluntatis, à quâ solùm imperantur, non eliciuntur. v. g. ambulatio proximè (non è voluntate emergit, quippe per quam illa homini primò non competit, sed) per locomotivam potentiam producitur, & voluntaria dicitur, quatenus locomotiva in producendo actu ambulationis imperio voluntatis paret. Ut autem horum imperatorum actuum natura exactiùs cognoscatur, *duo* hic probè *observentur*, videlicet *Imperij hujus* 1. *Modus*, videlicet quomodo voluntas reliquis potentiis reginæ instar imperet. 2. *Objectum*, videlicet quinam sint actus reliquarum potentiarum, ad quos hoc voluntatis imperium se extendit, & quinam eidem subjaceant.

Imperium voluntatis. 1.

15. *De modo imperij* hujus notetur, *quod hic consideretur imperium. 1. Non Externum, & propriè dictum*, quo suppositum supposito alteri actu imperat. Imperans enim & objectum, cui imperatur, distingui debent. Hujusmodi imperium competit Magistratui in subditos, domino in servos. *Hoc externum & propriè dictum imperium duo requirit. 1. Præscriptionem* seu ostensionem ejus, quod fieri debet. Sic Magistratus per legem præscribit & indicat subdito, quomodo vitam suam instituere debeat. Unde per legem Magistratus illuminat intellectum subditi, præscribendo ipsi normam ac regulam vivendi. Ob defectum hujus requisiti muneris voluntati imperium propriè dictum non competit, quia ipsi judicium & denunciatio non competit, voluntas enim nec judicat nec denunciat quidquam, cum sit potentia per se cœca, sed solùm appetit & impellit. Contrà ob requisiti hujus positionem, imperium aliquale, & impropriè dictum, Intellectui Practico tribuunt Philosophi, quatenus ipse illuminat & dirigit voluntatem, ipsiusq; actibus normam ac regulam præscribit

scribit, inveniendo & ostendendo veritatem Practicam, seu quid in vita sequendum, quidvè fugiendum sit. Quod autem intellectus, tanquam prima & princeps facultas hominis, reliquis præsit, & certo modo, licet impropriè, imperet, patet ex Aristotele etiam 1. Pol. c. 3. ubi ait ῥῆν, seu Mentem appetitui ut regem aut Magistratum imperare. & 1. Eth. Nic. c. ult. tex. 113. ait, facultatem appetitivam parere & obedire rationi. 2. *Impulsum ad agendum.* Potest autem *impulsus* esse *duplex.* (1) *Impropriè dictus*, qui respicit nudam suasionem & hortatum ad alacritatem executoriam, sive ut quis promptè & alacriter præcepta exequatur. v. g. Si princeps audito & approbato consilio remissior est in executione apud subditos, Consiliarius ipsum principem excitare & impropriè impellere dicitur hortando, ut alacriter executionem urgeat, quod facit Consiliarius *partim* concessione Principis, qui ipsi in mandatis dederat, ut, ubi remissior foret in executione, hic ipsum principem moneret, excitaret & impelleret ad urgendam efficaciter executionem: *partim* rationibus suasoriis. Similiter quidam Scholasticorum hunc improprium impulsum attribuunt intellectui respectu voluntatis, quando hæc eligit media, placentia quidem, sed retardantia ipsam ab executione ob annexas difficultates; tunc enim dicunt intellectū practicum impropriè impellere & incitare voluntatē ad urgendam executionē suasione rationabili. h. m. Urge executionē, quid torpes? erit ex re tuâ, si feceris &c. vide Becanum Theolog. Schol. par. 2 tr. 1. c. 3. q. 7. Hic impulsus propiè dictum imperium & regimen non constituit. (2) *Propriè dictus*, qui respicit jurisdictionem & auctoritatem superioris in inferiorem, qua inferiorem movet ad parendum. Hic impulsus hic observatur, quia imperium propriè dictum est ostendere alteri, quid facere eum velis, cum vi quadam cogendi, ni pareat. Hujusmodi impulsus competit Regi in subditos, quos impellit & ad parendum movet. Ob defectum hujus requisiti propriè dictum imperium denegatur intellectui, quia authoritate & jurisdictione quadam voluntatem impellere non potest, quum *voluntas non sit ad parendum intellectui alligata*,

quia voluntas est primum movens in regno animæ. Vide Henricum Gandavensem quodl. 9. qu. 6. Imo contrariatur hic impulsus formali libertati voluntatis, ob quam, cum sui sit juris & arbitrij, ad parendum ab intellectu cogi & impelli
2. nequit. *II. Sed internum & impropriè dictum*, quod tantum secundum similitudinem, adeoq; secundum quid saltem datur inter diversas potentias animæ in uno eodemq; supposito humano, & consistit in harmonia & concordia distinctarum animi facultatum. Consistit autem illa similitudo imperij in convenientia partiali & proportionali, quod videlicet unum illorum, ex quibus imperium propriè dictum constat, facultati cuidam hominis competat. v. g. voluntati competit impulsus & motio reliquarum facultatum ad parendum; quemadmodum intellectui Practico competit præscriptio & denunciatio agendorum, neutri autem facultati, sigillatim & seorsim consideratæ, utrumq; requisitum competit, ob quam causam imperium propriè dictum non nisi toti supposito competit, intellectu & voluntate prædito. Vide plura apud Gabriel. Vasquez. in 2. dist. 49. c. 4.

16. Hinc imperium voluntatis in reliquas potentias est usus activus, quo voluntas efficaciter imperat alijs potentijs, ut eliciant suos actus. *Potest* autem *considerari hoc imperium*
(1) voluntatis in reliquas potentias dupliciter. *I. Absolutè*, quat. præcisè consideratur, prout est à voluntate saltem, imperante reliquis potentijs operationem. *Et tunc imperium istud est* 1. πολιτικὸν *& civile*, quale Rex alicujus Reipubl. habet in suos cives, qui quidem propter imperium principi obediunt, interdum tamen jussa detrectant, quia liberi sunt. Vide Thom. 1. par. sum. q. 81. art. 3. Hinc Arist. 1. Eth. c. ult. t. 112. appetitum sensitivum comparat membro alicui corporis resoluto, quod sæpe, cum à paralytico dextrorsum impellitur, sinistrorsum tamen fertur. 2. *Non autem* δεσποτικὸν & Herile, quale habet Dominus in servos, qui facultatem non habēt resistendi voluntati Domini, cum non sint amplius sui juris. Non esse autem hoc imperium voluntatis herile, patet ex eo, quia sæpe impetus à sensu aut imaginatione suscitantur non advertente

vertente intellectu, quiq; omnem voluntatem antevertunt. Imò experientia testatur, Phantasiæ sæpè obrepere imagines, & in ea hærere, quas quam maximè vellemus abesse. Unde arbitrium voluntatis sæpè irretitur & impeditur ob contumaciam & pravitatem sensitivi appetitus, qui voluntatem ad id inclinare solet, quò ipse secundum suos affectus & desiderium boni delectabilis propendet. *II. Respectivè*, quatenus reliquæ potentiæ cum voluntate conspirant, & sic dari potest imperium & regimen planè despoticum & herile, v. g. si appetitq; sensitivus voluntatis impulsum sequitur, motus membrorum, qui ab anima sentiente sunt, refragari non possunt, propter conspirantem appetitum sensitivum. *Ratio* desumitur ex dependentia instrumentorum sive organorum corporeorum, quibus hi motus perficiuntur, ab anima ejusq; potentijs, quippe quarum causarum instrumenta sunt, omne a. instrumentum inservit suo principali agenti, à quo accipit actionis determinationem. (2)

17. Sequitur jam *objectum* hujus imperij, videlicet, quinam sint actus reliquarum potentiarum, qui huic imperio voluntatis parent. *Sunt* autem hujusmodi *actus imperati triplices. I. Ipsius intellectus*, cujus actus dupliciter voluntati subjacent. 1. *quoad exercitium eorum*, juxta quod omnes actus voluntarij sunt, quia voluntas movet intellectum quoad eliciendam vel non eliciendam actionem, ut enim rem consideres vel non consideres, voluntatis tuæ est, quùm tibi liceat de eo constituere pro arbitrio tuo. Quin & intellectus quoad ulteriorem & accuratiorem meditationem dependet à voluntate, potest enim voluntas jubere, ut intellectionem recolat. Vide Scaliger. exercit. 307. s. 25. videlicet, quando voluntas appetit rem, cujus media nondum sunt cognita, potest intellectum stimulare ad ulteriorem mediorum cogitationem. 2. *quod specificationem etiam*, h. e. ut determinetur vel adsensus vel dissensus. Et sic juxta Clar. Horneium Ethic. l. 2. c. 4 p. 174. Voluntas movet intellectum *in conclusionibus probabilibus* (1), quæ in utramq; partem æquè sunt disputabiles & probabiles. Quamdiu enim intellectus noster *vel* convictus

Objectum imperij.

(1)

ctus non est, *vel* sibi non videtur convictus, ceu in probabilibus fit, tam diu potest pro lubitu tam adsensum quam dissensum, *vel* determinare, h. e. sequi illud, quod nobis pro tempore placuerit; *vel* suspendere pro lubitu. 2. *Non autem in Necessariis*, quæ causas Necessarias, & intellectum convincentes, *vel* habent, quia sententiam, cujus veritatem advertit, repudiare nequit, & licet huic sæpè quis contradicat ore, non tamen id animo vel mente præstabit, ceu patet de primis principiis & conclusionibus demonstratis, quæ veritatem evidentem habent, & intellectum cogunt; *vel* saltem videntur habere hujusmodi causas necessarias, quia error isto obstat,
(2) ut dissentire intellectus non possit. *II. Animæ sensitivæ*, ut sunt imaginatio & affectus, potest enim voluntas imaginationem, quæ motus excitat, aliò avertere, & reprimere surgentes animi motus, si placuerit, *non autem animæ vegetativæ actus*, quippe qui in nostra potestate non sunt. Vide Perer. l. 1. de Philos. c. 2 p. 6. Unde rectè dicitur Matth. 6. v. 27. quod nemo ad staturam suam vel cubitum addere possit, quia au-
(3) gmentatio in nostra potestate non est. *III. Externorum membrorum*, quæ cum sint organa animæ, ut pro ea huic aut illi facultati inserviant, comiter voluntatis imperium accipiunt in suis actibus, ceu patet de ambulatione.

2 Conditio sine qua non.

18. *Conditio sine quâ non* expetuntur & imperantur actus hi reliquarum potentiarum *est præsupposita* cognitio intellectualis. Ut n. ignoti nulla cupido, sic nullum imperiū in voluntariis incogitis, quoniam voluntas non appetet imperium sine omni notitia. De hac intellectuali præcognitione objecti plura vide th. 25. quum hæc præcognitio etiam elicitis actibus competat.

IV. Attributū vid. libertas, cujus consideratio.

19. *Attributiva* voluntatis *consideratio enodat libertatem voluntatis*, quæ concipitur ut attributum peculiare ipsius voluntatis. *Potest* autem *consideratio* libertatis esse *duplex. I. Nominalis. II. Realis.*

I. Nominalis.

1.

20. *In Nominali* consideratione *notetur Æquivocatio*, *juxta quam libertas* sumi potest quadrupliciter. 1. *à jure seu obligatione*, qua quis solutus est legibus. Hæc soli Deo simpliciter,

citer, hominibus verò non nisi secundum quid tribuitur, vid. quat. legum positivarum humanarum vinculis sunt exsoluti. Hæc h. l. non intelligitur. II. *à Peccato*, quando quis peccatis obnoxius non est. Hæc similiter huc non pertinet, quum homo, dum hanc mortalem vitam vivit, liberius promptiusq; ad vitia ruit, quam ad virtutem. III. *à miseria*. Hac libertate homo destituitur, quum in hoc statu propter peccata miseriis & pœnis sit subjectus. *IV. à necessitate*, & quidem 1. *Coactionis*, quando subjectum violenter non cogitur à principio aliquo extraneo prævalente. A necessitate coactionis licet voluntas omninò libera sit, tamen illa libertas hic non intelligitur propriè, quia eadē competit & rebus inanimatis & brutis, quippe quæ sine coactione agere possunt. 2. *Determinationis seu specificationis liberæ actuum singularium ad utramq; partem contradictionis*, sive qua homo, posito objecto & omnibus requisitis, indifferenter se habet ad utrumq; oppositorū, vid. agere & non agere. Hæc libertas propria est voluntatis, & brutis non competit, quia hæc, objecto præsente & positis prærequisitis actionis, ita in rem feruntur, ut suspendere actionem non possint, v. g. canis, cum à fame urgetur, & cibi præsentis, quem videt & odoratur, compos fieri potest, nihilq; est quod illum impediat (puta plagæ aut metus earum) in cibum fertur necessariò, ut temperare sibi nequeat, quam diu requisita illa adsunt. *Hæc libertas à necessitate determinationis* pro duplici objecto *considerari potest*. (1) *in spiritualibus*, de qua libertate Theologos consule. (2) *in moralibus*. Hæc libertas hic attenditur.

2. (1) (2)

21. *In reali* consideratione *notetur* libertatis. *I. Existentia*, videlicet, quod sit & detur hujusmodi libertas. *II. Definitio. III. Divisio. IV. Conditio sine qua non. V. Objectum.*

II. Realis. *in qua libertatis.*

22. *Existentia* libertatis *in rebus civilibus*, & rationi subjectis, probatur argumento duplici. *I Inartificiali*, sive *à testimonio* 1. *sacro* Gen. 4, 7. Exod. 35, 5. 1. Cor. 7, 36. Hinc & Cain Hanocho filio urbem condidisse, & Politiam quandam ordinâsse dicitur Gen. 4, 17. 2. Profano Arist. & aliorum Philosophorum, quos gratia brevitatis vide apud Svar. dis. Met. 19. s. 2. n. 12. *II. Artificiali*, & quidem 1. *Directè*, *ratione deducta*:

1. *Existentia, videl. quod sit.*

1.

(1) *à con-*

(1) *à consultatione* & cognitione prævia h. m. In hominem cadit & cognitio intellectualis & consultatio. E. & libera electio. *Ratio* connexionis est *tum* quia vitalis appetitus sequitur cognitionem; *tum* quia aliàs natura nobis frustrà indidisset facultatem consultandi de rebus, in quæ nullum est nobis arbitrium. (2) *à modo gubernandi actiones humanas.* h.m. Humanæ actiones gubernantur per consilia, exhortationes, reprehensiones, leges & præcepta. E. sunt liberæ. *Antecedens* patet inductione omnium Rerumpubl. cum nullum sit regnum, quod non habeat consilia, leges, pœnas & præmia constituat. Hic tamen *nota distinctionem inter consiliorum illationem*, qua aliquid liberè statuimus ac decernimus, & inter *eorundem executionem*, quæ sæpe impediri potest ab alio, juxta Prov. 16, 9. Salvâ interim libertate arbitrij. *Ratio* connexionis petitur ex eo, quod aliàs hæc omnia essent supervacanea, si homo operaretur naturæ necessitate, non libertate. 2. *Indirectè per deductionem ad absurdum.* Si enim non daretur hominis libertas (1) non daretur peccatum, sive actio moraliter prava, quia nemo in eo peccat, quod necessitate facit, ceu patet exemplo brutorum, â quibus si damnum homini infertur, inter injurias non repuant, quia indifferenter operari in eorum potestate non est. (2) pœnæ & leges essent injustissimæ, cum ad impossibilia in foro Politico nemo obligetur.

2 Definitio

23. *Definitio hæc esto: Libertas est potentia activa, qua homo operatur cum aliquâ indifferentia. h. e. ut in sua potestate habeat, positis omnibus requisitis, agere & non agere, agere hoc vel illo modo.* Ubi duo *nota*, hic intelligi, 1. *requisita*, non concomitantia, quæ in ipsa actione intrinsecè includuntur, sed *antecedentia*, quæ actui præsupponuntur, de quibus alibi agam. 2. *actu potissimum elicitos.* Nam quod libera sit interdum rei imaginatio & appetitio sensitiva in homine, id fit propter imperium voluntatis, cui obedit facultas imaginativa & appetitus sensitivus.

3. Divisio. 1.

24. *Divisio* sumitur respectu actus secundi sive operationis liberi arbitrij. Estq; *tunc libertas duplex*: 1. *Contradictionis, sive Exercitij*, quando uno objecto proposito illud simpliciter

citer vel eligere possumus, vel non eligere, seu repudiare. 2. *Contrarietatis, sive specificationis*, quando ex duobus vel pluribus objectis oblatis unum liberè eligimus.

25. *Conditio necessaria, sine qua non* facilè eliciuntur liberi actus voluntatis, *est judicium intellectus*, quod ad rem volendam vel nolendam præexigitur, saltem ut conditio sine qua non. Est a. juxta scholasticos nonnullos judicium intellectus duplex. *I. Generale*, quo simpliciter objectum apprehenditur sub ratione boni & convenientis. Hoc judicium, præsertim quoad specificationem, præexigunt necessariò ad voluntatis illuminationem ac directionem. Quum n. voluntas in se sit potentia cœca, objectum suum appetere nequit, nisi id ipsi sub ratione boni ab intellectu proponatur, juxta regulas Philosophorum: *Nihil est volitum, nisi prius cognitum*; & *Tantum diligimus, quantum cognoscimus*, vide Becan. Th. Schol. par. 2. tom. 1. tr. 1. c. 2. q. 5. Hinc quæ intellectus naturaliter ignorat, ea voluntas naturaliter neq; curat neq; æstimat, neq; approbat aut improbat. *II. Speciale, & magis definitum, ratione certarum circumstantiarum loci, temporis & personæ*, vid. quando intellectus practicè judicat hoc isto loco & tempore, & ratione fieri debere, quod Aristoteli est ὑποτάττειν seu ordinare. Tunc enim ratio objectum, quod voluntas proponit, lumine suo ita perfundit, ut perspectis circumstantiis actu expetat voluntas, quod potestate duntaxat expetibile erat. *Hoc judicium* licet voluntati objectum definitè proponat & ostendat, *non* tamen *ipsam voluntatem necessariò determinat*, quod *probatur argumento duplici. I. ab exemplis actuum (1) repentinorum*, qui fiunt sine prævia deliberatione, quosq; vocant motus primò primos, quippe ad quos sufficere potest generalis apprehensio boni, nec necessariò requiritur determinatum judiciũ Practicum. *(2.) deliberatorum*, in quibus licet intellectus Practicè judicet honestum turpi esse præferendum, tamen voluntas pro sua libertate relicto honesto turpe & jucundum eligere potest, ceu patet exemplo Medeæ & eorum, qui contra conscientiam aliquid faciunt, quod tamen sciunt esse prohibitum

2.

4 Conditio requisita: vid. judicium intellectus.

(1.) Generale.

(2.) Speciale.

NB.

1.

2. bitum, & nullo modo faciendum. *2. ab absurdo.* Si enim voluntas à judicio intellectus determinativè dependet, ita ut ab ejus decisione discrepare nequeat, sequitur quod voluntas (1) sit agens necessarium, non liberum, quia tunc in ejus potestate non est positis omnibus requisitis agere & non agere, vel agere hoc aut illud. *Ratio* connexionis est, quia judicium rationis est unum ex prærequisitis. (2) agat ut facultas (non movens, sed) mota, quia ab alio determinaretur, perinde atque potentia locomotiva ad motionem sursum, deorsum, retrorsum, antrorsum, determinatur à voluntate, cujus imperio paret. Ast hujusmodi passiva determinatio formali libertati activæ voluntatis repugnat.

3. Objectū quoad

26. *Objectum libertatis* est, circa quod voluntatis actus liberi versantur. *Possunt* a voluntatis *actus liberi considerari* dupliciter. *I. quoad exercitium*, secundum quod *voluntas liberè*

(1) Exercitium.

1. Appetit Bonum & Universale, & Particulare, perinde atq; de utroq; homo cogitationem liberè vel instituit vel suspendit & tollit. *2. Aversatur malum*, quà tale. *II. quoad specificationem.* Et tunc *Voluntas liberè appetit Bonum.*

(2) Specificationem

1. *Non Universale*, quippe in quod non liberè, sed naturaliter quodammodò fertur, quia quicquid vult, illud non potest non sub aliqua ratione boni velle, ita ut generalem rationem boni egrediatur, & appetat malum quà tale. Nam sicut visus nihil videt, nisi quod habet in se rationem visibilis; Sic quoq; voluntas nihil appetit nisi appetibile, sive quod habet in se rationem appetibilis. Et licèt diversi diversa, imò contraria, appetant, benè tamen sibi cupiunt omnes, & boni quid expetunt. Sic & Malum, quà tale, voluntas non potest non aversari.

2. *Sed particulare*, quod homo liberè potest vel appetere, vel aversari propter malum aut molestiam fortè conjunctam.

SOLI DEO GLORIA.

COLLEGII PRACTICI GENERALIS
seu ETHICI
DISPUTATIO QUARTA
DE
APPETITU SENSITIVO, ET ACTIONIBUS HUMANIS.

Quam
Auspicio Sacrosanctæ Trinitatis
Et
Consensu Amplissimi Senatus Philosophorum
In
Incluta ad VARNUM Academia
SUB PRÆSIDIO
M. JOHANNIS ELERI
Rigâ-Livoni,
Publicè ventilandam subjiciet, & defendendam suscipiet
HEINRICUS Kleinschmidt Rigâ Livon.

In Acroaterio majori die 30. Decembr.
Horis à 7. matutinis.

Anaxarchus, cum inter tormenta mala multa Nicocreonti, Cypriorum Tyranno, ingessisset, & in pila illud ingeminâsset: *Tunde, tunde vascalum Anaxarchi, ipsum enim non teris*, tandem linguam, dentibus sibi præcisam, in faciem Tyranni expuit. Diog. Laêrt. in Anax.

ROSTOCHI
Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ. Anno 1626.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0077
DFG

THESIS I.

APpetitum intellectivum ſ. Voluntatem (de qua præcedens egit diſputatio) jam excipit *Appetitus Senſitivus, cujus conſideratio* hîc *duplex* eſſe poteſt: *I. Nominalis*, ſeu ſecundum nomen & vocem. *II. Realis*, ſ. ſecundum rem, pro qua vox illa accipitur.

II. Appetitus ſenſitivi, cujus conſideratio

2. *In Nominali* enodatione *duo* conſiderâtur. *I. Notatio*, juxta quam hic Appetitus dicitur Senſitivus. *1. ab antecedente*, quia apprehenſionem ſenſitivam ſequitur. 2. *à Subjecto*, quia eſt in anima ſentiente *II. Æquivocatio, juxta* quam Appetitus Senſitivus *conſiderari poteſt dupliciter.* 1. *Simpliciter*, quatenus præciſè ab anima ſenſitiva provenit, competitq; omni animali, ut tali, & ſic ad Phyſicam pertinet. 2. *Determinatè*, prout eſt limitatus per rationale quoad participationem, h e. quatenus imperio appetitus rationalis ſubeſt, & moraliter virtutibus imbuendus eſt. Hoc reſpectu huc pertinet.

I. Nominalis. 1. 2.

3. *Realis* conſideratio *duplex* eſſe poteſt. *I. Definitiva*. *II. Diviſiva*.

II Realis, *in qua* 1 *Definitio*

4. *Definitiva* conſideratio exhibet deſcriptionem appetitus ſenſitivi, quæ hæc eſto: *Appetitus Senſitivus hominis eſt vis, quâ homo præeunte notitiâ ſenſili inclinatur ad bonum ſequendum & malum fugiendum.* Cujus definitionis explicationem pete ex Phyſicis.

5. *Diviſiva* conſideratio *reſpicit diſtributionem* appetitus Senſitivi *in cognoſcibilem*, qui ſimpliciter appetit bonum, & fugit noxium; *& in irascibilem*, qui propulſat adverſantia, & obluctatur eis, quæ utilia ſalutariave oppugnant, Vide Coll. Conimbr. diſp. 6. Eth q. 1 art. 2. Duplicis hujus Appetitus Senſitivi *conſideratio* adhuc *duplex* eſſe poteſt. *1. Abſoluta. 2. Reſpectiva*.

2. *Diviſio. in qua conſideratio.*

1. *Absoluta*

1.

6. *Absoluta & Generalis* consideratio est, *quâ enodantur* ea, quæ absolutè utrique appetitui sunt communia, qualia sunt. *I. Necessitas*, quâ uterque appetitus est animali ad sui conservationem necessarius, parum enim prodesset simplex boni delectatio, & noxij vitatio, nisi conjuncta esset potentia propulsandi id, quòd bonum impedit, & malum subinfert.

2.

II. Motus seu operationes, prodeuntes ab appetitu Sensitivo, quales sunt *Affectus*, quibus armatus quasi est uterque appetitus Sensitivus à natura, ut illorum vi agat id, cui destinatus est. Horum motuum animi enodatio eò accuratior in Ethicis tradi debet, quò magis eorundem exorbitantium emendatio per virtutem ad vitam civiliter felicem facit. Unde horum

Affectuum consideratio

Affectuum duplex adhuc instituatur *consideratio. I Generalis*, secundum ea, quæ omnibus affectibus communia. 2. *Specialis* secundum ea, quæ propria certis affectibus.

I. Generalis.

1.

(1.)

7. *Generalis* consideratio *duplex* statuitur. *I. Nominalis*, quâ h. l. enodatur *Affectuum Æquivocatio, juxta quam affectus sumuntur* dupliciter. 1. *Simpliciter & Propriè*, quatenus motus isti simpliciter & præcisè considerantur secundum ea, quæ per se ad essentiam hujus motus spectant. Hoc modo considerati affectus sunt indifferentes ad bonum & malum, ita ut in essentiali & abstractiva sua consideratione ab utroque præscindat, adeoq; neque boni neque mali sint moraliter, scilicet quatenus affectus sunt. Dico *notanter*, quatenus affectus sunt, quia aliàs omnes affectus erunt vel tantùm boni, vel tantùm mali; *Ratio* petitur ex Canone Logico: *A quatenus ad de OMNI V C.* Si animal esset irrationale, quatenus animal, certè omne animal esset irrationale; Unde probè distinguendum est *inter affectuum considerationem simplicem*, hoc est, quà affectus sunt, *& determinatam*, h.e quatenus vel rectæ rationi obediunt, vel ab eadem exorbitant, & tunc per accidens quidam affectus sunt boni, quidam mali, quia tunc illi affectus non sunt simplices, sed prout determinantur accidentali aliqua ratione. Sic boni affectus sunt & pietas erga parentes, & στοργη parentum in liberos, quoniam hunc amorem jubet & recta ratio, & lex naturæ. Sic bonum est odium, quo odio habetur vitium; bona

est

est & ira, cum proximo delinquenti debito modo irascimur. Vide Piccolom grad. 1. Eth. c. 24 seq. *Contra* pravi sunt affectus invidia, ἀπαχθεκακία, æmulatio, impudentia. Hujusmodi enim nomina aliquam implicant pravitatem, quum non sint affectus simplices, sed connotantes exorbitantiam à recta ratione, perinde atque nonnullæ actiones præter actionem simul connotant pugnam cum recta ratione, quales sunt, scortatio, furtum, mendacium, &c. *Abstractiva & simplex affectuum consideratio* à Peripateticis & Academicis *observatur*, quos & ego jam sequar, quia hujusmodi accidentia (videlicet exorbitantia & alia) à motibus ipsis planè sunt distincta, definitio autem & descriptio ea complecti debet, quæ motibus per se, non per accidens, competũt. 2. *Determinatè*, quatenus motus isti considerantur (non præcisè & in genere, videlicet quà motus sunt, sed) cum connotatione exorbitantiæ & vehementiæ alicujus, videlicet, quatenus sunt affectus pravi & nimium vehementes. *Hæc determinata* affectuum *consideratio* adhuc *duplex* esse potest. (1.) *Physica* & Medica, quatenus ex nimia affectuum vehementia Physicum malum suboritur, videlicet morbus vel etiam mors, quatenus transitus ille sive παρέκβασις à naturali corporis constitutione incommodat naturæ. V. G. cum ex nimio gaudio aut tristitia suboritur mors, cujus exempla vide apud Gell. lib. 3. noct. Attic. c. 15. Liv. l 2. decad. 3. Plin. l. 7. nat. hist. c. 53. Hanc considerationem Physicis & Medicis relinquemus. (2.) *Ethica & Moralis*, quatenus civilis in ea datur exorbitantia à recta ratione, adeoq; quatenus moraliter ijs frenos sæpè laxamus. Hoc modo Affectus considerant Stoici, quatenus ipsi affectus minus rectè compescuntur, cum tamen in nostra potestate sit eos compescere, imò ea sæpè tolerare, quæ supra humanam sortem & constantiam vulgus putat, cujus exempla plurima invenies apud Clar. Horn. Eth p. 219. *II. Realis*, quà enodatur res pro qua supponitur vox Affectus. (2)

8. Est autem *Realis* consideratio *duplex*. *I. Definitiva*, quà explicatur quidditas & descriptio affectus, quæ hæc esto: *Affectus sunt motus appetitus sensitivi in persecutione boni vel mali* 2. (1.)

(2) II. *Subjectivè, quâ eo datur* affectuum *Subjectum*, in quo sedem suam habent, quod est *duplex I. Substantiale*, quod est *anima sentiens*, ceu patet ex effectu affectuum hoc modo: Affectus omnes fiunt cum alteratione corporis, & uno actu animum simul & corpus immutant. Ergo in anima intellectiva esse non possunt. *Antecedens* patet de ira, ex qua inducitur Erysipelas, febris, insania quandoque. Vide Scalig. exerc. 313 Coll. Conimb. in Arist. de vit. & mort. cap. 6. *Connexio* probatur ex eo, quod motus animæ intellectivæ, ejusq; facultatis appetitivæ, non fiant cum immutatione corporis primò, ceu patet de anima rationali in statu separationis, in quo anima rationalis sine organo, & cognoscit & appetit. Ex hisce patet *(1) Error Stoicorum*, qui in anima rationali illos collocabant, adeoq; voluntarios eos statuebant, quatenus eos compescere in nostra potestate est. *Confundunt* enim illi affectuum *excitationem*, quæ à voluntatis imperio est, dum ipse appetitus sensitivus à voluntate movetur; *cum* eorundem *inhæsione*, quæ in appetitu sensitivo. *(2) Affectus animæ rationali tribui non posse, nisi partim Metaphorice*, h.e. per similitudinem, veluti DEus & Angeli dicuntur gaudere, odisse, irasci; *partim objectivè*, quatenus voluntas, quæ ad animam rationalem pertinet, pro objecto habet affectus secundum virtutem moderandos. Vide Coll. Conimb. dis. 6. Eth. q. 3. art. 2. Piccol. gr. 1. Phil. mor. c. 9. *2. Accidentale & proximum magis, quod est Appetitus Sensitivus.* Quòd autem affectus referantur ad animæ sensitivæ facultatem (non apprehensivam, quippe cujus munus perficitur sola apprehensione, sed) appetitivam, quia virtute appetitivâ appetens inclinatur ad rem appetibilem. Ast affectus est talis motio in objectum appetibile. Hinc *patet* 1) Etiam hominem esse subjectum affectuum propter appetitum sensitivum, ipsi competentem, quod testantur nonnullorum Stoicorum exempla. ap. Gell. l. 12. noct. Attic c. 5. & lib. 14. cap. 12. Hinc regula Philosophorum: *Affectus sunt moderandi non exuendi.* (2) *Error Chrysippi*, qui affectus opiniones esse putavit, quum tamen opinio ad intellectum, non appetitum, pertinet.

Error Stoicorum.

9. *Spe-*

9. *Specialis* Affectuum consideratio *respicit divisionem & distinctionem Affectuum, quæ duplex* esse potest. *I. Objectiva* ratione objecti, ex quo Affectus speciem sortiuntur. V. G. Tristitia differt à gaudio; quia hoc habet pro objecto bonum præsens, illa autem malum jam inhærens. II. *Subjectiva* ratione subjecti seu appetitus, in quo residunt, juxta quam considerationem affectus alij referuntur ad appetitum concupiscibilem, alij ad irascibilem. Nos utrumque considerandi modum conjungemus, quia distinctio objectiva adhuc specialior est subjectivâ, seu illa, quæ sumitur ex parte subjecti.

II. Specialis, in qua considerãtur affectus appetitus.

10. *Affectus, qui ad appetitum Concupiscibilem referuntur, respiciunt (I.) Bonum Generale*, quatenus generalis notatur propensio & inclinatio appetitus sensitivi ad Bonum sive præsens, sive absens sit, ut *Amor*. Ubi nota, quòd Amor *duplex alias* sit, videlicet *appetitus 1. Intellectualis* & Voluntatis, cui si quid placet, Amor ille pròpriè & specialiter dicitur *Dilectio*, quippe quæ cum electione fit, & in sola voluntate atq; rationali natura sedem habet, quò & caritas pertinet. *2. Sensitivi*, cui si quid placet, generaliter dicitur Amor, *qui* hîc etjam saltem consideratur, & *opponitur Odio*, quod est Affectus removendi rem aliquam. *(II) Specialè*, quatenus *Bonum* 1. *Absens* inclinat appetitum ad motum, ut habere possit, qualis motus est *Desiderium*, cui opponitur *Fuga & Aversatio*, quæ est affectus intensus non habendi malum, quod imminere videtur. 2. *Præsens* producit delectationem & quietationem in appetitu, ut est *Gaudium*, cui opponitur *Tristitia*, quæ est affectus vitandi malum præsens. Vide Scal. exer. 312.

1. Concupiscibilis.

11. *Affectus, qui ad appetitum irascibilem referuntur, respiciunt. I. Bonum arduum, futurum & possibile*, ut *Spes*, quæ est appetitio boni futuri ardui, possibilis tamen, quia propriè tantum bona possibilia speramus, non impossibilia. Huic opponitur *Desperatio*, de qua vide Arm. de Bello Visu. lib. 2. term. c. 80. *II. Malum*, 1. *Futurum seu Imminens, quod* rursus duplex, *(1) Non-Evitabile* secundum opinionem, sive quod non putatur evasibile, quod malum respicit *Timor* sive *Metus*, qui

2. Irascibilis.

qui est motus, quô cor constringitur, tanquam fugiens malum futurum. (2.) *Evitabile*, sive quod superabile nobis videtur, circa quod versatur *Audacia*, quæ est motus promptos nos reddens ad aggrediendum periculum, quod speramus superare. 2. *In actu existens præcipuè*, circa quod versatur *Ira*, quæ est appetitio vindictæ, cum dolore propter apparentem vel in se, vel in suos non convenientem parvipensionem. Arist. lib. 2. Rhet. c. 3.

2. *Respectiva.*

12. Sequitur jam *Respectiva* duplicis appetitus sensitivi *consideratio, quæ fit*

I. *I quoad mutuam discrepantiam sive distinctionem à se invicem, quæ* duplex hoc loco esse potest. *I. Essentialis*, quà appetitus Concupiscibilis realiter ab Irascibili differt, quod probare annituntur Scholastici ex distincto munere. Non enim idem sunt, appetere bonum & impedimentum ejus tollere, vel fugere malum & arcere. Vide Ægid. Rom. lib. 3. de ani. c. 11. q 3. Thom. 1 part. q. 6. art. 2. *2. Accidentalis respectu* scilicet *nobilitatis* & præstantiæ, quæ potius irascibili appetitui competit, quàm concupiscibili, propter objectum præstantius. Nam Irascibilis pro objecto habet bonum arduum, Concupiscibilis autem bonum communiter.

2. *II. Quoad ordinem mutuum* ad se invicem, quam brevitatis gratia vide apud Clariss. Horn. Eth. l. 2. c. 6 p. 226.

II. Actio humana, cujus enodatio.

13. Restat *Objectum* Ethicæ *Proximum magis*, quod est *Actio humana*, quæ ποίησις sive effectioni contradistinguitur disp. 1. *Hujus consideratio* hic duplex esse potest. *I Nominalis.*

I. Nominalis.

in qua consideratur *Æquivocatio*, actionis, *juxta quam* Actus humanus *sumitur* dupliciter. 1. *Confusè & imperfectè magis*, prout actio (quæ in se præcisè considerata vel rectè vel vitiosè componi apta nata est) in Ethicis moraliter ad honestatem demum informari debet. *Potest* autem *actio* in hoc imperfectu statu *adhuc duplicem obtinere respectum.* (1.) *Subjectivum*, quatenus subjectum est, habens aptitudinem recipiendi honestatem vel civilem felicitatem. Hoc modo in præsenti disputatione consideratur actio humana, perinde atque Medicus considerat corpus humanum, quatenus aptitudinem habet recipiendi sanitatem. (2) *Causativum & Effectivum*, quatenus

est

est efficiens causa virtutis secundum Arist. l. 2. Eth. c. 1. Hoc modo in disputatione quinta considerabitur actio humana exterior. Posse autem unam eademq; rem duplicem hunc respectum sustinere patet exemplo appetitus rationalis & sensitivi, dum uterq; appetitus & est subjectum Ethicæ atque virtutum moralium, ceu Ethicorum testimonio patet; & simul earundem causa efficiens. Quod ultimum probo hoc argumento: Causa causæ (scilicet intermediæ quoad Entitatem respectivã h.e. quâ est causa & operans) est etiã causa causati: Atqui appetitus rationalis & sensitivus est causa causæ, videlicet actionum (tanquam causæ intermediæ quoad Entitatem respectivam). E. etiam est causa causati, videlicet virtutum moralium, quæ ab actionibus prodeunt. *Major* est Canon Philosophicus. *Minor* probatur, quia actiones illæ non agunt & operantur, nisi prout dependent ab appetitu rationali vel sensitivo, tanquam suis causis. 2. *Determinatè & perfectè*, prout actio est perfectè honesta & continuata secundum virtutem optimam & perfectissimã. Hoc modo in dis. 2. tanquam finis considerabatur *II. Realis*, in qua realiter enodatur res ipsa, pro qua vox actionis supponitur.

14. *Realis* consideratio *rursus duplex* esse potest. *I. Absoluta*, quâ actio præcisè in suis speciebus consideratur. *II. Respectiva*, quâ actionem Ethicæ *objectum esse probatur argumento duplici*, *I. Artificiali*, ex natura & conditione objecti h. m. Cujus (1.) Affectiones in disciplina quadam explicantur, (2.) cui & medium pro consequendo fine substernitur. (3.) quodq; disciplinam illam ab aliis rebus omnibus distinguit, illud est disciplinæ illius objectum & subjectum. De actionibus in Ethicis consideratis verum est prius. E. & posterius. *Major* est certissima ex conditione objecti Practici. *Minor* probatur membratim (1) *de affectionum explicatione*, quia in Ethicis enodantur actionum humanarum affectiones, videlicet, quòd sint vel voluntariæ vel invitæ, vel bonæ vel malæ moraliter, unde & de earundem principiis in Ethicis agitur. (2.) *de medio substrato*, quæ est virtus, quæ hîc enodatur pro consequendo fine, videlicet beatitudine civili. (3.) *de distinctione* Ethicæ disciplinæ

II Realis.
1. Respectiva.
I.

næ ab omnibus aliis disciplinis per actiones, quia nulla alia disciplina tractat de actionibus humanis, quatenus civiliter bea iles & honestæ dicuntur 2 *Inartificiali* ex testimonio Aristot. 6. Ethic. Nicom. c. 8 ubi ait: Prudentiam & civilem scientiam esse rem eandem, unde idem habere objectum colligit Piccolom. in introd. mor. Phil. c. 4. p. 9. quem & brevitatis gratia dicto loco vide.

2.

II. Absoluta.

15. *Juxta absolutam* considerationem *Actio humana duplex* statuitur. *I. Interna*, quæ in ipso homine intrinsecè manet, qualis est actus volendi, nolendi, & affectus in se considerati. Ubi ex Scholasticis *nota distinctionem Amoris, qui* duplex ab ijs statuitur, ut Amor sit (1.) *Concupiscentiæ*, quo bonum tanquam objectum concupiscimus. (2) *Benevolentiæ*, quo personæ alteri bene volumus. *II. Externa*, quæ in sensus & publicam lucem incurrit, unde & Actio κατ' ἐξοχὴν in civilibus appellatur; addo, quod actus interiores principia sint actuum exteriorum, vide th. 41. Potest autem *horum actuum consideratio* adhuc esse *duplex*: 1. *Generalis*, secundum eam affectionem, quæ utrique actui communiter competit, & interiori & exteriori, qualis est Bonitas vel Malitia Moralis. 2. *Specialis* secundum ea, quæ actibus exterioribus specialiori modo competunt.

I. Generalis, quoad bonitatem vel malitiam, cujo

16. *De Bonitate ac Malitia morali* quatuor hic potissimùm *notentur*. *I. Æquivocatio* & Distinctio, quam disp. 5. tractabit, ubi de variis malorum moralium speciebus agetur. *II. Descriptio. III. Specificatio*, h. e. unde æstimari debet bonitas vel malitia moralis actionis. *IV. Ordo.*

(1) Descriptio.

1.

17. *Descriptio* hic *duplex* esse potest. *I. Bonitatis moralis*, *quæ* hoc loco considerata est *perfectio actionis voluntariæ, consistens in congruentia seu conformitate cum recta ratione & lege*. In hac descriptione breviter *duo* notentur, *I. Materiale*, quod est illud ipsum, in quo actus moraliter bonus cum aliis actionibus & rebus communiter convenit, & quod instar materiæ ipsi formalitati subsstat. Hujusmodi materiale est hîc actio voluntaria, quippe quæ communiter etiam datur, *tùm* in bonitate artificiali. V. G. cum artifex artificiosè testudinem conficit,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0086
DFG

ficit, actione id fit voluntaria; *tùm* in pravitate morali. V. G. Si duo simul manum extendant, & eleemosinas dent, alter autem honestatis intentione, alter ostentationis gratia, utrobiq; communis est & manus extensio voluntaria, & eleemosinæ datio, licet diversimodè formaliter, cum prioris actio sit bona, posterioris autem mala. 2 *Formale*, quod communem naturam voluntariæ actionis ad aliquam speciem quasi restringit, videlicet moralem bonitatem, & à cœteris discriminat, dum ultimò bonitatis moralis rationem complet, unde & ipsi proprium est. Hujusmodi *formale hîc est conformitas cum rectâ ratione & lege*, per quam vera & interna ratio Moralis bonitatis innuitur. *Hæc* autem *conformatio* actionis ad legem *requirit tùm* legis illius cognitionem, *tùm* libertatem aliquam, quòd patet ex oppositio, videlicet morali malitia, quæ in actione non dabitur sine respectu quodam ad utrumq;, sive actu jam adsit cognitio ista & libertas, sive fuerit, sive esse potuerit, modo adesse teneatur. *Oppositorum* autem *eadem est ratio*, unde quæ ratio est moralis malitiæ, eadem & bonitatis erit. Ex hisce patet, brutorum & rerum inanimatarum actionibus non competere propriè bonitatem vel malitiam moralem, cum in ijs non adsit cognitio & libertas. Unde moralis bonitas dicit convenientiam cum natura rationali, ut tali, quia etiam actibus vegetativis in homine, qui rationis nullo modo sunt participes, neque bonitas, neque malitia moralis attribuitur. V. G Si ventriculus malè concoquit, homo inde moraliter malus non dicetur. *II. Malitia moralis quæ est imperfectio voluntariæ actionis, consistens in exorbitantia à justitia & lege.* De morali malitia fusiùs aget disp. 5. 2.

18. *Specificatio* Bonitatis ac malitiæ Moralis *considerari potest*. *I. Absolutè*, quoad generalem convenientiam utriusq;; *II. Comparatè*, quoad mutuam à se invicem discrepantiam. (2) *Specificatio considerata*

19. *In Absoluta* consideratione *Specificatio bonitatis* moralis *desumitur. I. Principaliter ab objecto honesto formaliter.* Nam ut in naturalibus primariam specificationem largitur forma, quippe quæ dat esse rei; sic in Moralibus Objectum formaliter consideratum, quippe ex quo maximè bonitas actionis (1) Absolutè. I.

ctionis moralis resultat. Est a. *actionis moraliter bonæ Objectum Bonum quid*, & quidem 1. *Honestum*, quod per se & ex se conveniens est naturæ rationali, ut tali, h. e. quatenus rationalis est. Statuitur enim à Scholasticis *triplex* aliàs *bonum* propter triplicem modum movendi & terminandi nostrum appetitum: Nam *bonum* aliàs *terminare potest motum nostri appetitus dupliciter. I. Simpliciter*, & ultimò. Et tunc Bonum appetitum nostrum rursus terminare & movere dicitur. *(1) Ut res ipsa appetita, in quam appetitus per se tendit*, estq; *Bonum Honestum*, quod per se & ex se rationali naturæ conveniēs est, & consentaneum dictamini rectæ rationis. Nam rectæ rationis dictamen honestatem dirigit & ostendit, de quo dictamine vide thes. 45. & disp. 1. Hoc bonum hîc intelligitur, de cujus distinctione ulteriori vide disp. 5. *(2.) Ut quies in re desiderata*, estq; *Bonum Jucundum & Delectabile*, in quo ipsa delectatio est quies quasi, hoc est suavis fruitio boni jam possessi. Unde non notat motionem ad bonum demum obtinendum, & inquirendum. V. G. Si quis attentè intueatur veritatem à se inventam, sibi vehementer gratulatur de isto suo bono, ceu patet exemplo Archimedis, qui cum furtum aurifabri commissum in aurea corona, quam Hieroni regi fabricaret, ut Diis votiva esset, in balneo deprehendisset, mirificè delectabatur, imò se non continebat, quin in publicum prorumpens animi sui lætitiam testaretur, & clamaret illud εὕρηκα. Vide Vitruvium lib. 9. c. 3. 2. *Determinatè & secundum quid*, quando bonum aliquod terminat nostrum appetitum saltem secundum quid, videlicet tanquam medium, quo itur ad ultimum, *estq; bonum utile*, quod formaliter est bonum aptum & accommodatum ad hunc vel illum finem intentum. Unde tota utilitas non est formaliter appetibilis, ut utilis, nisi quatenus à bonitate alicujus finis intenti informatur, & prout tali fini subest. Posteriora hæc duo ideò hic non attenduntur, quia indifferenter objectum esse possunt, & bonæ & malæ actionis, ob quam indifferentiam ex se non habent, ut faciant actum moraliter bonum, nisi per accidens, vid. quateno conjuncta sunt cū honestate. *(II) Formaliter tale seu honestū*, ita ut

appe-

appetitum nostrum non terminet, nisi sub ratione honestatis. *Ratio* desumitur à generali ratione specificandi actus, secundum quam actus potentiæ alicujus non sumit speciem ab objecto nisi sub ea ratione, quà tendit in illud, ceu patet exemplo visionis, quæ speciem sumit ab objecto sub ratione visibilis coloris & lucis. Sic, quia voluntas non tendit in objectum nisi sub ratione boni, actus ejus etiam inde specificationem desument. Sic dare proximo Eleemosynam est bonum, quia ipsum objectum in se est honestum, & intenditur à dante sub ratione honestatis. *Contrà* eidem proximo inferre damnum est malum propter objectum inhonestum, ex propria conditione habens deformitatem. *II. Minus Principaliter*, seu secundariò, & quidem. *1. Ex fine, seu intentionis bonitate.* Sic qui bona intentione etiam pauca largitur, commendatur, ceu patet exemplo mulieris, duo minuta offerentis, Marc. 12. v. 43. Hinc regula Practica: *Liberalitas non æstimatur doni magnitudine, sed dantis affectu & animo.* An verò finis bonus bonitatem actui largiatur vel eandem cũ bonitate objecti formalis, vel distinctam & novam, vide gratiâ brevitatis Becan. Theol. Sch. part. 2. tom. 1. tract. 1. c. 4. q. 4. *Contrà actio fit mala ex intentionis pravitate,* licet objectum aliàs in se honestum sit. *Ratio* est, quia actus procedens ex mala intentione non versatur circa suum objectum, ut formaliter honestum & bonum, h. e. sub honestatis ratione. Sic Eleemosynæ datio est mala, si fiat vanæ gloriæ causa. Matth 6 v. 1. Sic & precatio, quæ aliàs in se bona, reprehenditur ut vitiosa à Christo, si inanis ostentationis gratia suscipiatur, Matth 6. v. 5. Sic si quis alium prohibeat alienum furari vel mœchari, ut illud ipse postea furetur, vel cum eadem muliere mœchetur, ipsa prohibitio & dissuasio in se considerata, bona & honesta actio censeri potest, ast propter intentionis pravitatem fit mala & turpis. 2 *Ex Circumstantiis*, juxta reg. *Circumstantiæ variant rem.* Sunt enim juxta Danæum. Eth. Christ. l. 1. c. 9. p. 36. Circumstantiæ tanquam nudi corporis decora vestimenta, quæ si negligenter induantur, turpem illius corporis aspectum reddunt;

2. (1.)

(2.)

Sic circumstantiæ non satis prudenter ac legitimè adhibitæ opera nostra efficiunt mala & deformia.

Circumstantiæ duplices I.

20. *Sunt* autem *Circumstantiæ duplices. I. Essentiales* quasi moraliter, seu specificantes, quæ rem quandoq; ita variant & specificant, ut, licet & objectum sit honestum & finis, tamen extra harum circumstantiarum præsentiam actio moraliter bona non dicatur. *Hujusmodi circumstantiæ plerumque sunt Personæ, loci & temporis.* Sic justè etiam improbo irasci non possumus tempore consultationis vel exhilarationis, neque etiam diu, quia aliàs in odium & furorem abibit. Sic si liberaliter egenti succurrere cupis, in loco secretiori & privato id præstes, ne & tu insolens habearis, & ipsi rubor pudorque incutiatur. Publicè enim illa dantur, quæ honoris causa fiunt, non pudoris. Item pugnare cum hoste propter victoriam in bello licito bonum est ratione objecti & finis, sed ubi id facias loco & tempore non oportuno malum est propter circumstantias. Hæ circumstantiæ hoc loco intelliguntur. Imò per hujusmodi circumstantias quandoq; malitia ab objecto & actu moraliter seperari dicitur. Sic Rutgersij Met. p. 175. ait, in articulo summæ & extremæ necessitatis ad vitandam mortem sive ad vitæ conservationem, licitum esse aliquid auferre alteri inscio, quia bona, quæ extra illiusmodi casum cuiq; sunt propria, & ut sic spectata, licitè auferri non poterunt, fiunt in prædicto casu communia quoad usum. Quam Rutgersij sententiã alijs prudentioribus uberiùs dijudicandam relinquam. Sic & factũ Davidis de comestione panũ propositionis, 1 Sam. 21. v. 6. ex casu necessitatis excusatur, Matth. 12. v. 4. cum tamen extra illum casum non nisi sacerdotibus in loco sacro illorum panum esus concessus sit, Lev. 24. v. 9. Cujus exempli decisionem accuratam pete ex Theologis, ad quorum cathedram ipsa spectat, unde lege Rever. & Exc. D. Chemnit. in Harm Evang lib. 3. p. mihi 221.

2. *II Accidentales*, quæ augent saltem vel minuunt bonitatem & malitiam, quæ jam ante aderat. Sic accipere multum de re aliena non facit furtum, sed saltem majus reddit. Sic multùm erogare in honorem divinum actionem bonam non facit, sed,

quæ

quæ bona erat meliorem. Hæ circumstantiæ hîc non intelliguntur, quia speciem non dant actui morali.

21. *Comparate considerantur* Bonitas & Malitia moralis, *quoad mutuum à se invicem discrepantiam, quæ consistit in eo, quod Bonitas requirat omnia specificationis Principia & requisita in sensu compositio*, h. e. simul sumpta ita ut ad actionis bonitatem requiratur bonitas & objecti & finis, & circumstantiarum essentialium. *Ratio* est, quia lex naturæ non tantum præscribit, quid fieri oporteat, sed & qua intentione, quando & ubi. Dictitat enim recta ratio, actum debere versari circa objectum honestum, propter honestum finem, & cum honestis circumstantiis. Unde si legi tanquam normæ conformari debet actio, omnia illa requisita attendat; *Contrà Malitia dari potest in sensu diviso, ita* ut ex quolibet singulari defectu oriri possit. Hinc Dionys. de div. nom. c. 4. *Bonum est ex integra causa, malum autem ex quovis defectu.*

(2) Comparatè.

22. *Ordo*, quo actus interiores & exteriores bonitati seu malitiæ morali subitant, *duplex* esse potest: *I. ratione Denominationis, quæ* duplex: *1. Immediata*, quæ immediatè & intrinsecè ab objecto speciem suam sumit. Hæc actui interiori elicito competit, quippe quem bonitas seu malitia moralis primariò respicit. *Ratio* est, quia omnis culpa actualis rigorosè dicta intrinsecè ac formaliter postulat liberum seu voluntarium, juxta Aristot. lib. 1. mag. mor. c. 9. *2. Mediata*, quando bonitas vel malitia extrinsecè, & mediante alio, competit alicui. Hoc modo bonitas vel malitia moralis competit actui exteriori & imperato, quippe qui ab elicito actu, ut à causa imperante, est. Unde *bonitas competit actui elicito intrinsecè, actui autem imperato extrinsecè.* Vide Becan. Theol. Sch. part. 2. tom. 1. tr. 1. c. 6. *II. Ratione Unionis moralis*, secundum quam actus eliciti & exteriores ac imperati (qui in consideratione ac Entitate Physica duo aut plures distincti sunt) in genere moris seu Ethica ac morali consideratione unus sunt actus juxta regulam Scholasticorum: *Ex duobus actibus Physicis componitur proprie unus actus moralis, quando unus habet totam suam moralitatem ab alio*, quod contingit, quando

(3) Ordo *ratione*
(1) Denominationis.

(2) Unionis.

quando tota libertas unius est denominativè & imperativè ab alio, ceu de actibus imperatis patet. Vide Guinan. Rutger. Met. pag. 115.

2. *Specialis, in qua actus exterioris*

23. *In Speciali* consideratione *actus exteriores* specialiter *enodantur quoad I. Affectionem*, quæ est Voluntarij denominatio, vid. quod actus exterior sit spontaneus & voluntarius, seu in nostra potestate. *II. Principium*, à quo oriuntur spontaneæ actiones morales.

I Affectio *vid. esse Voluntariũ, quod consideratur.*

24. *Voluntarij denominatio* in actu exteriori *considerari potest* dupliciter. *I. Absolutè*, quid Voluntarium in se, suaq; natura sit. *II Respectivè & Comparatè.*

1. *Absolutè quoad*

25. *In Absoluta* consideratione Voluntarij *notentur I.* *Probatio*, quod actio moralis tam bona quam mala sit voluntaria sive in nostra potestate. *II. Definitio. III. Distinctio. IV. Objectum.*

1. *Probationem.*

26. *Probatio* Voluntarij, vid. quod actio tam bona quàm mala sit in nostra potestate, *desumi potest* dupliciter. 1. *Directè* à testimonio tum legumlatorum, tum privati cujusvis, qui eos, qui mala faciunt, (quorum quidem non vis aliqua aut ignorantia invincibilis causa sit) pœnis uno ore destinant & tradunt; *contrà* ijs, qui rectè se gerunt, honores & præmia decernunt. Quæ autem necessaria sunt, & simpliciter aliter fieri non possunt, aut poterunt, pœnis coêrcere & legibus prohibere non poteris aliter, quàm si quenquã esurire vetes, aut in sole stantem horteris, ne caleat, aut eum, qui pulsatur, ne doleat. 2 *Indirectè ab absurdo.* Si enim actiones malæ non essent in nostra potestate, neque principia, à quib9 fluunt, in homine erunt, quod quàm absurdnm ex seqq. patebit. Ex hisce patet error Platonis, qui virtutem quidem Voluntariam statuebat, vitia autem involuntaria ita, ut sponte sua nemo malus sit. Cujus erroris refutationem uberiorem vide apud Arist. 3. Eth. c 5.

2. *Definitionem.*

27. *Definitio* Voluntarij, & Spontanei propriè dicti, hæc esto: *Spontaneum est cujus principium est in ipso agente, singulas actionum circumstantias sciente.* Arist. 3. Eth. c. 1.

3. *Distinctionem.*

28. *Distinctio* Voluntarij *hæc* notetur, *quòd moraliter*

hîc

hic *Voluntarium dicatur dupliciter. 1. Directè*, cujus principium voluntas est positivè, ita ut illud directè efficiat. V. G. Cum Ehud transfigit Eglonem. Judic. 3. v. 21. Cum Simson percussit 30. Philistæos, Judic. 14. v. 19. aut 1000. viros, Judic. 15. v. 15. Cum David cum Bathseba mœchatur, 2. Sam. 11. 4. 2. *Indirectè*, quod à voluntate pendet (non directè, prout ipsa agit, sed) indirectè, & privativè, quat. voluntas, cum posset & deberet impedire, non impedit. Hoc modo voluntarium dicitur, quod permittimus & non impedimus. Sic gubernator submersionem navis voluisse dicitur, qui eam, cum servare posset, & deberet, perire sinit. Sic Eli nequitiam filiorum voluisse dicitur, dum eam, quam impedire deberet, grassari permisit, 1. Sam. 3. v. 13. Utrumq; voluntarium in Ethicis intelligitur, quia moraliter æquè voluntati tribuitur non-velle id, quod velle debebas, ac si voluisses, quod non debebas, quoniam in utroque (h. e. & positivo & privativo illo) una & eadem ratio moralis spectatur, vid. bonitas & malitia, quod ipsum Clariss. Horn. Eth. l. 2. c. 4. p. 173. declarat similitudine desumpa ex Logicis de propositione infinita & finita.

29. *Objectum* voluntarij à Scholasticis *statuitur duplex vid. Factum I. Proprium*, quod ipse quis facit, ut cum se suspendit Achitophel, 2 Sam. 17. v. 23. *II. Alienum seu Approbatum*, quando quis id, quod alius facit, approbat. *Hæc Approbatio fieri potest* sextupliciter, vid. *ratione. 1. Jussus, qui fit per mandatum* (1) *expressum*, quale fuit Davidis de interfectione Uriæ, 2. Sam. 11. v. 14. 15. Absalonis de interficiendo fratre Amnone, 2. Sam. 13. v. 28 Jehu de trucidatione 70. filiorum Achab. 2. Reg. 10. v. 7. (2) *Implicitum magis*, quando quis signis ostendit factum sibi placere. 2. *Consensus, qui fieri dicitur* (1.) *per consilium*, quod quis alteri suggerit, exemplo Achitophelis, qui consilium dabat Absaloni de stuprandis mulieribus Davidis, 2. Sam. 16. v. 21. 22. Jonadab consulentis Ammoni. 2 Sam. 13. v. 5. Sic si filius patriam prodat suasu Patris, ipse Pater proditionē vult, ejusq; causa Ethica dicitur. (2) *per auxilium*, quo quis alterum sciens adjuvat, exemplo Hiram, Regis Tyri, promoventis templi Hierosolymitani structuram

4. Objectum.
1.
2.
(1)
(2)

per ſuos miniſtros, 1. Reg. 5. v. 9. Item, ſi quis furem juvat ope ſua. (3) *Per plenariam conceſſionem*, quà quis veniam concedit, abſq; qua ille id facere non poterat, exemplo Iſai, concedentis Davidi permanſionem in aula Saulis petentis eandem, 1. Sam. 16 verſ. 22. *3. Collaudationis, quæ ipſum factum (1) præcedit*, quando quis alterum in inſtituto ulterius confirmat, & ad faciendum invitat. (2) *ſequitur*, quando quis id, quod factum eſt, laudat & ratum habet, exemplo Achabi comprobantis & ratificantis factum Jeſabelis, mandantis interfectionem Nabothi 1. Reg. 21. v. 8. 16. 4. *Participationis commodi*, quando quis ſcienter ex furto vel rapina aliquid accipit, etſi prædonem aut furem non adjuvit. 5. *Non-Impeditionis*, cum poſſit aut debeat juxta reg. Qui aliquod malum permittit, & nō prohibet cum poteſt, ille eſt cauſa mali ſubſequentis, de quo Canone vide diſp. 5. cor. 1. 6. *Receptationis autoris*, quando quis autorem receptat, ipſiq; hoſpitum præbet, (1) *ante factum*, ut ipſe eò facilius & tutius perficiat, quod animo deſtinavit. (2) *Poſt factum*, occultando autorem, exemplo Rahab occultantis exploratores, Joſ. 2.

(3)

(4)

(5)

(6)

II. Reſpectivè ratione.

30. *Reſpectiva Voluntarij conſideratio inſtitui poteſt* dupliciter, vid. *1. ratione gradus. 2. ratione oppoſiti*, vid. inviti & Involuntarij.

1. Gradus

1.

(1)

31. *Ratione gradus* Voluntarium *conſideratur quoad 1. Actionem*, quatenus voluntarium in actione exteriori augetur, quod *fit 1. Per Voluntatis propoſitum*, quando quis deſtinato conſilio & propoſito quid perpetrat. Nam προαίρεσις delictum multùm aggravat, unde mitiùs tractari ſolet probus, quàm improbus, quia in hoc præſumitur προαίρεσις, in illo minùs. Sic & ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, plagis vapulabit multis, Luc. 12. v. 47. *Poteſt autem Voluntatis propoſitum augere voluntarium triplicitèr. Propter* (1) *Numerum*, quando quis benè aut malè facere animò ſemel propoſuit, ſed ob facti omiſſionem, denuò ſibi proponit & facit. (2) *Protenſionem*, quando quis diu factum quoddam animo propoſuit, ubi voluntarium augetur propter diuturniorem propoſiti durationem. (3) *Intenſionem*, quando quis majori cupi-

cupiditate agit, ita ut quò magis factum producit, eò magis cupiat, quia majorem ex illa voluptatem percipit, quàm antè sperabat. Thom. 1. 2. q. 20. art. 4. 2 *Per Perturbationem & affectum planè indignum*, & cui quis locum ultrò dedit, ut eò confidentiùs peccaret. Sic JCTI. nonnulli credunt, graviùs peccari ab eo, qui cum deformi rem habet, quàm cum pulchra, quia plura sunt, qui illiciunt in pulchra, quàm deformi. Unde & major præsumitur libido in eo, qui deformi consuevit, quàm qui pulchræ. *II. Diminutionem*, quat. voluntarium diminuitur & excusatur, quod fit. *1. per Errorem, & aberrationem in re (1) licita & seria*, præsertim si convenientem diligentiam præstat, & nullum malè agendi propositum habet V. G. Si quis tempore constituto & loco consueto jaculatoriam exerceat, scopumq; ferire cupiens aliquem, ultra scopum ambulantem, præter omnem animi cogitationem lædat. *(2) Non autem in illicita & joculari*, juxta Canonem: *Res licita & seria excusat casum, res v. illicita & jocularis casum atrociorem reddit.* Unde *factum non excusat aberratio.* 1. *Objecti*, quando executio fuit in alio subjecto, quàm in eo, ad quod propositum directum erat. V. G. Si Marcus habeat propositum occidendi Titium, & forte Cajum, intervenientem ad dirimendam pugnam, interficiat, quem tamen interficere non intendebat, sed Titium, Marcus reus erit homicidij ob propositum malè agendi non excusabile in re illicita. 2. *Modi*, quando hominem atrociùs lædit, quàm intenderat, quia tunc facto causam præbuit. Exempla vide brevitatis gratia disp 5. ubi de dolo & culpa agetur. 2. *Per affectum & perturbationem humanam*, quæ ex humana imbecillitate suboritur ingrato, estq; naturalis & homine digna. Arist 5. Eth. c. 8

(2.)

2.
(1.)

32. *Oppositum voluntarij est Invitum & Involuntarium*, quando quispiam aut vi actus, aut per ignorantiam quid admisit. *Hoc* juxta duplex Voluntarij principium (vid. scientiam & appetitum) *geminum* etiam statuitur, *vid. Invitum 1. per Violentiam. 2. per Ignorantiam.*

2. *Oppositi in quo*

33. *Violentia duplex* esse potest. *I. Simplex*, quando principium externum adeò firmum ac robustum est ad motum aliquem

I Violentia, *1 Simplex.*

liquem efficiendum, ut nihil adjumenti conferat vel agens
1. vel patiens. Estq; *ratione* 1. *Actionis*, ita ut ille, cui vis fit, ni-
hil conferat ad efficiendum id, quod fit. V. G. Si robustior
quis præter voluntatem tuam vi manum tuam torqueat, ea-
2. que alterum pulset. 2. *Passionis*, ita ut voluntatem patiendi
non adferat. V. G. Si ventus vehemens aliquem nolentem
abripit, aut cũ caro suilla violenter ori Eleazari inferebatur,
2. Deter- 2. Macc. 6. v 18. *II. Determinata, & secundum quid saltem,*
minata. *ut est actio Mixta, cujus* hîc notetur 1. *Quidditas & natura*.
1. Mixta enim dicitur illa actio, quia miscetur ex invito & vo-
luntario. *Invita est respectu* (1) *principij extranei* urgentis. (2)
Objecti in se considerati, quippe quod aliàs extra istas circum-
stantias non appeteret. *Voluntaria* autem dicitur, *ratione*
(1) *Finis*, qui est mali majoris vitatio, ob quam homo liberè
minus malum eligit. V. G. Virgo honesta, quam miles trucu-
lentus aggreditur, eligit virginitatis jacturam, ut retineat vi-
tam. Sic viator, invasus à latronibus, pollicetur magnam
pecuniæ summam latronibus pro redimenda vita. (2) *Prin-
cipij interni*, videlicet voluntatis, quæ & liberè eligit unum
oppositorum eo momento, quo finis bonitate, atq; alijs cir-
cumstantijs movetur; & imperat alijs potentijs suos actus.
V. G. Quando urgente tempestate nautæ mercium jacturam
eligebant, adeoq; manibus proprijs easdem ejiciebant, Act.
27. v. 18. 19. (3) *Temporis seu momenti*, quo liberè illud ipsum
eligit. Quum enim quis eo loco tum sit constitutus, ut effu-
gere imminens malum aliter non possit, omninò vult ita age-
re ut agit, aut pati quod patitur, imò rebus sic comparatis
nunquam aliter faceret. Ob quam causam hujusmodi mixta
actio similior voluntariæ, quàm invitæ, dicitur, *tùm* quia hîc
datur electio, *tùm* quia principium movendi membra, quibus
ut instrumentis in actionib9 utimur, in nobis positũ est. Hinc
2. & 2. *Consequens effectus mixtæ actionis* est *vel* laus *vel* vitupe-
(1) rium. Nam juxta Arist. 3. Eth. Nic. c. 1. *actio mixta parit &
meretur* (1.) *Laudem*, ut si quis suscipit molestum vel indeco-
rum ob magnum aliquod bonum, seu ut præclaras res gerat.
Hoc modo laudatur factum Solonis, simulantis insaniam, &
instar

instar furibundi in forum percurrentis, ut legem quandam perniciosissimam abrogaret. (2.) *Vituperium*, si quis contrà suscipit indecorum & turpe ob lucellum exiguum, exemplo Esavi, qui jus primogenituræ vili pulmento Jacobo fratri vendidit, Genes. 25. v. 33. *(3) Veniam*, si quis indecora & minùs convenientia committit, ut effugiat mala & cruciatus summos, qui aliàs humanam constantiam excedere videntur, V. G. Si servus in gravissimis anxietatibus & tormentis consilia Domini sui prodat. *(4) Execrationem*, quando quis in gratiam aliorum vel metu periculi aut mortis admittit facinus quoddam cum impietate & scelere conjunctum, ad quod nulla necessitate compelli debuerit, qualia sunt proditio Judæ, Matth. 26. Item si quis propter pecuniam vel patriam prodat, vel sententiam injustam adversus insontem ferat; aut si quis in vitæ discrimine fidem abneget.

(2.)

(3.)

(4)

II. Ignorantia. *cujus*

34. *Ignorantia* eorum propriè est, quæ scibilia sunt, adeoq; sciri possunt. *De hoc* quatuor notari possunt. *I. Æquivocatio. II. Objectum. III. Species. IV. Causalitas.*

I. *Æquivocatio.*

35. *In Æquivocatione notetur distinctio inter 1. Nescientiam*, quæ notat simplicem negationem, ita ut homo etiam ea nescire dicatur, quæ scire planè non potest. Hæc hîc non intelligitur. 2. *Ignorantiam*, quæ notat privationem. *Hæc* rursus pro diversitate subjecti *duplex* esse potest, vid. *hominis ratione* (1) *Destituti.* V. G. furiosi, amentis, Melancholici, qui ignorat, quid agat. Hæc Ignorantia hîc non intelligitur, quum in hujusmodi hominibus nullus fermè usus rationis. (2) *Præditi.* Hæc nunc potissimum intenditur.

2. *Objectū.*

1.

36. *Ratione Objecti*, quod ignoratur, *multiplex* datur *Ignorantia, vid. I. Juris*, quando quis jus ignorat, adeoq; nescit, quid in actione, circa quam versatur, justum aut injustū, honestum aut inhonestum sit. Hæc ignorantia esse potest Juris 1. *Naturalis*, quando quis ignorat jus naturale, quod omnes homines scire & poterant & debebant. 2. *Positivi humani*, quando quis edictum aut mandatum humanum ignorat. *II. Facti*, quando quis ignorat, quid contigerit. Potest autem hæc Ignorantia esse facti *(1) Alieni*, cum ignoratur, quid alius egerit,

(1.)

(2)

2.

2. egerit. (II) *Proprij*, quando quis proprium ignorat factum,
(1) *ratione* 1. *Objecti*, (1) *Personalis*, quando ignorat personam, circa quam suo actu versatur. Dicitur alias *Error personæ*, qualis erat in Isaaco, Genes 25. 27. seq. in Jacobo c. 29. v. 23. in Juda c. 38. v. 15. (2.) *Realis seu non-personalis*, quando quis ignorat rem, circa quam versatur. Sic Ceres à Tantalo invitata humanam carnem inscia comedit. Sic Harpagus proprij filij viscera, ab Astyage apposita, inscius comedit. Just. lib. 1. pag.
(2) mihi 7. 2. *Circumstantiarum*, *tùm* loci *tùm* temporis. 3. *Finis*.
(3) Hujusmodi ignorantia erat in ducentis viris sequentibus Ab-
(4) solonem. 2 Sam. 15. 11. 4. *Ipsius actionis & causæ efficaciæ*. Sic Noah vim vini ignorabat, & se nudum jacere nesciebat. Hujusmodi Ignorantia causæ instrumentalis esset, si quis bombardæ conditionem ignorans eam attrectaret, aliumq; transverberaret; vel si quis hasta ferret quenquam, quam præpilatam esse nesciebat, ita ut neci dedat præter spem, quem emendandi saltem causa verberare animus erat.

3. *Species*. 38. *Species ignorantiæ variæ* recensentur à Scholasticis.
1. *Est n. Ignorantia I. vel Vincibilis*, quando ea ignoramus, quæ scire & poteramus & debebamus, unde & culpabilis ignorantia dicitur; *vel Invincibilis*, quum ea ignoramus, quæ scire non poteramus. Statuitur autem Ignorantia Invincibilis *duplex*: 1. *in se*, quando Ignorantia, in se spectata simpliciter, ratione facti est invincibilis. V.G. Si quis profunda ebrietate peccat, planè nescit sæpè, quid faciat. 2. *In sua causa* etiam, quando nec ipsa causa sciri & vitari poterat. Hoc modo ignorantia ebrij peccantis non est invincibilis, quoniam poterat non-inebriari. Unde & Pittacus, ut cives suos à temulentia magis revocaret, duplici pœnâ dignum judicabat ebrium, (1) ob ipsum peccatum in ebrietate commissum. (2) ob ebrie-
2. tatem, per quam sibiipsi ignorantiam accersivit. *II. Actum voluntatis vel Concomitans*, quæ ipsam voluntatem comitatur, ita ut ignorantia & voluntas agendi uni subjecto accidant, ut cum quis facit id, quod aliàs facere vellet, si sciret. V. G. Si quis hostem interficit ignorans, quem aliàs interfecturus erat; *vel Consequens*, quæ ipsam voluntatem sequitur, tanquam effectus

fectus ſuam cauſam. *Hæc* rurſus duplex ſtatuitur. 1. *Abſoluta & Affectata*, quando quis ſimpliciter quid ignorare voluit, unde & ſubſequentem dolorem non habet. 2. *Determinata & magis indirecta*, quando quis ea, quæ ſcire & poterat & debebat, ignorat, quod contingit dupliciter. (1) *ex inadvertentia debiti*, quando non ponderat id, quod advertere debebat, V. G. Cum quis propter affectum & habitum malum minus rectè de re judicat. (2) *Ex plenario defectu notitiæ debitæ; vel Antecedens*, quæ ipſa eſt cauſa volendi, quod alias quis non vellet. Vide Thom. 1. 2. q. 6. art. 8. Clariſs. Horn. Eth. lib. 3. cap. 4. pag. 341.

39. *Cauſalitas ſeu modus cauſandi*, quem habet Ignorantia, in Ethicis *conſiderari poteſt. I. Generaliter*, explicando quomodo Ignorantia tanquam privatio poſſit eſſe cauſa alterius poſitivi. *Ubi* nota, quod *cauſalitas Ignorantiæ* 1. *Non ſit propria* influendo in eſſe cauſati. Nam hoc modo Privativum non poteſt eſſe cauſa Poſitivi. 2. *Sed impropria ſaltem & per accidens*, vid. per ſublationem & remotionem ſcientiæ, tanquam impedimenti obſtantis, ne aliquid fieret. V. G. Gen. 38. Inceſtus commiſſi à Juda cum Thamar, quam nurum ſuam eſſe ignorabat, cauſa eſt Ignorantia, ſed impropriè & per accidens ſaltem, quat. tollebat ſcientiam, quæ inceſtum impedire poterat, ſi enim nurum ſuam eſſe ſciviſſet, non congreſſus fuiſſet, unde & ejusdem imprægnationem poſtmodum improbavit. Ubi nota, eam hîc intelligi potiſſimùm Ignorantiam, quæ ſcientiam tollit, tanquam prohibituram actum illum tollendo voluntatem agendi. Hic notetur ex mente nonnullorum *diſtinctio inter agere quid ignorantem & ob ignorantiam. Ignorans* enim & ille *agit*, qui ob habitum vitij contractum ignorat, quid agat, dum quæ mala ſunt, pro bonis amplectitur, neque tamen hîc ob ignorantiam peccare dicitur, *II. Specialiter* enodando, quænam in ſpecie Ignorantia, & quomodo actionem reddat invitam & excuſabilem.

40. *Reddit* autem *Ignorantia actionem*. *I. Invitam*, vid. *Ignorantia*. 1. *Antecedens omnis*, quia planè voluntatem tollit,

4. *Cauſalitas, conſiderata.* (1) *generaliter.*

2. *Specialiter.*

I.

tollit, quum non sit affectata, nec ex negligentia orta; *Non autem Consequens*, quia ignorare voluit; *neque Concomitans*, quippe quæ actionem invitam propriè non reddit, quia post approbat, quod Ignorantia fecit. Ast id tantum invitum propriè est, quod si cognosceremus, aversaremur. 2. *Invincibilis*, tum in se, tum in sua causa, præsertim si sit pura, ut habeat subsequentem pœnitentiam; *non autem vincibilis*, quippe per quam si quis agit, ei per eam agere placuit, tum quia ipsam, cum posset, animo non expulit, tum quia scientiam, quà impedire eam poterat, acquirere noluit. Et licet quidam vitiosis habitibus infecti rectè de rebus amplius judicare non possint, tamen invitum id planè non est, quia ob longam peccandi consuetudinem ultrò ipsi sibi hanc ignorantiam accerserunt. Hinc reg: *Quicquid fit ex errore vincibili à peccato non excusat*, vide Becan. Theol. Schol. part. 2. to. 1. tr. 1. c. 4. n. 9. 3. *Juris positivi humani*, (1) *ante ejusdem promulgationem*, *& communem receptionem*, quia tunc ejus ignorantia sine dubio excusat; *non autem post promulgationem*, tunc enim in foro exteriori ignorantia non excusat, cum illic non nisi crassa & supina præsumatur. Exemplum Jonathanis 1. Sam. 14. v. 27. Vide brevitatis gratia apud Keckerm. S. Eth. p. 57. (2) *abstrusi atque intricati*, si vid. ejus ignorantia non fuerit vincibilis, ut vel habuerit, quem consuleret, vel ipse prudentiâ instructus sit, quà facilè id scire poterat; *non autem communis*, cujus explicatio obvia est; *Non autem Juris naturalis* (1) *quoad communissima ejusdem præcepta* in se nudè ac sine peculiaribus circumstantijs proposita, ob eorundem evidentiam maximam. Vide Vasquez. in 1. 2. dis. 122. c. 1. (2) *non autem æquè quoad conclusiones, ex jure naturæ deductas*, quæ propter adjectas circumstantias obscuriores & difficiliores. Sic licet, quis ignoret, hominem non esse occidendum, ignorare tamen potest, an ei, qui lethaliter jam vulneratus est, & ipse summoperè rogat, mors approperanda sit. Vide Cl. Horn. Eth. l. 3 c. 4. p. 346.

2. (1.) *II Excusabilem*, ita ut excusari possit actio illa. Ubi ex Scholasticis *nota* duplicem *distinctionem excusationis*, juxta quos *Excusatio est* 1. *vel Totalis sive à Toto*, quando à re ignorata in totum

tum quis excusatur: *vel Partialis sive à Tanto*, quando quis saltem secundum quid excusatur. Hoc modo Oedipus excusatur à parricidio, quia ignoravit Lajum parentem esse, non autem ab homicidio. Sic Judas, Gen. 38. excusari potest ab incestu, non autem à fornicatione. 2. *vel in foro Exteriori*, ut coram Magistratu; *vel in foro Interiori* & Conscientiæ. Sic ignorans legem promulgatam excusari posset in foro conscientiæ, non autem æquè in foro exteriori. (2.)

II. Principium, *quod est Actus.*

41. Sequuntur jam *Principia*, à quibus actus exterior provenit, quæ *duplicia*, vid. *actus Interior I Intellectualis* seu Intellectus, qui duplex hic præcipuè observetur *I. Consultatio seu Deliberatio. 2. Dijudicatio seu conscientia. II. Voluntatis*

I. Intellectus, ut est 1. Consultatio.

42. *Consultatio* est diligens inquisitio mediorum, quæ ad finem consequendum aptissima sunt. Ubi notetur *Consultationis I. Objectum*, h. e. res, de qua consultatio suscipitur. *Sit* autem Objectum βουλευτὸν seu consultabile. 1. *Agibile* à nobis, ita ut sub actiones nostras cadat. Hinc non consultamus *(1)* de æternis V. G. Cœlo & alijs Physicis. *(2) de fortuitis*, quæ in fortunæ arbitrio posita sunt, non nostro, V. G. de inventione thesauri. *(3) de actionibus planè alienis*, cum, quæ Scythæ aut Chinenses agunt, ad nos non pertineant. *(4) de præteritis*, quæ mutari & infecta reddi nequeunt. 2. *Dubium*, quod non uno eodemq; modo succedit. Sic Medicus, etiam optimè suam artem callens, deliberat, qua ratione morbum curet, quia sanitas non semper eodem modo succedit. *Contrà* artifex, qui artem pingendi literas perfectè didicit, non deliberat, quomodo literas pingat, quia pictio certa est semper. 3. *Medium*, quo ad finem intentum imus; *non autem finis, quà talis*, quippe qui in deliberationem non venit. *II. Modus*, *in quo* respiciatur (1) *Scopus certus*, qui figendus est consiliis, ne frustrà suscipiatur consultatio. (*II*) *Medium*, per quod propositum finem possimus consequi. *Hujus* notetur 1. *Quantitas discreta sive Numerus*, in quo paucitas attendatur, juxta reg. *Non debet fieri per plura, quod fieri potest per pauciora*, quia semper in pluribus proclivior est confusio & lapsus. 2. *Qualitas*, *in qua* consideretur *mediorum* (1) *Honestas*, quia per mala & inhonesta

(1)

(2)

(3)

2.

media non licet ire ad finem bonum. (2) *Facilitas*, Faciliora n. difficilioribus præferenda. (3) *Possibilitas*, quia impossibilia per
3. nos & nostrates effici nequeunt. *3. Usus & Executio*, in qua notetur (1) *Ordo*, in quo à primo usq; ad ultimum progrediendum (2) *Occasio oportuna*. Nam levissima occasio sæpè ad maximas res perficiendas ducem se præbet, cujus exempla vide ap. Camer. cent. 1. op. subc. c. 80. (3) *Associatio aliorum*, si per nos solos negotium propositum geri nequeat.

2. *Conscientia, cujus consideratio.* 43. *Conscientiæ consideratio duplex* esse potest. *I. Absoluta*, quà conscientia in se & sua naturâ consideratur. *II. Respectiva*, quà probatur Conscientiam esse Principium actuum exteriorum, ceu patet ex dependentia actuum exteriorũ à conscientia. Dependere autem istos actus à conscientia patet. 1. Ex conditione legis naturæ, tanquam normæ manifestantis & repræsentantis moralem perfectionem actionum, ista a. repræsentatio nullo modo fieri potest absq; cognitione, quæ hîc est conscientia. 2. Ab opposito, quia qui contra conscientiam propriè dictam agit, ille peccat. *Ratio* nulla dari potest alia, quàm quia relinquit ducem, h. e. intellectus judicium, à quo dependere debet.

(1) *Generalis.* 44. *Absoluta* consideratio *rursus duplex*. *I. Generalis*, quà communia considerantur. *Est q; I. Nominalis, in qua* enodatur *Æquivocatio, juxta quam Conscientia est q;* (1) *Antecedens*, quæ est judicium de rebus faciendis, tanquam honestis & præceptis, vel non faciendis, tanquam turpibus & illicitis. Hæc nunc intelligitur, & ad illam pertinet actus obligandi & instigandi voluntatem, ut opus honestè aggrediatur & perficiat. (2) *Consequens*, quæ est judicium de rebus jam factis. Unde eius actus est testificari, vel laudatoriè si actus bonus fuit, vel reprehensivè & accusativè, si malus. De hac Conscientia
2. disp. 2. th. 38. egit. *II. Realis, in qua* enodatur (1) *Definitio*, quæ hæc esto: *Conscientia est judicium intellectus Practicum, homini proponens & suggerens, quid in civili vita consentaneum sit, aut quid fieri vel non fieri debeat.* (II) *Modus dictaminis*, quò conscientia aliquid dictat ac imperat, qui *duplex* esse potest: 1. *Affirmativus*, dicendo aliquid esse faciendum (1) *Simpliciter*, tanquam

quam factu necessarium, quodq; pro nostro arbitrio omittere non possumus. *Dicitur* hîc modus imperandi *propriè præcipere*, V. G. quùm conscientia præcipit DEI cultum, parentum honorem. (2) *Determinatè & Comparatè*, tanquam factu honestius & melius, licet non ita necessarium sit. *Dicitur hic* modus imperandi aliàs *consulere sive suadere*. Sic ratio dictitat ex duobus malis minus esse eligendum. 2. *Negativus*, negando aliquid esse faciendum (1) *Simpliciter*, quia necessariò fugiendum est. Dicitur aliàs *Vetare* simpliciter. (2) *Determinatè & comparatè*, quando in comparatione monstrat hoc magis fugiendum quàm illud, vel meliùs omitti hoc posse quàm præstari. Dicitur aliàs *Dissuadere*. (III) *Objectum* cui imperat conscientia, *quod* esse potest *persona juris*, 1. *Sui*, quæ suo regimine rem gerit. 2. *Alieni*, quæ agit ex superioris, à quo dependet, mandato, qualis est servus respectu Domini, vel subditus respectu Magistratus. *Potest autem Personæ alieni juris deferri* (1) *Judiciaria causæ cognitio*, ut vid. Judex sit in re quapiam. (2.) *Nuda executio*. Hæc deferebatur Doëgo in trucidatione Sacerdotum, 1. Sam. 22. v. 18. *II. Specialis*, quà specialiter enodatur *Conscientia* dicta. I. Propriè, ut est Conscientia. 1. *Recta*. 2. *Erronea*. 3. *Probabilis*. II. Impropriè, ut est Conscientia. 1. *Dubia*. 2. *Scrupulosa*. De singulis notetur (1) Definitio. (2) Obligatio.

(3)

(2) *Specialis, in qua conscientia dicta* 1. *Propriè, ut est* 1. *Recta* 3. 1.

45. *Conscientia Recta* est judicium dictans id, quod cum jure divino vel humano indubitatò consentit. *Huic judicio obsecundare debet* 1. *Simpliciter persona sui juris, tam* in affirmativis *quàm* negativis. *Ratio* simplicis hujus obligationis desumitur ex exacta congruentia hujus dictaminis cum jure divino & humano. Unde & illud, quod conscientia saltem suadet ut honestius, non temerè negligendum. *II. Determinatè persona alieni juris. Hæc* 1. *in Affirmativa præceptione* conscientiæ dictamen ita sequatur, ut absq; detrimento vel præjudicio ejus, à quo pendet, negotium gerat. 2. *In Negativis*, seu quando conscientia vetat quid facere, diversimodè se persona illa gerat pro rei mandatæ diversitate. Nam (1) *in nuda executione, ubi & error tolerabilis, potest vel* à superiori impetrare,

2.

ut ab hoc onere absolvatur; *vel* pro circumstantiarum ratione rem executioni mandare. (2) *In judiciaria autem causæ cognitione, ubi & error intolerabilis, dictamen conscientiæ sequi tenetur*, & mandatum exequi non debet, quia tunc Deo magis est obediendum quàm hominibus, Act 5. v. 29. Hinc graviter peccabant Seniores Israelitici, qui injustissimum Izebelis mandatum exequebantur, trucidando innocentem Nabothum, 1. Reg. 21. v. 13. *Contrà* rectius executioni mandatum Saulis tradere verebantur, & detrectabant Satellites, 1. Sam. 22. v. 17. quia error Saulis erat intolerabilis.

2. *Erronea. cujus consideratio*

(1) *Generalis.*

46 *Conscientia Erronea* est judicium à jure divino & humano dissentiens in dictamine, dum judicat, quid faciendum aut omittendum, quod tamen minimè faciendum aut omittendum erat. *De hac* conscientia notetur *consideratio I. Generalis, quod opera danda sit, ut error exuatur*, quoniam aliàs voluntatem obligat. *Oritur autem illa obligatio etiam erroneæ*

1. *Conscientiæ* respectu voluntatis *ex duplici lege. 1. quâ Voluntas, ut cœca planè potentia, tenetur sequi intellectum tanquam ducem & proximam suam regulam*: Unde sive erret, sive non erret,

2. voluntas stare debet ipsius judicio. 2. *quâ Voluntas malum fugere tenetur, si recta esse debet.* Ast formaliter & per se non fugeret Voluntas malum, si à judicio intellectus discederet, quia tunc voluntas, quantum in se est, vult agere contra legem divinam & Principis, appetendo id, quod prohibitum vel inhonestum judicatur ab intellectu, num autem verum vel falsum hoc intellectus judicium sit, cœca voluntas non perspiciet. Vide Becan. Theol. Schol. part. 2. tom. 1. tr. 1. c. 4. q. 7. n. 8. Quod autem agens contra conscientiam errantem faciat legi divinæ & humanæ consentanea, fit id planè materialiter saltem & per accidens, quia non juxta sed contra legem illam ipsi agere propositum erat. *II. Specialis*, quâ enodantur modi specialiores peccandi in actione contra conscientiam etiam errantem.

(2) *Specialis.*

1. *Peccat enim agens contra conscientiæ Erroneæ dictamen, in Ignorantia* (1) *Invincibili*, quia dum à proxima sua regula, vid. judicio intellectus, voluntas deficit, recta esse nequit. *Contrà* qui actus voluntatis conformis est judicio

judicio invincibiliter erroneo, bonus moraliter censetur, etjamsi objectum contingat esse turpe, quia ex discursu prudenti judicium illud formatur. V. G. Petrus invincibiliter ignorat, pecuniam, quam à parente accepit, esse alienam, putans bona fide suam esse. Occurrit ipsi pauper eleemosynam petens, tum apud se ratiocinatur Petrus h m. Quicquid est proprium meum bonum, ex illo honestè pauperi eleemosynam dare possum. Atqui hæc pecunia est proprium meum bonum. E. ex hac pecunia pauperi honestè eleemosynam dare possum. Hic discursus prudens censetur, licet donatio pecuniæ sit alienæ, non propriæ, quoniam ille invincibiliter ignorat alienam hanc esse pecuniam. Vide plura ap. Vasq. dis. 58. c. 1. & 2. *(II) Vincibili, & quidè de re & objecto* 1. *Indifferenti per se*, quod, absolutè & in se consideratum, habet se indifferenter ad honestatem vel inhonestatem, ad præceptionem vel prohibitionem, ita ut utrumq; sit licitum, sive agas, sive non agas. Hoc modo militia est indifferens homini Christiano, quippe cui licet & militare & non-militare. Jam si quis agat contra conscientiam in re indifferenti, peccat, quia, quantum in ipso est, contra honestatem & legem agere annititur ita, ut inhonestum & prohibitum concupiscere malit. Unde, qui agit secundum conscientiam in re indifferenti, per se non peccat ideò, quia se se conformat conscientiæ in re licita, cum utrumq; oppositorum sit concessum & liberum, h. e. agere & non-agere. V. G. Si quis credit Christiano prohibitum esse militare, & tamen militat, peccat, quia agendo contra conscientiam contemnit legem DEI, & appetit prohibitum, *Contrà* non peccat, cum non militat, quia tunc sequitur judicium conscientiæ in re aliàs licita & concessa. Sic qui sub initio Ecclesiæ in N. Test. credebant, abstinendum etiam esse Christiano à cibis vetitis in Vet. Testamento nec tamen abstinebant, peccabant, quia contra conscientiam comedebant, faciendo id, quod fieri non debere credebant. Unde grave enunciatum Apostolicum de actione contra conscientiam in re indifferenti, Rom. 14. v. 23. *Omne quod non est ex fide, peccatum est. Contrà* qui secundum illam conscien-

2. (1)

tiam, licet erroneam teste Paulo, Rom. 14. v. 14. tum agebant, non æquè peccabant, quia sequebantur conscientiæ dictamen in re indifferenti. Unde & propter Neophytos opinio illa tum temporis tolerabatur. (1) 2. *Malo per se.* *Tunc* autem quod probè nota, *peccat agens* (1) *contra conscientiam*, quia ipse, quantum in se, agere vult contra legem, cui obedire detrectat. V. G. in Rep. Platonis omnia ut sint communia requiritur. Si jam (ut ex hypothesi loquar) in hujusmodi Repub. alicujus conscientia errans dictaret, à lege naturæ mandari omnia ut sint communia, ille autem contra conscientiæ illius dictamen fugeret omnium communicationem, peccaret sanè stante isto dictamine conscientiæ, quia id, quod secundum ejus judicium lex naturæ imperat, contemnit, ejque obedire detrectat. (2) *Juxta conscientiam etiam*, quia iste error est vincibilis, quippe quem, cum possit, deponere non vult. Unde juxta hanc conscientiam agens peccat non præcisè ideò, quod sequatur dictamen conscientiæ; sed quod error iste sit vincibilis in re illicita. V. G. apud Lacedæmonios furta & adulteria, apud Locrenses, Ætolos & Acarnanos prædationes olim erant licitæ, teste Plutarch. in Lycur. Xenoph. de rep. Laced. Si quis autem tunc secundum conscientiæ errantis dictamen committeret furta, adulteria, prædationes, peccaret, quia iste error est vincibilis in re illicita. Sic 1. Sam. 13. v. 9. Saulis erronea conscientiæ dictabat, sibi in tali casu licere holocausta offerre, peccabat tamen agens juxta istam conscientiam, ceu patet ex v. 13.

(1)

(2)

2.

3. *Opinativa.*

47. *Conscientia Probabilis seu Opinativa* est judicium, quo intellectus probabiliter uni parti assentitur cum formidine tamen oppositi. *De hac tria* hîc *notentur. I. Requisita opinionis*, quæ *duplicia.* 1. *Intellectus aliqualis adsensus*, quo ad unam contradictionis partem declinat ob rationes datas. In hoc opinio contradistinguitur dubitationi, quæ neutri parti determinatè adsensum præbet. 2 *Principij motivi imbecillitas*, vid. ut intellectus moveatur ad adsensum insufficienter cum formidine alterius partis. In hoc opinio contradistinguitur conscientiæ Rectæ, quia hæc habet certitudinem firmam, illa non item. *II. Principium motivum*, quod movet

1.

(1)

in-

intellectum nostrum ad adsensum, estq; *duplex*. 1. *Internum*, (1.)
quod ex ipsa rei natura petitur. 2. *Externum*, quod extrinse- (2.)
cùs adsumitur ex autoritate doctiorum. III. *Obligatio*, quà 3.
homo conscientiam probabilem in probabilibus sequi tene-
tur, ita ut agens juxta eam rectè faciat, malè qui contrà. Est
autem hæc obligatio consideranda *rationæ personæ, quæ est ju-*
ris. 1. *Sui*. 2. *Alieni*.

48. *Persona sui juris consideratur in* opinionum *probabi-* (1)
litate. 1. *Æquali*, quando opiniones æquè probabiles sunt. *Et*
tunc ipsi liberum est sequi alterutram opinionem, quam velit. Ra
tio desumitur ex æquali probabilitate, ob quam non necesse
est unam potius sequi, quàm alteram. 2. *Inæquali*, quando o-
piniones istæ non æquè pluribus aut firmioribus rationibus
nituntur. *Et tunc sequatur* opinionem *probabiliorem*, quæ fir-
mioribus nititur fundamentis, *si* scil. *eadem & tutior*, ita ut
non ita facilis in illa sit lapsus. Hinc & regula: *In dubiis tutior*
& mitior pars est eligenda. V. G. Deut. 22. v. 24. seq. Si puella
desponsata fuerit ab aliquo compressa in agro, lex solum
scortatorem pœnæ destinat, quia v. 27. puella desponsata in
agro clamaverit, nec fuerit, qui servaret eam. Ubi certè lex
factum interpretatur in meliorem partem puellæ, scil. quod
fuerit cognita per Violentiam; licet aliàs ipsa quandoq; vo-
luntariè clamorem intermittere & in factum consentire po-
tuerit. Sic Præceptor tenetur docere sententias, quas proba-
biliores credit adhibitâ diligentiâ debitâ, quia aliàs injuriam
facit Discipulis, quos exponit periculo erroris.

49. *Persona alieni juris* debet contra propriam opinio- (2)
nem amplecti sententiam superioris probabilem & licitam.
Fundamentum a. ob quod suam sententiam relinquere, & su-
perioris imperantis opinionem amplecti debet, *est* (nõ nuda
subjectio, sive quia superiori ita placet, sed) *probabilitas istius*
sententiæ, quam colligit persona alterius juris. 1. Ex testimonio e-
ruditorum, quando subditus scit, eam sententiam compro-
bari à multis Doctoribus. 2. *Ex superioris doctrina & prudentia*
(1) *immediata*, quatenus ipse superior imperans & doctus est
& probus. (2) *mediata*, quatenus superior aliorũ prudentiorũ
hominum consilio cuncta administrat, v. g. subditus principi,
ad

ad bellum eum vocanti, tenetur obedire, licet ipse dijudicare nequeat, justumne an injustum illud bellum, quia scit, principem vel doctum & probum esse, vel virorum sapientiorum consilio omnia regere.

II. Impropriè, ut est

50. *Conscientia impropriè dicta est*, in qua nullum adest propriè judicium, statuens de re quapiam certum quid. v. g. an fieri an omitti debeat, quod judicium determinatum in omni conscientia propriè dicta requiritur. Est a. hujusmodi conscientia imgropriè dicta, duplex. *I. Dubia. II. Scrupulosa.*

1. Dubia, de qua notetur

51. *Conscientia Dubia* est, cum intellectus dubitat, utri parti contradictionis assensum præbere debeat. *De hac* dubia conscientia *notetur. I. adjuncta periculositas*, juxta regulam: *Qui operatur cum dubio practico, qua tali, manifestè se exponit periculo errandi, adeoq; peccat. Ratio* desumitur ex eo, quod dubitans, an bonum quidquam sit, an v. malum, utrumq; fieri posse putat, h e. ut, & rectè & malè faciat, si id agat. Postquam a. dubium & anceps illud agit, 1. imprudenter planè agit. 2. utrūq; aliquomodo vult, h. e. & benè & malè agere, nisi n. utrumq; vellet, non ageret, quia ignorat, utrum determinatè bonū vel malum. Ex hac ratione D. Paulus Rom. 14. v. ult. ait: *Qui dubitat, si ederit, condemnatus est. II. Species. Est n. conscientia dubia duplex.* 1. *Theoretica*, qua de re universali simpliciter dubitatur. v. g. an sit militandum, an usuræ sint licitæ. 2. *Practica*, qua dubitatur de re singulari ratione certarum circumstantiarum, v. g. an huic vel illi licitum sit militare in tali bello, an huic vel illi hoc tempore à tali persona licitum sit accipere usuras. Practica hæc dubitatio subordinatur theoreticæ, tanquam specialius quid suo generaliori. Unde Practicum judicium certum esse nequit speculativo existente dubio.

(1) Periculositas.

(2) Species.

1.

2.

2. Scrupulosa.

52. *Conscientia Scrupulosa* est, qua aliquid statuitur licitū esse, ita tamen ut subsit scrupulus aliquis, vel rationabilis, vel irrationabilis. Vide Becan Th. Sch. par. 2. to. 1. tr. 1 c. 4. q. 10.

II. Voluntatis.

53. *Actus Voluntatis* est volitio seu actus volendi, qui duplex. 1. *Simplex*, qua appetitur & finis, & id, quod subitò facimus, nec tamen eligitur. Vide Arist. 3. Eth c 2. 2. *Determinata*, qua determinate ex præcedēte consultatione appetuntur media, ut est Electio, de qua dis 5. fusius agetur.

COLLEGII PRACTICI GENERALIS
seu ETHICI
DISPUTATIO QUINTA
DE
MEDIO ETHICÆ.
VID. VIRTUTIBUS MORALIBUS IN GENERE.

Quam

Auſpicio Sacroſanctæ Trinitatis
Et
Conſenſu Ampliſſimi Senatus Philoſophorum
In
Incluta ad VARNUM Academia
Sub Præsidio
M. JOHANNIS ELERI
Rigâ-Livoni.
Defendendam ſuſcipiet
JACOBUS MARCHIO,
Perlebergâ-Marchita.

Horis locoq; conſuetis die 10. Januarij.

Piccolom. grad. 4. c. 53. p. 378.

Virtus eſt parens nobilitatis: propterea qui virtutem non diligunt, vel parentem ſpernunt, vel ſe non vere nobiles patefaciunt.

ROSTOCHI
Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ. Anno 1627.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0109
DFG

THESIS I.

SEquitur jam *Tertia Ethicæ pars*, vid. *MEDIUM*, quo ad finem obtinendum tendimus. Hoc fini suo proportionari debet, quippe ex quo amabilitatem & mensurationem accipit juxta reg. *Finis dat mediis amabilitatem, ordinem & mensuram. Est* autem h. l. Medium *ipsa Virtus moralis*, quæ nos ad Ethicum finem ducit.

Virtutis Moralis consideratio est

2. *Hujus consideratio duplex* esse potest. *I. Generalis*, qua generaliter considerantur ea, quæ virtutibus omnibus communia sunt. *II. Specialis*, qua specialiter quælibet Virtutis moralis species consideratur secundum ea, quæ cuiq; propria. De hac seqq. agent disputationes.

I. GENERALIS. quæ rursus

3. *Generalis* consideratio Virtutis *rursus duplex. I. Nominalis*, secundum vocem & nomen. *II. Realis*, secundum rem ipsam, pro qua vox virtutis moralis supponitur & accipitur.

4. *Nominalis* consideratio hic *gemina est. I. Notatio. II. Æquivocatio.*

I. Nominalis, *in qua*

5. *Notatio respicit & originem & impositionis rationem in voce. I. Virtutis*, vid. cur & unde dicatur Virtus; *cujus* vocis *notatio* secundum triplicem linguam *hîc triplex* esse potest. 1. *Latina, juxta quam Virtus* variè *deducitur* (1) *â subjecto excellentiori, vid. VIRO*, quippe quem maximè Virtus decet. Hæc notatio reliquis frequentior. *Dico notanter* à subjecto excellentiori, quia & mulieribus virtus competit, ceu ex thes. 23. patet. (2) *ab effecto*, vid. *à Vigore* juxta nonnullos, quia virtus animo humano vigorem addit ad præclara gerenda. (3.) *à vi allusivè*, juxta Durandum, quod virtus sit vis quædam animi in arduorum aggressione & adversorum perpessione, ac deniq; placitorum abstinentia. Alias allusiones gratiâ brevitatis vide ap. Keckerm. Syst. Ethic. l. 1. c. 1. p. 75. 2. *Græca*, *juxta*

I. Notatio in voce

(1) *Virtutis.*

1.

(1)

(2)

(3)

2.

(1) *juxta quam* ἀρετὴ *derivatur* (1.) *ab objecto ſpecialiori* juxta Scalig ex. 300. ſ. 3. vid. ἀπὸ τοῦ ἄρην, à Marte ſeu bello per Synecdochen objecti ſpecifici pro generaliori, quia in bello virtutis vis maximè conſpicitur. Hinc & Cic. in off. Nomen
(2) virtutis, *inquit*, antiquitus fuit ſolius fortitudinis. (2) *ab Efficiente* juxta nonnullos, vid. ἀπὸ τοῦ αἱρεῖσθαι *ab eligendo*, quia electio virtutis cauſa eſt, ita ut nulla ſit virtus, niſi ex certo animi judicio & proæreſi. Unde juxta ipſos ἀρετὴ dicitur q. αἱρετὴ (3) *ab effecto*, vid ab αἴρω tollo, quia *tum* hominum
(3) mentes ad ſumma & ardua attollit, *tum* ipſos homines in cœ-
(4) lum quaſi effert. (4) *ab adjuncto*, vid. ἀπὸ τοῦ ἐραστοῦ amor, quia amabilitas eſt virtutis adjunctum, quippe quæ maximè expeti debet & amari, tanquã medium nos ducens ad ſummũ bonũ Ethicum. Juxta hanc notationem ἀρετὴ dicitur per Metatheſin pro ἐρατὴ. 3. *Germanica*, juxta quam virtus dicitur Tugend/ à Taugen vel Tiegen/ h. e. valere, quia virtus multum valet, & tanquam viſeſt ſeu valor animi. *II. Moralis*, quam denominationem habet ab objecto, vid. moribus, quos informat VIRTUS. Ariſt. 2. Eth. c. 1.

3

(2) *Moralis.*

II. Æquivocatio.

6. *De Æquivocatione notetur, quod Virtus ſumatur* bifariam. *I. Generaliſſimè*, pro qualicunq; perfectione eſſentiæ ſeu rei, qua res dicitur poſſidere omnia requiſita ad ſtatum ſibi connaturalem & convenientem. Hoc modo Virtus *adhuc*

I.

(1) ſupponi poteſt *bifariam*, 1. *in actu primo*, pro potentia ſ. principio operativo, ad quod operatio conſequitur aut conſequi poteſt. Hoc modo virtus ſumi poteſt *pro potentia ſeu principio* (1) *Infinito & independente*, vid. pro divina potentia, per quam Deus operatur, ut Phil. 3. v. 12. 1. Pet. 1. v. 5. Plura vide apud Flacium clav. ſcrip. par. 1. pag. 1281. (2.) *Finito & dependente*, v. g. cum Magneti tribuitur virtus & attrahendi ferrum, & ſe convertendi ad polum Antarcticum; cum fonti cuidam in Hungaria ad oppidum Smolnitium in monte Carpatho tribuitur virtus vertendi ferrum injectum in cuprum optimæ notæ. Sic gemmis & herbis plurimæ virtutes tribu-
(2) untur à Phyſicis. 2. *In actu ſecundo, pro ipſo effectu & operatione.*

(1.) *Di-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0112
DFG

(1) *Divina*, ut Psal. 110. v. 3. Populus tuus spontaneus in die virtutis tuæ. h. e. victoriæ tuæ juxta interpretationem Flacij. clav. par. 1. p. 1281. & Psal. 118. v. 16. Dextera Jehovæ facit virtutem. h e. præclara & strenua edit facta. (2) *Creata & finita*, ut quando sumitur pro fructibus arborum & terræ. Sic & de operatione Flac. interpretatur Ruth. 4, v. 11. Fac virtutem in Ephrata. *II. Specialiùs*, quatenus specialiter homini attribuitur, sumiturq; pro principio, quo homo bonus efficitur, & ad munia sua exequenda idoneus. Et tunc Virtus *adhuc* æquivocè supponi potest *dupliciter*. (1) *Potentialiter & minus principaliter*, quatenus Virtus sumitur pro naturali dispositione & inclinatione ad virtutem quandam. Hæc proclivitas ad virtutem dicitur semen virtutis, & ex lumine naturæ ac libero arbitrio, quantulum illudcunq; in homine post lapsum in civilibus manet, resultat, quia homo adhuc & rectè aliqualiter judicare potest per naturam de rebus civilibus, & simul velle atque facere talia pro suo arbitrio. *Ubi tamen notes accuratè velim, illas notitias de rebus civilibus dici quandoq; naturales & congenitas, non ratione actualis connascentiæ*, quasi actu ab ipsa nativitate nobis ingeneratæ & connatæ essent, ita ut statim simul ac in lucem edimur ista principia omnia actu cognosceremus; *sed ratione connatæ δυνάμεως κριτικῆς intellectualis*, quæ prima principia statim, atque menti sufficienter objiciuntur per terminorum simplicium apprehensionē & compositionem, cognoscit, ipsorumq; veritatem dijudicat solo suo lumine, absq; ope alterius *tum* habitus ac disciplinæ, *tum* præceptoris demonstrantis, quod ipsum Peripatetici declarare solent similitudine desumpta à sensu communi. Ut enim Sensus Communis recepta objecta sensuum externorum discernere novit, distinguendo inter colorē & odorem, non propter species sensiles coloris & odoris connatas, & in sensu illo hærentes, sed propter solam suam virtutem κριτικὴν, qua scit distinguere inter hujusmodi diversa objecta; Sic & intellectus humanus prima illa principia, item verum & falsum, honestum & turpe, distinguere novit, non ob distinctiones eorum actu congenitas, & hærentes in mente, sed ob ingenij

2.

(1.)

NB. Quomodo dentur notitiæ naturales, & principia naturaliter nota.

naturalis aciem, quæ potens est sufficienter oblata honesta & turpia distinguere. *Quod autem actualis notitia primorum principiorum*, ut & honesti ac turpis, *actu nobis non connascatur, probari potest* ex mente Peripateticorum *viâ duplici. I. Directâ*, & quidem *argumento* 1. *Artificiali, deducto.* (1) *à remotione effectus seu operationis ad remotionem causæ necessariæ & sufficientis naturaliter.* h. m Quicunque intellectus habet prima principia actu congenita & species intelligibiles actuales, ille etiam ijsdem speciebus & notionibus universalibꝰ uti potest. Atqui intellectus infantis, recèns nati, non potest uti speciebus & notionibus illis universalibus. E. intellectus infantis recens nati nō habet prima illa principia actu congenita, neq; species intelligibiles actuales. *Major* probatur ex Canone Logico: *Posita causa sufficiente in actu & non impedita ponitur etiam ipse effectus.* Jam hic ponuntur principia. 1. Sufficientia vid. intellectus, specie intelligibili actualiter informatus quoad actualem notitiam, ex mente scil. adversariorum. 2. non-impedita, quia operatio intellectiva, in se considerata, à corpore non dependet, unde organorum imbecillitas impedimento esse non potest, præsertim memoriæ intellectivæ. *Minor* probatur. 1. ex notionum universalium abstractione & purificatione ab omnibus conditionibus individuantibus, quæ purificatio in infantem recens natum quod cadat, non probabitur. 2. ex consequente, vid. recordatione istius operationis, quæ certè nulla datur in provectiori ætate. Si autem actualem discursivam notitiam istorum principiorum haberemus in infantili ætate, certè illius discursus recordatio aliqualis daretur in ætate provectiori. (2) *à conditione sine quâ non* cognoscit intellectus in statu unitionis, vid. quatenus anima corpori est unita. Est autem hujus cognitionis intellectualis conditio sine qua non præcognitio sensualis. Hinc ita argumentor. Quicunq; caret istorum principiorum cognitione prævia sensuali, ille caret & eorundè cognitione intellectuali. Atqui infans recens natus caret istorum principiorum cognitione propria sensuali, quod patet experientiâ. E. carebit & eorundem cognitione intellectuali actuali. *Major* patet ex Canone

Logi-

Logico: *Negatâ conditione sine qua non, negatur & ipsum conditionatum.* Esse autem sensualem præcognitionem conditionem, sine qua non intelligit intellectus objectum suum in hoc statu, patet ex Canone illo Physico: *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu scil. inexistentia vel mediata vel immediata.* Unde in hac regula dist. notetur inter Ens & modum Entis, quum eadem res sit in sensu & intellectu, verum non eodem modo. Nam universalia sunt in sensu particulariter, in intellectu autem universaliter. 2. *Inartificiali*, vid. à testimonio Arist. Thomæ aliorumq; Philosophorum, quos gratia brevitatis vide ap. Rev. & Excel. Dn. D. Jac. Mart. præc. meum hon. par. Metaph. lib. 1. sect. 7. q. 4. ubi & plura invenies argumenta. *II. Indirecta per deductionem ad absurdum*, h. m. Quicunq; principia & propositiones actu cognoscit & apprehendit, ille & actu utitur ratione, propositionum veritatem, earumq; simplices terminos, apprehendendo. Atqui verum prius de infantibus recens natis, juxta contrariæ sententiæ patronos. E & posterius, quod tamen absurdum, quia nullus infans recens natus hujus propositionis (Parentes sunt venerandi) terminos simplices naturaliter novit, vid. qui dicantur parentes, quid sit venerari aliquem. Unde neque de ipsorum terminorum compositione ritè judicare potest; imò nullus hujusmodi usus rationis in infante monstrabitur. Nam quod de conscientiæ stimulis & subditis, distinguentibus inter justas & injustas leges, objiciunt, in eo manifestam committunt ἄγνοιαν ἐλέγχου, cum quæstio sit de infantibus, illi autem objiciant de adultis. *Conclusione* jam *existente absurda, absurda erit*, vel major vel minor, quia ex veris nil nisi verum. *Non Major*, quia 1. Propositio constat ex terminis illis simplicibus, tanquam ex suis principijs, unde judicium fieri nequit de ipsius propositionis qualitate, vid. veritate vel falsitate, rectène termini compositi sint, an verò secus, ubi nullus adhuc conceptus formatur de ipso termino simplici, quia omne principium est prius suo principiato, etiam prioritate cognitionis distinctæ. *E. Minor*, quæ est adversariorum. Et per consequens nostra contradictoria thesis erit vera, vid. quod

infans

Infans recens natus non cognoscat actu principia & propositiones. De hac controversia ob materiæ utilitatem Deo auxiliante alibi fusiùs agam. Ex hisce jam patet error eorum, qui pro actuali primorum principiorum cognitione & connascentia in ipso nativitatis momento acriter pugnant, quorum tela in ipso conflicto disputatorio discutiemus. *II. Habitualiter & principaliter magis*, quat. Virtus sumitur pro habitu aliquo, potentiæ superaddito ad facilitandos actus.

2.

7. *Habitualiter Virtus rursus sumi potest* dupliciter, vid. *in statu* 1. *Præcisivo & Abstractivo, quat abstrahitur ab habitu & virtute, tum infusa*, quæ ex se & sua natura non est producibilis, nisi per extraneam actionem aut infusionem externi agentis. Unde per proprios actus seu operationes hominis possidentis ejusmodi virtutes acquiri non possunt, quales sunt virtutes Theologicæ. Fides, Spes, Charitas, de quibus Theologi agunt; *tum Acquisita*, quæ produci potest per operationem propriam possidentis virtutem. *II. Determinato*, quatenus *pro sola virtute acquisita* supponitur, quæ pro subjecti (vid. intellectus & appetitus humani) duplicitate *duplex* statuitur. 1. *Intellectualis & Dianoëtica*, quæ est habitus, intellectum perficiens in veri Enunciatione. De hac intellectuali Virtute alibi prolixiùs agam. 2. *Moralis*, quæ est habitus appetitum perficiens in promta executione eorum, quæ ad rectè vivendum requiruntur. *Hæc maximè propriè virtus dicitur, & ad Ethicam solitariè pertinet, quoad directam tractationem*, tanquam medium vid., nos ducens ad summum bonum morale. Nam *Virtus Dianoëtica & Intellectualis directa tractatione* tanquam genuinum medium, quo ad finem Ethicum directè imus, *ad Ethicam non pertinet*, quod hoc unico argumento evincam: Si habitus intellectuales directè pertinent ad Ethicam, id fiet sub eorundem consideratione *aut* Absoluta, quat. scil sunt habitus, considerati in sua natura & quidditate; *aut* Respectiva, quatenus inhærent intellectui tanquam subjecto, quod perficiunt. *Non priori modo*, quia sic Metaphysicus eos considerat in Qualitate, quando vid. in Metaphysica specialiori accidens & ejusdem modos perstractat. Unum autem

NB. *Virtus Dianoëtica directè ad Ethicam nõ pertinet.*

autem & idem Ens sub eadem formali ratione, seu eodem modo considerandi, tractatum ad diversas disciplinas referri nequit. *Neque posteriori modo.* (1.) quia Ethica non agit de Intellectu, ut de subjecto horum habituum, sed quicquid agit de recta ratione, id tractat de ipsa, ut norma & principio dirigente, ceu patet tum ex disp. 1. tum ex definitione virtutis moralis. (2) quia hoc modo ad Pneumaticam potius pertinent, quippe in qua considerantur perfectiones intellectus, ad quas & habitus illi referuntur. E. nullo modo directè & per se ad Ethicam pertinent, ceu etiam patet ex th. 14. disp. 2. *Notanter dixi directâ tractatione habitus hosce Intellectuales* (vid. Sapientiam, Scientiam, Prudentiam &c.) *ad Ethicam non pertinere, quia aliàs obliqua & indirecta eorundem in Ethicis tractatio* concedenda & probanda, quæ & *duplex* esse potest. (1) *ob virtutis moralis declarationem per intellectuales, ratione* 1. *Oppositionis*, quia *opposita juxta se posita magis elucescunt.* Sic si norim quid sit virtus intellectualis, accuratiùs cognoscere possum, quid sit virtus moralis, & cur hæc sola directè ad Ethicam pertineat, reliquæ non æquè. 2. *Directionis & descriptionis.* Cum enim natura virtutum moralium consistat in mediocritate, definitâ recta ratione, quam ostendit vir prudens, Prudentia a. sit Virtus intellectualis, hujus certè cognitio propter moralem illam directionem & definitionem omninò necessaria erit ad intelligendam doctrinam de Virtutibus moralibus. Vide plura argumenta apud Piccol. gr. 5. c. 4. & Donald. l. 3. c. 13. quæ unicè indirectam tractationem intellectualium stabiliunt. (II) *ob ipsius auditoris conditionem*, qui tanquam tyro sæpè gustum saltem horum habituum percipere intendit, cum hodierno tempore non sit cujusvis omnes disciplinas Philosophicas addiscere. Sic & Clarissimus Gutkius in dis. Eth. 15. q. 1. ait, Aristotelem de hisce habitibus in Ethicis egisse, ut filium ad utramq; beatitudinem incitaret.

Virtutis intellectualis obliqua tractatio duplex.

I.

(1.)

(2)

2.

8. *Realis consideratio* virtutis moralis *duplex* statui potest *I. Absoluta*, qua natura virtutis moralis absolutè & præcisè in se consideratur extra comparationem cum alio. *II. Respectiva*

II. Realis, *quæ est*

ſpectiva & comparata, qua virtus moralis conſideratur in comparatione cum alio.

Abſoluta qua rurſus

9. *Abſoluta* conſideratio *rurſus quintuplex* eſſe poteſt. *I. Definitiva*, qua virtutis moralis definitio enodatur. *II. Cauſativa*, qua explicantur ejus cauſæ. *III. Subjectiva*, qua declaratur ejus ſubjectum. *IV. Affectiva*, qua evolvitur ejus affectio. *V. Effectiva*, qua effecta ejus exponuntur.

(1) Definitiva, *quæ reſolvatur in conceptum.*

10. *Definitio* hæc eſto: *Virtus moralis eſt habitus electivus ſeu proæreticus, conſiſtens in mediocritate quoad nos relata, & rectâ ratione definita, prout vir prudens eam definierit & determinârit.* Ariſt. 2. Eth. c. 6. *Hæc* definitio *reſolubilis* eſt *in conceptum* duplicem. 1. *Latiorem* ſeu contrahibilem. 2. *Strictiorem* ſeu contrahentem.

1. Latiorem, *dum dicitur* (1) *Habitus*

11. *Conceptus latior ſeu genus*, in quo *tum* cum reliquis habitibus, *tum* cum vitio convenit virtus, *duplici voce circumſcribitur, dum* virtus moralis *dicitur I. HABITUS*, qui eſt qualitas potentiam naturalem facilitans ad operandum. Præcipuus enim omnium habituum finis eſt facilitare & juvare operationes potentiarum naturalium, qui & in virtute morali datur. Hæc enim juvat & refrenat operationes naturalis inclinationis, quâ quis naturaliter ad audendum propendet, ne in audaciam degeneret, ipſiq; idem contingat, quod aliàs corpori robuſto, oculis capto, vid. ne hujuſmodi homo eò magis in avia vitiorum pergat, quò aliàs ad virtutem fortitudinis proclivior erat. *Duo* autem *hîc* præcipuè *notentur. I. Probatio*, quod virtus moralis ſit habitus quidam, quod probatur *viâ deſtructivâ, a remotione reliquarum ſpecierum*, quæ aliàs in animo ſubjectivè eſſe ſolent, h. m. Quicquid eſt in animo ſubjectivè, neque tamen potentia naturalis, neque affectus, illud certè erit habitus. Atqui virtus moralis eſt ſubjectivè in animo, neque tamen potentia naturalis, neque affectus. E. erit habitus. *Major* patet ex Canone Logico: *Cui tribuitur genus, ei neceſſe eſt aliquam tribui ſpeciem per diviſionem evolutam.* Sunt autem tria ſaltem in animo ſubjectivè, potentia, affectus & habitus. Cum itaque virtus Moralis ſit ſubjectivè in animo, ceu ex th. 23. patet, unum horum trium ipſi competere debet.

2.

Minor

Minor probatur membratim (1) *de potentia naturali*, & quidem *probatione* 1. *Directa*, desumpta *ex potentiæ naturalis adjunctis*, vid. (1) *Immutabilitate*, h. m. Quæ à natura sunt non mutatur. Atqui virtutes mutantur, quippe quibus modò assuescimus, modò desuescimus, quod ostendunt leges, quarum certè nullus esset usus, si non ex ijs vitam emendare, & quod pravè fortè fecimus, aliter assuescere possemus. E. virtutes non sunt à natura. *Major* probatur ex Canone Physico. *Natura retinet sua jura*, est enim natura immutabilis. Sic lapis assuefieri non potest, ut suâ naturâ tendat sursum. Hinc & illud Horati l. 1. ep. 10. Naturam expellas furca, tamen usque recurrit. (2) *prioritate*, h. m. Omnis potentia naturalis est prior ipsa actione. Virtus moralis non est prior ipsa actione, quippe per quam ipsius virtutis moralis habitus acquiritur, vide th. 21.22. E. virtus moralis non est potētia naturalis. *Majoris ratio* patet 1. Ex Canone Metaphysico: *Omnis causa est prior suo causato*. 2. Ex exemplis. Sic in infante est priùs facultas formandi verba, & figendi gressus, quàm ipse actus. Sic visus est prior visione in catulis: auditus actu audiendi. 2. *Indirecta* per deductionem ad absurdum. h. m. Si virtus nobis à natura ineesset, omnes quodammodo fortes, temperantes et iusti essemus. *Ratio* desumitur ab identitate specifica naturæ in omnibus, quippe in quibus una est natura. Atqui verum prius juxta Galenum teste Clar. Horneio Eth. l. 3. c. 10. pag. 270. E. & posterius, quod tamen absurdum. *(II) De affectu ex ejusdem* 1. *indifferentia ad bonum & malum*, ex disp. 4. thes. 7. Hinc ita: Affectus est indifferens ad bonum & malum. h. e. *neque* præcisè bonus, *neque* præcisè malus, unde neque propter eum vel vituperamur vel laudamur. Aſt virtus moralis non est indifferens ad bonum & malum; quia à virtute præcisè boni denominamur, adeoq; laudamur. E. 2. *modo operandi*. h. m. Affectus est sine προαιρέσει & consilio. *Ratio*, quia subitò & sæpè præter spem accidit. Atqui virtus Moralis non est sine προαιρέσει. E. vide Arist. l 2. Eth. c. 5. *II. Limitatio*, qualis nim. intelligatur hic habitus. *Est autem virtus moralis*

(1.)

(2)

2.

(1.) ralis Habitus 1. *Non infusus*, qui extrinsecus per divinam operationem infunditur: *sed Acquisitus*, qui acquiritur actionibus proprijs possidentis, & quidem crebris. Nam unus actus

(2.) non parit habitum, vide th. 22. 2. *Non intellectualis*, qui perficiat facultatem cognoscentem: *sed moralis*, qui perficiat facultatem appetentem, hinc dicitur. *II. ELECTIVUS seu*

(2) *Electivo, de quo* *Proæreticus.*

I. 12. Ubi *tria* probè *notentur*, 1. *Electionis descriptio*, quæ

(1.) 1. *Nominalis* quoad æquivocationis explicationem, enodantem quotupliciter nomen Electionis supponatur & accipiatur. *Est autem Electio duplex* (1) *Perfecta*, quæ constans est propositum judicati, & ex habitu profiscitur. Hæc hic intelligitur propriè, ceu patet ex vocabulo habitus, quippe qui natura sua durabilis est, & difficulter mobilis. (2) *Imperfecta*, quæ inconstans est, & à natura saltem, adeoque in pueros servosque cadit. Sic Medea judicat quidem quid faciendum quidvè omittendum sit, verum non stat in eo, quod erat judicatum,

(2.) unde non erat in ipsa perfecta & habitualis electio. 2. *Realis* quoad ipsam definitionem, explicantem quid electio sit. *Est autem Electio appetitio rationalis, ex consultatione profecta, & respiciens res possibiles, & à nobis agibiles. In hac* definitione *notetur* præcipuè *objectum Eligibile*, seu *res quæ eligi debet, quæ sit* (1) *Possibilis.* Stultus enim id cupit, quod scit fieri non posse. Intelligenda autem hæc sunt de voluntate completa & Absoluta, quâ quis simpliciter & absolutè quid vult: non autem de incompleta & conditionata, qua quis sub hac conditione quid cupit, si vid. illud esse possit. Hoc enim modo quis ex mente Philosophorum impossibile quid velle potest, scil. sub conditione si possibilia sint. (2) *à nobis agibilis*, quia velle quidem possumus, ut alij hoc vel illo pacto agant, non autem eligere (3) *Medium quoddam* ad finem tendens, quia id solum est electionis objectum, quod in consultatione fuit determinatum & concluſum, quod est medium, vide disput. 4. th. 42. Hinc non eligimus finem, ut finis est, quia ille in syllogismis Practicis est principium, non concluſio. Sic sanitatem, quâ finis est, nemo eligere dicitur, sed saltem media, quibus

vel

vel præsentem conservet, vel amissam recuperet. *II. Derivationis & denominationis ratio, ob quam* virtus moralis *habitus Electivus* & Proæreticus *dicatur*, quod fieri potest, 1. *ratione principij*, quod est electio, quia ex actionibus spontaneis & liberè electis suboritur habitus moralis. 2. *ratione subjecti*, in quo est virtus, quod est voluntas seu Appetitus eligens, vide th. 23. In hoc contradistinguitur habitui intellectuali, qui est in facultate cognoscente, non eligente. 3. *Ratione modi operandi potissimum*, vid. quod virtus agat, & scienter seu ex προαιρέσει atque libera electione, non autem casu; & constanter, non tantum semel. Ex eo quod virtuosus constanter eligat bona, rectæ rationi congruentia, nata est *distinctio* Philosophorum *inter justa agere & justè agere. Illud* enim præcisè notat conformitatem actionis cum rectâ ratione, ita ut etiam ille justa dicatur agere, qui *vel* semel tantum, *vel* per ignorantiam & fortuitò, *vel* alterius impulsu ea agit, quæ justa sunt, perinde atque quis fortuitò vel alio suggerente grammatica scribit aut loquitur, qui tamen non est grammaticus. Sic Cambyses justum quid egit excoriando iniquum judicem, neque tamen propriè justus fuit ob unicam hanc actionem. *Hoc* autem præter illam conformitatem notat actionis constantiam, resultantem ex habitu præsuppositò, v. g. ille justè agit, qui deliberato animo & constanter virtuosa agit, cum una & altera actione habitus non gignatur. Idem & in vitijs à Philosophis moralibus observatur, cum *oppositorum eadem* sit *ratio*. Convenit enim virtus cum vitio in habitu electivo, ceu ex vitij definitione patebit. Quare tum demum vitium propriè adest, ubi consultò & planè deliberato animo mala quis perpetrat, & ejusmodi actionibus assuevit: non autem ubi vel semel vel ex affectu & imbecillitate aliqua impingit. Unde quis mala agere potest, vid. quando insçius fortè & invitus id agat, quod aliàs mali agunt, ut tamen philosophicè & rigorosè non dicatur agere malè, vel esse malus, quia malè agere is demum dicitur, qui mala agit sciens, volens, ac eodem plane modo, quo aliàs mali.

2.

(1)

(2)

(3)

NB.

Error.

13. Ex hisce patet *error triplex*, 1. *Galeni* & eorum, qui

1. *Galeni.*

virtutem nobis naturâ ineſſe aſſerunt, ita ut in bonorũ poteſtate non ſit, quod boni ſint, nec in malorum quod mali. *Confundunt* n. illi *naturalem inclinationem*, quâ propter organorum diverſam diſpoſitionem alij alijs procliviores ad virtutem vel vitia naſcuntur; *cum ipſo habitu* virtutis, qui ſæpè illas inclinationes mutare vel evellere poteſt, juxta th. 18. Et licet juxta th. 5. Ariſtoteles ſæpè hujusmodi potentias & inclinationes vocet virtutes & habitus naturales, tamen id facit tantum populariter & impropriè, ceu patet ex 1. Pol. c. 2. ubi uno & eodem commate nomen virtutis nunc nudæ potentiæ naturali, nunc virtuti propriè dictæ accommodat. 2. *Socratis*, qui teſte Ariſt. 6. Eth. Nic. c. ult. & 1. Eudem. c. 5. virtutem moralem ſtatuebat ſcientiam & prudentiam, *tum* quod omnes mali mores ab ignorantia boni oriantur, *tum* quod omnes ſummo ſtudio perſequantur bonum verè cognitum. Aſt utrumque falſum. Nam (1.) non omnes mali mores ab ignorantia boni oriuntur, ceu patet de hominibus agentibus contra conſcientiam ſeu ex ſola malitiâ. Vide th. 25. diſput. 3. Et licet ab inſcitia orirentur, tamen non in ipſa, ſed prava cupiditate & actione adhuc propriè conſiſterent. (2.) Voluntas ſtante judicio intellectus adhuc deflectere poteſt ob ſuam libertatem. Plura vide apud Ariſtot. d. l. Unde adhuc manet, quod virtus moralis ſit habitus (non ſcientificus, ſed) electivus, adeoque voluntatis & appetitus. 3. *Plutarchi* in lib. de ſolert. an. *& aliorum*, qui beſtiis & rationis uſum & virtutes tribuunt. Cum enim in ipſis non ſit libertas & electio, certè neque habitus electivus erit, niſi tantum adumbrabili modo, quatenus aliqualis virtutis umbra ac tenuis ejus imago in brutis apparet beneficio phantaſiæ. Hac ratione & Ariſt. 8. hiſt. anim. c. 1. ait, in jumentis & feris inveniri virtutes morales, ſcil. modo improprio & metaphorico: nam aliàs 7. Nic. c. 1. beſtias à virtute morali excludit.

2. *Socratis*

3. *Plutarchi.*

14. *Conceptus ſtrictior deſumitur* 1. *à formali ratione*, qua virtus moralis ultimò terminatur, & ab aliis omnibus diſtinguitur, *eſtq; MEDIOCRITAS*, qua appetitui & animi noſtri cupiditatibus modus ponitur inter defectum & exceſſum,

2. Strictiorem, *qui notatur voce.*

ac

ne videlicet vel deficiant vel excedant. 2. *â forma adsistente & dirigente, quæ est recta ratio & viri prudentis judicium.* De singulis breviter agam.

15. *Mediocritatis consideratio* hic *duplex* esse potest. *I. Respectiva*, ratione probationis, qua probatur *mediocritatem esse virtutis moralis formalem rationem*, & quidem *argumento triplici, desumpto* (1) *ab opposito*, h. m. Vitium consistit in extremitate, hoc est, excessu vel defectu. E. virtus consistit in mediocritate. *Ratio* consecutionis desumitur ex Canone Philosophico: *Oppositorum opposita sunt consequentia*, præsertim quoad formalem rationem. (2) *à pari*, videlicet ab actionibus virtuosis, h. m. Actio bona moraliter consistit in mediocritate: E. & habitus bonus moraliter, videlicet virtus. *Antecedens* probatur *tum*, quia actio virtuosa media est inter duas actiones vitiosas, videlicet excedentem & deficientem: *tum* quia actionis moralis bonitas consistit in conformitate ad normã rationis, hujusmodi a. conformitas ad regulã medium præsupponit inter excessum & defectum, teste ipsa scriptura sacra Deut 5, 32. Non declinabitis neque ad dexteram neque ad sinistram, quod repetitur & Prov. 4. 27. *Ratio* consecutionis desumitur ex regula topica: *De paribus idem est judicium.* Tertium a. parilis hujꝰ comparationis est bonitas moralis, quæ utriq; ut affectio competit. (3) à speciebus per inductionem, vide gratia brevitatis Clariss. Horn. disp. Eth. 2. th. 38. seq. Plura invenies apud ipsum Aristotelem 2. Nicom c. 5. & 6. Quò spectare videtur & monitum Pauli Rom. 12. 3. Ne quis arrogantiùs de se sentiat, quàm oportet, sed ut potiùs modestè de se sentiat. *II. Absoluta*, qua mediocritas consideratur absolutè, videlicet quid & quotuplex sit. *Hæc* consideratio *rursus duplex* esse potest. 1 *Nominalis.* 2. *Realis.*

16. *Nominalis* consideratio *est quoad Æquivocationem, juxta quam Mediocritas sumitur per extremorum, I. Participationem*, quando de utroq; extremo aliquid participatur propter utriusq; admistionem, v. g. tepor participat partim de calore, partim de frigore. Hoc medium hic non intelligitur, quia est contra naturam virtutis, vitij & malitiæ quid includet,

1. *Mediocritatis, cujus consideratio*
(1) Respectiva.
1.
2.

2. Absoluta, *quæ*

(1) *Nominalis.*
1.

2. dere, unde ab utroque vitio potiùs recedit. *II. Negationem*, quando utrumq; extremum negatur & excluditur, ita ut ab utroque receſſus fiat, unde & *Mediocritas receſſus* dicitur. Hæc (1) *rurſus duplex* eſſe poteſt. 1. *Abſoluta & REI*, quæ ſimpliciter & præcisè reſpicit medij interjacentis æqualem ſemper diſtantiam ab utroque extremo, h. e. defectu & exceſſu. Unde & *in proportione Arithmetica conſiſtere* dicitur. Ut enim in Mathematicis proportio Arithmetica ſemper reſpicit nudam numerorum à ſe invicem diſtantiam æqualem; ſic Mediocritas rei abſolutè reſpicit æqualem rei ſecundum quantitatem diſtantiam ab utroque extremo, nullo habito reſpectu circumſtantiarum localium, perſonalium &c. V.G. Ex his tribus numeris 6. 9. 12. novenarius dicitur medius inter ſenarium & duodenarium, quia ab utroque diſtat æqualiter tribus unitatibus, ita ut alterum ternario ſuperet, ab altero ſuperetur ternario. Sic centrum circuli dicitur punctum medium in circulo, quia ubique æqualiter diſtat à peripheria ſeu circumferentia circuli. NB. *Hæc Mediocritas per ſe huc non pertinet*, tanquam propria ratio virtutis, *quia non competit virtuti* (1) *Soli*, cum etiam in vitijs eſſe poſſit, v. g Sex aurei medij ſunt inter 9. &; ſiquis autem tenuis fortunæ homo eos quotidiè erogaret in rem familiarem, prodigus cenſeretur; ſi princeps, ſordidus haberetur. (2) *Omni*, cum Magnanimitas verſetur circa honorem (non mediocrem, ſed) maximum; Magnificentia circa ſumptus maximos, non modicos. Unde rectè ait Thom. 2. ſec. q. 129. ar. 3. Magnanimitas tenet extremum ſecundum quantitatem rei, Medium autem ſecundum regulam rationis. NB. *Dixi noranter* hanc Mediocritatem *per ſe* ad virtutem non requiri, quia, quando illa in quibusdam reperitur virtutibus, id ſaltem per accidens & contingenter fit, vid. quatenus cum Mediocritate rationis conſpirat, ceu fit in juſtitia commutativa, in qua Arithmetica proportio obſervatur, quod diſp. 10. fuſiùs docebitur. (2) 2. *Determinata & Perſonæ ſeu rationis*, quæ reſpicit medium determinatè & proportionaliter ſecundum actionis, etiam definitæ ac individuæ, circumſtantias omnes, *tum* perſonales *tum* locales ac tem-

temporalis, videlicet quid certæ personæ certo loco ac tempore conveniat; unde & dicitur *Mediocritas quoad nos*, quia illud respicit, quod nobis non sit plus minusve debito morali. *Hæc consistere dicitur in proportione Geometrica.* Ut enim in Mathematicis Geometrica proportio respicit numerorum proportionalem continentiam & similem rationem, ut, quoties primus numerus continetur in secundo, toties & tertius contineatur in quarto &c. Sic in moralibus Mediocritas hæc personalis & proportionalis respicit rerum similitudinem pro circumstantiarum varietate, ita ut servetur eadem ratio majoris termini ad medium, & medij ad extremum. v. g. in hisce numeris 1. 4. 6. 24. Geometrica datur proportio. Ut enim primus numerus quater continetur in secundo; Sic & tertius in quarto. Hæc proportio in distributiva justitia ritè observatur. v.g. Sit præda aliquot 1000. aureorũ distribuenda inter inæquales personas, videlicet militem gregarium & primipilum, ut autem justè fiat distributio, diversum meritum personæ accuratè pensandum erit Si autem jam gregarius miles se habet ad primipilum, ut 1. ad 4., præmia, quæ in comparationem veniunt, eadem proportione sibi respondebunt, ut, quoties gregarius miles accipit 6. aureos, toties primipilus accipiat 24 & vice versa, quoties primipilus acceperit 24., toties gregario militi cedant 6. Similiter & major merces datur illi, qui integrum diem laboravit, quam ei qui unam aut duas saltem horas. *Hanc Mediocritatem hic attendi, patet dupliciter (1) Ex modo oppositionis*, qui in virtute non est semper secundum æqualem distantiam à suis extremis, cum uni extremorum sæpè vicinior, alteri v. remotior secundum proportionem Geometricam. v. g. Liberalitas non æquali planè intervallo distat à prodigalitate & avaritia, cum illi sit vicinior, huic remotior. Idem judicant Ethici de Magnanimitate respectu superbiæ & pusillanimitatis, vide disp 7. & 8. 2. *ex circumstantiarum specialium & diversarum observatione*, quam attendit VIRTUS, considerando actiones non tantum in genere, sed & singulas actiones & conditiones actionum singularium. Ut enim in Physicis sanitas corporalis non

æquali complexione omnibus hominibus, nec omnibo membris ejusdem hominis competit, sed alia cordi, alia cerebro, ob quam causam & Medicus diversam diætam ac Pharmaca diversis ægrotantibus præscribit; Sic & in Ethicis ac moralibus diversis personis diversa competere debent. v. g. in cibi distributione Magister Athletarum majorem quantitatem assignabit Miloni Crotoniatæ aut Therageni (quorum uterq; die uno taurum quadrimum integrum solus comedit, teste Athenæo lib. 10. c. 2) quam alteri discipulo, non adeò robusti corporis.

(2) *Realis.* 1. 17. *Realis* consideratio *duplex* esse potest. *I. Definitiva*, qua enodatur definitio, *quæ hæc* esto: *Mediocritas personæ seu Rationis est, quæ nec superat nec deserit id, quod oportet adesse pro circumstantiarum conditione ac ratione diversa, unde non est ubique, nec ad quamvis person amrelata, eadem.* Hinc regula trita: *Duo cum faciunt idem, sæpiùs non est idem*, quia actiones, quæ specie videntur esse similes, propter circumstantiarum diversitatem sæpè sunt dissimiles. Enumerantur autem hujusmodi *circumstantiæ* 10. à Piccolom. gr. 2. c. 12. quæ hoc succinctiori ordine tradi possunt, quod in actione considerandum sit. 1. *Agens*, & quidem (1) *principale*, quod agit principaliter. Sic majora liberalitatis effecta requiruntur à divite, quàm à paupere; à Cæsare quàm à Principe, à Principe quàm à Cive. (2) *Instrumentale*, quo quis agit. Sic in judicijs forensibus omninò ratio instrumenti habetur, an videlicet quis proximum venenato instrumento vel gladio stricto adortus sit; an v. levi saltem baculo, quia ex instrumentorum diversitate sæpè animi & proæreseos diversitas præsumitur. v. g. Si duo ebrij hominem adorirentur, alter stricto gladio, alter levi saltem baculo, ipsumq; interficerent, certè & vulneris conditio & instrumenti ratio præcipuum autorem proderet. 2. *Subjectum recipiens*, seu in quod agens agit. Sic diversum est factum, si quis percutiat consulem, quam si gerulum aut bajulum; si quis uxori alapam impingat, quàm si servo, unde inter ipsos Politicos adhuc disputatur, an Maritus jus severioris castigationis habeat in uxorem. 3. *Finis*, cujus gratiâ aliquid

Circumstantia moralis.

(1.)

(2.)

(3)

quid suscipitur. Sic qui judici munus offert, ut sententiam pro se ferat, liberalis censeri nequit, vide disp 4. th. 19. 4. *Modus actionis & medium*, videlicet quomodo & per quid agat. Sic minimè laudatur Vespasianus Imperator, qui, ut ditesceret Respub. maximam imposuit exactionem ex lotio in ærarium inferendam. Eodem planè modo Margaretha regina Norwegiæ, Daniæ & Sueciæ certam pecuniam pro quavis jumenti cauda exegit, pro foco quolibet florenum, Marchiam 1. Stockholmiensem à quovis conjugio. Joh. Mag. l. 11. c. 19. 5 *Effectus*, seu id quod agitur. 6. *Locus*. Non enim ubivis & coram quolibet idem agere licet. Sic nudum & discalceatum incedere in publico honestati videtur dissonum, non tamen in locis secretioribus. 7, *Tempus* (1) *Inchoationis*, h. e. quando quis aliquid agit. Sic Exod. 22. v 2. 3. ipsa scriptura discrepantiam instituit inter furem nocturnum & diurnum, ita ut hujus cædes vindicetur, illius autem non. (2.) *Durationis*, seu quamdiu. Sic diu irascendum non est, ne in odium abeat. Hæ circumstantiæ in moralibus probè sunt observandæ. *II. Attributiva, quæ enodantur attributa* hujus mediocritatis, quæ *duplicia* sunt. 1. *Unitas realis*, quod realiter una sit mediocritas, virtutem constituens, vid. ad justam & proportionalem quantitatem pervenire. Ut enim in jaculatoria arte unus duntaxat est modus collineandi ad scopum, qui ab arte jaculatoria præscriptus est, contrà plurimi modi aberrandi à scopo; Sic in moralibus unus est saltem modus rectè agendi, vid. per mediocritatem, plurimi autem modi peccandi, vid. per excessum & defectum. 2. *Variabilitas, ratione* (*non essendi*, q. essentia & natura virtutis, in se absolutè considerata, sit variabilis, cum sit habitus firmus & constans, consistens in habitudine ad rectam rationem invariabili, dum apud omnes virtus medium rationis tenet; *sed ratione*) *existendi*, quia modus agendi secundum hunc habitum sæpè variatur secundum diversas conditiones hominum & circumstantiarum, vide Geisium in prodromo probl. virid. mor. q. 36.

(4) (5) (6) (7) 2. (1) (2)

18. Cum autem virtus moralis sit habitus voluntatis, quæ in se considerata potentia cæca est, ignorans quid in tanta 2. Prudentia.

tanta circumstantiarum varietate medium morale sit, adeoq; sequendum, *dux ipsi* quispiam *assignandus erit*, qui in tanta circumstantiarum varietate ipsi mediocritatem ostendat, *qui* h. l. *est recta ratio & prudentia, quæ est forma adsistens, & dirigens* omnes virtutes morales in observatione circumstantiarum loci, temporis, & personæ. Unde Aristoteles in definitione virtutis rectè addidit: prout vir prudens eam definierit. In Ethicis prudentia & virtutes morales arctè sunt connexæ ad modum imperantis & parentis, prudentia enim præscribere debet quid agendum sit, virtus autem moralis quod præscriptum est exequi. *Hæc* tamen *præscriptio non est herilis & propria*, qua dominus servo præscribit, quid fieri velit: *sed saltem Analogica*, ita ut in eodem subjecto sit facultas præcipiens & exequens præceptum; aliàs enim ut servo non tribuitur quod jussu & imperio domini rectè facit, ita nec virtus ejus laudatur, qui ex alterius extranei suppositi præscripto benè vivit. *Ut* autem *illa præscriptio sit legitima, regulam* quandam certam *requirit, quæ* hoc loco *est Finis*, qui medijs dat ordinem, mensuram & amabilitatem. Vide Piccolom. gr. 4. c. 5.

NB.

19. Ex hisce patet *decisio* controversiæ de formali ratione virtutis, an vid. virtus formaliter in Mediocritate rationis, an v. in rectitudine seu congruentia cũ lege & ratione consistat. Quia enim Mediocritas rationis respicit rectam rationem & prudentiam, ut formam dirigentem & præscribentem, quid quovis loco & tempore sit conveniens & mediocre, sanè rectam rationem in sua adæquata consideratione non excludit, sed potius includit, ita ut & nomen ab ea sortiatur, dum dicitur *Mediocritas rationis*, quia consistit in moderatione rectæ rationis; differunt tamen ut præscribens seu dirigens & exequens, juxta th. 18. Unde qui virtutem definiunt per ὀρθότητα seu rectitudinem, quæ ad neutrum extremorum deflectit, à nobis non dissentiunt, cum hæc rectitudo cum ipsa mediocritate coincidat. Plura in ipso conflictu addam.

NB.

(II) Causativa,

20. *Causæ* virtutis *constituuntur aliàs* duplices. *I. Interna, quæ*

quæ hîc propriè non dantur propter accidentalem naturam virtutis, quæ non admittit materiam & formam propriè dictam, cum accidentia sint sibi ipsis formæ. Unde loco formæ additur, *tum* formalis ratio, quæ est Mediocritas, *tum* adsistens & dirigens forma, quæ est recta ratio & prudentia. *II. Externæ, quæ* duplices (1) *Finis*, de quo vide th. 9 & 10. disp. 2. (II) *Efficiens*, quæ duplex. 1 *Prima & universalis*, quæ est æterna mens seu *DEUS*, à quo, ut à Patre luminum, omne bonum desuper. 2. *Secunda & particularis*, quæ à prima illa dependet.

in qua notetur causa

I. Finalis.
II. Efficiēs
1. Prima.
2. Secunda, *quæ*
1 *Remota.*
quæ
(1) *Naturalis.*

2. *Secunda* hæc causa *rursus duplex* esse potest, *I. Remota & Mediata*, quæ est (1) *Naturalis*, quæ à natura ipsi homini competit, *ratione* 1. *Animi*, *ut est* (1 *Intellectus practicus*, qui in deliberatione feliciter conclusiones practicas colligit, ostendendo quid in vita sequendum, quid fugiendum. Cujus exemplum egregium invenies in Themistocle apud Thucydidem. l. 1 Plura de intellectu vide dis. 1. (2 *Voluntas*, quæ liberè rationi, recta monenti, obsequitur. Hujus beneficio semina tam vitiorum quam virtutum aut fovere & alere, aut etiam de industria supprimere quis potest, ceu patet de Scipione Africano majori; qui, licet solutioris nonnihil adolescentiæ fuerit, jugum tamen Carthagini primus imposuit, vide Val. Max. l. 6. c. 9. ubi & plura invenies exempla. 2. *Corporis, ut est* εὐφυία *seu bona indoles*, quæ est bona temperatura præcipuorum membrorum & humorum corporis, quæ hominem disponit aptumq; reddit ad virtutis habitum recipiendum. Ex hac temperie est, quod alij alijs procliviores nascantur ad virtutem, *ceu patet* (1) *Ex Physiognomica disciplina*, quæ certè nulla foret, si nihil ad mores faceret corporis dispositio, vide Arist. Physiognomica. (2) *ex opposito*, vid. prava partium corporis temperie, quæ non solum usum rationis planè tollit, ceu fit in phrenesi, melancholia & similibus affectibus; sed & hominem *tum* ad vitia disponit, *tum* ad virtutem planè ineptum reddit. *Ratio* desumitur ex unione animæ cum corpore, ob quam animus, dum in corpore hoc hæret, non usquequaq; ejus contagionem effugere potest. Hinc Arist. 1.

1.
(1)
(2)

2.

(1)

(2)

Pol. c 3 ait: quosdam homines naturâ servos esse, videlicet quos natura adeò impotentes rationis generavit, ut sibi ipsi de victu & salute prospicere non possint. E. vi oppositionis quibus bonam idolem natura concessit, naturalem habent inclinationem ad virtutem moralem. (3) *à pari.* Quemadmodum enim Musici, Poëtæ & pictores sunt feliciores in artificialibus operationibus, quos natura adjuvat. Sic & in Alexandro M. Julio Cæsare & alijs excellentior fuit virtus propter impetum naturalem, juxta regulam. *Potentia naturalis, quæ habitu juvatur, excellens quiddam efficit.* NB. *Dicitur autem hæc εὐφυΐα saltem remota causa*, quia naturalis inclinatio sæpè per actiones animi voluntarias immutatur, ceu patet de vitijs, quorum semina non tantum in ipsa herba opprimuntur, sed & evelluntur, ubi nonnihil adoleverunt, ceu patet exemplo 1. Phædonis, quem ex Cinædo optimum Philosophum Socrates fecit. 2. Polemonis, quem ex ebrioso & impudico adolescente una oratione Xenocrates reddidit continentissimum, sibiq; successorem, vide Diog. Laer. in Soc. & Polem. NB. *Ex quibus patet* 1. *limitatio* enunciati Galenici: *Mores animi sequuntur temperamentum corporis*, quod intelligendum sit, *saltem remotè & dispositive*, vid. de remota dispositione & inclinatione; *non autem proximè effectivè*, seu de proxima & adæquata causa. 2. *Error Planetariorum quorundam*, qui ab astris cuncta sublunarium effecta dependere somniant, est enim illud contra humanæ voluntatis libertatem. (2) *Doctrinalis.* *(II) Doctrinalis*, quæ per doctrinam & informationem extrinsecam alicui competit, *ut est Educatio, quæ vel privata* seu domestica, quæ fit à parentibus domi; *vel publica*, quæ fit foris à fidelibus præceptoribus. *Consistit* autem *educatio in his* tribus membris *præcipuè* 1. *In præceptorum propositione & explicatione*, secundum quæ, tanquam Canonem & regulam, vita institui debet. 2. *In exemplorum ostensione*, quæ cum in sensus incurrant, vehementer movent. 3. *In præmiorum vel pœnarum designatione.* De qua educatione fusiùs agetur in Politicis. 2. *Proxima, ut Actio humana, de qua* *II. Proxima & Immediata*, ex qua proximè virtus fluit, ut est *Actio humana, cujus consideratio duplex* esse potest. 1. *Absoluta*, & in

& in se, quæ enodata est disp. 4. th. 13. seq. 2. *Respectiva*, in collatione ad virtutem.

22. *In respectiva* consideratione *notetur humanæ actionis. I. Distinctio, juxta quam Actio* duplex *datur*, vid. *virtutem 1. præcedens*, quæ habitum virtutis præcurrit, tanquam causa suum effectum. Hæc nunc intelligitur 2. *Subsequens*, quæ ab habitu virtutis paritur, tanquam à sua causa. Unde & firma & perfecta est, & cum alacritate existens. *II. Proprietas, juxta quam actio* humana, virtutem producens, *sit* 1. *Bona*, quia ex malis actionibus non nisi malus habitus, juxta reg. *Qualis causa, talis & effectus.* 2. *Voluntaria, ratione tum principij*, ita ut in nostra sit potestate, *tum finis*, qui cognitus & expetitus sit. Unde & ipse habitus, ex voluntaria actione contractus, dicitur voluntarius ratione principij, quia vid. & noverit homo ex hujusmodi actionibus similem oriri habitum, & actiones illas liberè *vel* appetere *vel* omittere potuerit. Idem judicium ob rationis paritatem feratur de habitu vitioso, quem vitiosis actionibus sibi quis contraxit. Nam licet nonnulli homines contracto habitu aliquid agere *neque* velint *neque* possint, ut sæpiùs ingeminent se non posse abstinere ab ebrietate aut furto, sed potiùs mori velle: sponte tamen mali sunt, & malè faciunt, cum antè omninò potuissent alij esse, atque ideò etiam nunc aliter agere. *Hinc hujusmodi habitus vitiosus spontaneus dicitur*, scilicet *ratione principij*, quatenus ex spontaneo voluntatis ductu fiebat; *licet non ratione consequentis depositionis* & abjectionis, ita ut non amplius æquè in nostra sit potestate illum jam radicatum deponere, ceu patet ex simili, desumpto ab incontinente. Qui enim per incontinentiam suam in morbum aliquem incidit, licet desinere quidem ægrotare, cum vult, non possit, suâ tamen culpâ malè habere, &, si moriatur, causa suæ mortis esse judicatur, quia & poterat scire ita futurum, & sibi cavere, ast, quia id neglexit, morbum adeoque ipsam mortem evitare noluit. 3. *Mediocritati studens*, ita ut omnes nostræ actiones instituantur juxta rectam rationem. Nam sicuti nimio labore sanitas & corporis vires læduntur, nimio autem otio langue-

scunt,

(1) Distinctio.
1.
2.

(2) Proprietas.
1.
2.

3.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0131
DFG

ſcunt, moderato autem exercitio conſervantur; ſic virtutis habitus actionibus mediocritate temperatis acquiritur, nimiis v. deſtruitur. Donaldſ. l 2. Synop. c. 4. *Dico notanter* ſit Mediocritati ſtudens, quia actio, habitum virtutis præcedens, adhuc eſt imperfecta & inconſtans, cum pugna & labore exiſtens; contrà actiones ſubſequentes ſunt certæ, expeditæ & conſtantes. Sicut autem in circulo centrum ſeu medium nanciſci non cujusvis eſt, ſed artificis tantum; ſic etiam difficillimum eſt actiones noſtras ponere in æquilibrio, adeoque mediocritatem in ijs ſervare. Quare *hæc duo adminicula in virtutis acquiſitione probè notentur.* (I) *Receſſus prudens & major ab extremo* (1) *majori*, h. e. ut prudenter & ſtudioſè ſemper magis ab illo recedamus extremo, quod magis adverſatur medio, quia hoc pacto citiùs periculum evitabimus, & ſubindè propius accedemus ad medium, exemplo Ulyſſis, cui, in patriam redituro, & in mari Siculo navigaturo inter duos periculoſos ſcopulos, Calypſo Nympha ſuadet, ut navim magis deflectat à Charybdi tanquam periculoſiori ſcopulo. Hom. 12. Odyſ. Prudens autem hic receſſus eſſe debet, ne, dum ab uno nimis timemus, in alterum incidamus, juxta illud: Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt. (2) *Jucundiori nobis naturâ*, h. e. ut ſedulò recedamus ab illo vitio, ad quod naturâ nos procliviores eſſe ſentimus, quia ſic in contrarium nitendo ad medium veniemus, ad exemplum hortulanorum, qui, ut diſtortam & incurvatam plantam rectificent, in contrariam partem eam vehementer flectunt, ut tandem in rectitudine conſiſtat; ſic ſi naturâ nos proclives ſentiamus ad avaritiam, contendamus ad prodigalitatem, & ſic paulatim incipiemus fieri liberales. (II) *Fuga omnis corporeæ voluptatis*, quæ ubi irrepſit in ſenſus noſtros, præſertim à teneris annis, ita nos dulcedine ſuâ depravat, ut non rectè, & quomodo debeamus, de rebus ſtatuamus, planè ſicut pecunia judices in foro corrumpit, quò minus rectè judicent. Quare Trojanos imitemur proceres apud Hom 3. Iliad. Hi enim Priamo ſuadebant, ut Helenam, quamvis formâ tam gregiâ præditam, ut omnium admirationem meretur, ad Græcos able-

Adminiculum. (1.)

(2)

ablegaret iterum, ne magno malo esset populo Trojano; Sic & nos voluptatem dimittentes suis se finibus illam tenere jubeamus, quò minùs peccemus. 4. *Crebra, continuata & non interrupta*: Sicut n. sæpiùs canendo Musicus, sæpiùs numerando Arithmeticus; ita frequenter iterando actiones honestas virtuosus redderis, cum aliàs unus actus non pariat habitum, veluti nec una hirundo ver inducit. Numerus autem harum actionum non potest exactè definiri, cum in virtutis moralis productione attendatur non tam earundem crebritas quam validitas; quemadmodum cavitas in lapide oritur, vel à multis guttis, vel à re solida paucis ictibus. 4.

23. *Subjectum* virtutis moralis *duplex* statui potest. I. *Inhæsionis*, cui inest atq; inhæret virtus moralis. *Hoc* rursus *duplex* esse potest, vid. Subjectum (1) *Denominationis, quod est* ipsum compositum, quod virtute morali, tanquam adjuncto suo, denominatur, estq; h. l. *Homo secundum sexum*, 1. *Masculinum*, cui frequentiùs & in intensiori gradu virtus Moralis competit, quàm fæmineo sexui, propter majorem in viro *tum* animi sagacitatem & constantiam, *tum* caloris copiam & membrorum soliditatem, vide Christ. Lieben. disp. Ethic. 3. q. 8. 2. *Fæmineum etiam*. Nam sexum muliebrem virtutis etiam esse capacem, patet (1) *à genere ad speciem*, h.m. O. sexus humanus & rationalis est capax virtutis. *Ratio*, quia omni competit voluntas, qua liberè bona eligere, & mala aversvari potest. E. & muliebris. (2) *ab exemplis* mulierum, quæ non tantùm castissimæ & temperantissimæ fuere, sed & quandoq; populos rexere. Vide Lipsl. 1. 1. Pol. c. 3. Picc. gr. 6. c. 10. (III) Subjectiva, *in qua notetur Subjectum*, I. *Inhæsionis*. 1. *Denominationis*.

(II) *Informationis, quod est* facultas aliqua in homine, quæ per se & directè afficitur atque informatur à virtute morali, tanquam adjuncto suo, ut est h. l. *facultas appetitiva*. *Est* autem *Subjectum informationis* rursus *duplex* 1. *Principale*, quod principaliter & præcipuè ab habitu morali perficitur, tanquam proximum principium rectè agendi, quodq; primò moveri debet, *ut* est h. l. *voluntas*, quæ actionem bonam producit imperando. *Esse* autem *Voluntatem* virtutis moralis *Subjectum primarium patet* (1) *ab adjuncta libertate electiva*, h. m. Quicquid est maximè liberum & proæreticum, illud est primarium subjectum virtutis 2. *Informationis, ut est Subjectum*, (1.) *Principale*. 1.

tutis moralis. Atqui verum prius de voluntate. E. & posterius. *Major* probatur ex genere virtutis, quod est habitus electivus, vide thes. 14. Hinc ob habitum moralem laudamur vel vituperamur, saltem quia laudari & vituperari involvunt respectum ad libertatem agendi. Unde rectè ex mente Clariss. Horn. Eth. l. 3. c. 2. p. 296. ipse Aristoteles videtur in voluntate virtutem ponere, ceu ex 8. Eth. c. 13. expresse patet.

2. (2) *ab indifferentia voluntatis ad benè & malè agendum*, h. m. Quæcunq; facultas est indifferens & indeterminata ad benè & malè agendum, illa subjectivè indiget habitu morali, determinante illam ad sequendum judicium rationis, adeoq; benè agendum. Atqui verum prius de voluntate. E. & posterius. *Major* probatur *ex fine habitus moralis*, qui est juvare & facilitare actiones potentiæ appetitivæ, tollendo impedimentum operationis. Sic virtus moralis in voluntate indifferentiam, tanquam bonæ operationis impedimentum, tollit inclinando eam magis ad benè agendum, quam malè; in appetitu a. sensitivo, quantum fieri potest, tollit rebellionem contra voluntatem & rectam rationem. Hinc ita: *Posito fine ponenda sunt media.* Atqui ratione voluntatis ponitur finis, vid. determinabilitas, quod determinari moraliter & possit & debeat ad rectam actionem & obsequium rationis. E. ratione voluntatis & media moralia sunt ponenda, vid. virtutes, quæ tanquã habitus sunt subjectivè in potentia, quam determinant ad certas actiones. *Minor* patet, quia voluntas tam indifferens est, ut ea etiam, quæ intellectus proponit tanquam bona, liberè acceptare aut non acceptare possit. *Imò* licet quandoq; objectũ appetitus sensitivi, ad mediocritatem redacti, secundum se repudiare nequeat voluntas, tamen propter adjunctam difficultatem & molestiam id liberè quandoq; repudiat. (3) *Specialiter*, secundum Thom. p. 50. ar. 5. ex ijs virtutibus, quarum objectum est bonum alterius, circa quod cum appetitus sensitivus non versetur, nec hæ virtutes in ipso residere possunt.

3.

(2) *Minus principale* 2. *Minus principale & secundarium*, quod secundariò tantum, quat. imperanti voluntati promptè obedit, actionẽ moraliter bonam producit, *ut est Appetitus sensitivus*, qui, ut in homine participat inesse rationali & voluntario per obedientiam, qua

sub-

subjacet imperio rationis & voluntatis; sic & in esse electivo participat ab ipsa potentia volitiva, ita ut proæresis, licet minus principaliter, etiam illi competat potentiæ, quæ obsequendo electioni conformiter agit, juxta Cajet. *1.* secun. q. 56. ar. 4. *Esse a. appetitum sensitivum* certo modo *inhæsionis subjectū ejus virtutis, quæ bonum cujusq; proprium spectat, patet* (1) *ex operatione appetitus sensitivi.* h. m. Appetitus sensitivus producit rectam actionem. E. est informatus virtute morali. *Ratio* consecutionis desumitur ex Canone Logico: *Cui tribuitur effectū, eidem tribuitur & causa.* Atqui recta actio hic est effectus habitus moralis, quæ cum appetitui sensitivo tribuatur, & ipse habitus moralis ipsi tribuitur, quia potentia non potest esse rectæ rationis causa, nisi benè disponatur per habitum supervenientem. (2) *à testimoniis Arist.* 1. magn. Mor. c. 5, ubi *ait* virtutes sitas esse in parte irrationali, quod de temperantia & fortitudine repetit. 3. Eth. c. 10. Ubi tamen accuratè *notes* velim, *virtutem moralem competere utriq; appetitui & intellectivo & sensitivo,* (1) *non æqualiter, seu ex æquo,* quia sic una & eadem specie ac numero virtus in diversis subjectis, seu potentijs animi, esse non potest. *Ratio* est, quia ut ipsæ potentiæ in suis perfectionibus respiciunt objectorum suorum formales rationes, & propter hasce diversas specie, imò genere, inter se differūt, sic & habitus, qui perficiunt illas potentias. (2) *Sed inæqualiter, & cum extensione aliqua*, ita ut virtus moralis, quæ est in voluntate principaliter, extendatur per modum diffusionis ad appetitum sensitivum, ita ut retineat & eandem materiā, & idem nomen, ceu patet aliàs ex simili exemplo de prudentia, quæ licet sit habitus intellectus, certo tamen modo etiam ad voluntatem extenditur, ceu alibi fusiùs docebitur. Vide Thom. q. 56. ar. 2. & Donald. Syn. l. 2. c. 2. p. 57. *II. Tractationis seu Occupationis*, circa quod occupatur virtus moralis, *quodq;* h. l. est *duplex.* (1) *Internum*, quod est in ipso homine, ut sunt. 1. *Affectus ipsi*, in quibus moderandis tota vis virtutis consistit, quia ipsi sunt instar nervorum & funium, quibus reguntur atq; huc illuc impelluntur actiones & tota nostra vita. Cum a. isti affectus sint naturales animi motus, *qui*, in se considerati, non sunt quippiam moraliter bonum aut malū,

sed

1.

2.

(1)

(2)

2. *Tractationis, ut est Subjectum.*

(1) *Internū, quod* 1.

sed indifferens; ceu ex disp. 4. th. 7. patet, *ex animo eradicari nec possunt*, quia aliàs homo propriè non esset animal, dum careret sensu qui tamen omni animali per se & necessariò competit; careret a. sensu, si nullos haberet affectus, h. e. nullo objecto sensili afficeretur, vide Arist. 2. de ani. c. 3. *nec necessariò debent* (1) quia limites à recta ratione præscriptos observare, & sic moraliter boni esse possunt. (2) quia sublatis affectibus nec ipsa virtus moralis esse potest, cum objecto necessario remoto ipsum adjunctum occupatum esse nequeat, vide ipsum Arist. 2. Eth. c. 7. & Plut. lib. de vit. mor. 2. *Comites perpetui Affectuum, quales* sunt *Voluptas & Dolor*, de quibus disp. 13. vide & Arist. 2. Eth. c. 3. (*II*) *Externum*, quod est extra hominem, ut sunt res illæ, circa quas affecto versantes sedandi sunt, de quibus rebus quælibet virtus specialis particulam quandam abscindit, v. g. terribilia fortitudo, τὰ χρήματα liberalitas, honorem modestia.

(2) *Externum.*

(V) Affectiva, *in qua* 1. *Bonitas.*

24. *Affectio* virtutis moralis statui potest *duplex*. 1. *Absoluta*, quam virtus possidet simpliciter ex se, extra collationem cum alio, *ut est Bonitas moralis, quæ est congruentia cum recta ratione & lege naturæ*, vide dis. 4 th 17. Ex hisce patet virtutes Ethnicorum esse bonas per se, adeoq; non peccata, licet aliàs in actu justificationis non attendantur, & propter subjectū non-renatum, cui insunt, rejiciantur, quasi non adessent, cum in actu justificationis nullum mereantur valorem & respectū ob fidei defectū. *II. Respectiva*, quæ virtuti cōpetit respectivè, vid prout est in subjecto: estq; *gradualis variabilitas*, quod virtus, quatenꝰ in subj. est, possit recipere magis & minꝰ, seu intendi & remitti.

2 *Gradualis Variabilitas.*

(V) Effectiva, *in qua* 1. *Actio honesta*,

25. *Effecta* virtutis moralis *sunt*. 1 *Actio honesta*, quæ à virtute ut causa sua fluens constat mediocritate, per rectā rationē & prudentiæ regulam confirmata. *Sunt* a. actionis honestæ, habitū virtutis consequentis, *notæ quintuplices, ut* vid. virtuosē agens *agat* 1 *Scienter*, 2. *Liberè*, seu certo animi proposito. 3. *Propter virtutis amorem*. 4. *Constanter*, ne vid. deinceps aliter agere incipiat. 5. *Facilè & cum comitante voluptate*. Quamdiu n. habitus nondum est comparatus, ægrè & cum difficultate agimus, contrà habitu acquisito facile & cum voluptate. *II. Consequentia virtuosæ actionis, quæ sunt* 1 *Laus*, 2. *Amor*.

2. *Consequentia actionis.*

26. Sequitur jam *Respectiva Consideratio*, de qua disp. 6.

COLLEGII PRACTICI GENERALIS
seu ETHICI
DISPUTATIO SEXTA
DE

VITIIS IN GENERE
ET DE
FORTITUDINE.

Quam
Auspicio Sacrosanctæ Trinitatis
Et
Consensu Amplissimi Senatus Philosophorum
In
Incluta ad VARNUM Academia
SUB PRÆSIDIO
M. JOHANNIS ELERI
Rigâ - Livoni.
Defendendam suscipiet
STEPHANUS Derenthall. Revalia-Liv.
Horis locoq; consuetis die 18. Januarij.

Pictorum consuetudinem imitari decet, qui exemplar diligenter intuentur, ut ad ejus lineamenta imaginem exprimant; Sic qui virtutum imaginem in se exprimere cupit, aliorum præclara facta sedulò inspiciat. Hinc Miltiadis trophea Themistocli somnum eripuere.

ROSTOCHI
Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ. Anno 1627.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0137
DFG

THESIS I.

Sequitur jam *Respectiva Virtutis moralis Consideratio, in qua* instituitur ejusdem *comparatio* cum alio, & quidem. *I. Cum Virtutibus Intellectualibus, quoad mutuam discrepantiam*, quæ duplex potissimùm dari solet. 1. *Subjectiva*, seu ratione Subjecti præcipuè, quia Virtutes intellectuales sunt in Intellectu, Virtutes autem morales in appetitu. 2. *Causativa* seu ratione causæ & modi acquisitionis, quia Virtutes intellectuales comparantur doctrina & informatione, morales autem præcipuè usu & exercitatione. *II. Cum Virtutibus Theologicis*. 1. *Puris*, seu quæ purè Theologicæ sunt, quales sunt Fides, Spes, Charitas. Ab hisce Virtutes morales differunt specie seu Essentia, scil. ad modum accidentium, quæ cum formas non habent, seipsis distingui dicuntur. Hoc modo dari distinctionem inter ipsas patet, quod & ipsæ Virtutes morales ita inter se distinguantur. 2. *Mixtis*, h. e. quæ *partim* sunt morales, *partim* Christianæ, & quidem sub eodem nomine, ut sunt Castitas Scipionis & Castitas Pauli, Josephi, &c. *Ab hisce Virtutes morales non differre specie patet* (1) *ab eorundem conditione & unione*: h. m. Quæ differunt specie in unum coalescere seu unum quid fieri nequeunt. Atqui virtutes istæ morales & Christianæ in unum coalescere possunt, ut unum sint. E. non differunt specie. *Major* patet ex Canone Philosophico. *Omne oppositū includit oppositi negationem*, unde opposita non cadunt in idem. *Minor* patet, quia eadem liberalitas, quæ erat in homine non-renato, manet, si idem renascitur; splendidior tantum illa fit, illustrior & Deo placentior ob accedentem fidem. (2) *ab absurdo*. Quæ differunt specie, differunt essentiâ, definitione & denominatione. Atqui virtutes istæ Ethicæ & Christianæ differunt specie. E. differunt

II. Respectiva *Virt. Mor.* consideratio *in collatione*

I. Cum Virt. Intell.

II. Cum Theologicis

1.

2.

(1)

(2)

Essentiâ, definitione & denominatione, quod falsum, quia utrobiq; eadem definitio, eadem & denominatio castitatis & liberalitatis. *NB.* *Quod autem Virtus Christiana sit prædita fide*, purè Ethica virtus autem non, in eo discrepantia utriusque *est quoad formam* (non constituentem, quippe quæ utrobiq; est Mediocritas, sed) *saltem adsistentem*, quæ in virtutibus purè moralibus est prudentia, in Christianis autem fides. Hæc autem non essentialis, sed saltem accidentalis est discrepantia. E. *falsa* vel major vel minor. *Non major.* Est enim Philosophicum axioma. *E. minor*, & per conseq. negativa erit probata & vera. Vide Clariss. M. Gutk. amicum meum honorandum disp. Eth. 4. q. *1. III. Cum oppositovitio, de quo* hic breviter notetur. 1. *Ipsa Oppositio.* 2. *Tractatio.*

III. Cum Vitio, *cujus notetur.*

2. *Oppositio Vitij* hîc *considerari potest dupliciter. I. Generaliter*, ratione generalis pugnæ & distantiæ. Et tunc considerari potest oppositio & pugna vitiorum. 1. *Cum Virtute*, quatenus Virtus & Vitium sibi opponuntur, tanquam duo extrema sub ratione bonitatis & malitiæ moralis. Et *sic major est oppositio virtutis ad extrema Vitia*, quàm extremorũ ad se invicem, quia tunc virtus & vitium toto genere discrepant, tanquam quid bonum & malum moraliter, vitia autem à se invicem tantum specie secundum differentias malitiæ, unde utrumq; vitium unius virtutis tenet locum unius extremi, & virtuti in ratione malitiæ opponitur. Major autem est differentia generica quam specifica. Ubi *nota*, quod *Virtus dicatur & extremum*, ut h. l. ratione adjunctæ bonitatis, quæ se habet extremè ad malitiam, *& medium*, ut th. *15.* dis. 5. *ratione* formalis rationis. *2. Ad se invicem*, quatenus vitia sibi invicem opponuntur, & quidem *oppositione (1) Absoluta*, qua ratione mutuę distantiæ & dissimilitudinis præcisè considerãtur. Et *sic major* ac fortior *est pugna inter vitia ipsa*, quam cum medio. 1. *Ob majorem distantiam*, quum extrema à se invicem longiùs distent, quam à medio, ceu patet exemplo quantitatis (1) Continuæ, vid lineæ, in qua punctum inchoans longiùs distat à terminante quam à continuante seu intermedio. (2) discretæ. Nam ternarius longiùs abest à novenario, quàm à sena-

I Oppositio 1. *Generalis.*

(1) Cum Virtute.

(2) Cum altero Vitio.

1.

(1.)

ſenario, qui medius eſt. 2. *Ob majorem diſſimilitudinem*, nam major eſt diſſimilitudo, & per conſequens major deſtructio, inter avaritiam & prodigalitatem, quàm inter liberalitatem & prodigalitatem, vide Clar. Gutk. diſp. 4. q. 4. cont. Georg. Bachmann. Cent. 1. q. Phil. 54. (2) *Comparata, quoad majorem vel acceſſum* ad medium tanquam comparationis tertium, *vel receſſum* ab eodē. *Nam extrema medio inæqualiter opponuntur ita ut virtuti magis adverſetur aliquando defectus.* v. g. magis diſtat timiditas à fortitudine quā audacia; *aliquando a. exceſſus.* Sic à Temperantia longiùs abit exceſſus ſeu intemperantia, quam defectus ſeu ἀναισθησία. *Cauſa hujus diverſitatis* in oppoſitione extremorum ad medium aliàs *aſſignatur duplex.* 1. *Major pugna cum recta ratione, quæ datur (1) in exceſſu quoad voluptaria.* h.e. in ijs actionibus, quibus perſequimur, quæ voluptate nos afficiunt: cum enim hæc maximè nos delectent, facilè exceſſu peccamus nimiùm ea perſequendo, unde & in hiſce à nimio actionem magis retrahit virtus, quam à defectu. (2) *in defectu, quoad moleſta*, unde in ijs, quæ ob dolorem fugimus, à defectu actio retrahenda eſt, ut ita tum ad exceſſum magis inclinet. 2. *Major proclivitas noſtri appetitus ad alterum extremorum.* Ad quæ autem procliviores à naturâ ſumus, ipſa longiùs à ratione diſcedere videntur. *II. Specialiter, ratione ſpecialioris modi* oppoſitionis, *juxta quem duplex* datur *oppoſitio.* 1. *Contraria, quæ eſt inter duo vitia conſiderata.* (non formaliter præcisè ratione aberrationis à virtute, ſed) *materialiter*, quatenus ſunt qualitates longiſſimè diſtantes, & principia actionum oppoſitarum. 2. *Privativa*, quæ datur *inter virtutem & vitia*, quia id, quod virtus, quà virtus, ponit, vitia, quà talia, privant. Vide Clariſ. Horn. Eth. l. 3. c. 3. n. 9. Non autem abſurdum eſt, ut unum idemq; diverſo reſpectu opponatur & contrariè & privativè, ob mixtam ejus naturam ex poſitivo & privativo, ob quam contrarietatis fundamentum eſt poſitivum illud, quod includit; Privationis autem fundamentum eſt privativum illud.

3. Tractatio Vitij & malitiæ *duplex* eſſe poteſt. *I. Nominalis. II. Realis.*

(2)

2.

(1) NB.

(2)

2. Specialis, quæ (1) Contraria.

(2) Privativa.

II. Tractatio.

(1) Nomi-
nalis,
juxta quã
malum
1. *vel Per*
se.

1.

2.

4. *In Nominali* consideratione *enodatur Æquivocatio*, *quæ* hîc *duplex*. Nam *I. Malum aliud est I. Per se*, quod per se disconvenientiam seu perfectionis defectum importat. *Hoc* rursus *duplex* esse potest. *(I) Naturale*, quod dicit carentiam perfectionis congruentis in genere naturæ, quâ videl. natura in se alias perficitur quoad *tum* accidentia, *tum* operationes. Hujusmodi malum est mors, ingenij hebetudo, quia denotant carentiam vitæ & promptitudinis ingenij, tanquam naturalium perfectionum. *(II) Morale*, quod dicit carentiam perfectionis congruentis essentiæ rationali, ut tali, seu in genere morum, quat illa perfectio conformari debebat legislatoris voluntati. Hæc duo bona à se invicem maximè distingui ex eorundem mutua separatione patet in exemplis. Nam (1) potest quis esse malus naturaliter possidendo morbos, ingenium hebes, & distorta aliqualiter membra, ut tamen optimus sit moraliter: quemadmodum contrà pessimus nebulo quandoq; corporis robore & mentis acie excellere potest. (2) *in malo Commissionis*, v. g. furto, scortatione, &c. adest perfectio & bonitas naturalis, adeoque positivum quid (vid manus extensio & similis procreatio) & tamen maxima imperfectio seu malitia & privatio moralis, quia importat defectum moralem, repugnantem legi divinæ ac naturæ. *Hoc morale malum*, quod consistit in incongruentia cum lege juxta th. 17. disp. 4. *adhuc tripliciter sumi potest*. 1. *Potentialiter*, pro proclivitate naturali ad malum, quæ à naturæ corruptione est, & semen vitiorum aliàs dicitur. 2. *Actualiter, pro malo actu* seu operatione, & quidem *habitum vitiosum*. (1) *Antegrediente*, quæ antecedit vitiosum habitum. Hæc à naturali illa mala proclivitate oritur, & per crebriorem sui repetitionem habitum gignit. (2) *Consequente*, quam ipse habitus vitiosus postmodum procreat. 3. *Habitualiter*, pro vitioso habitu, qui à malis actionibus oritur. Hoc modo nunc accipitur Vitium. *II. Per Accidens*, quod importat disconvenientiam & imperfectionem non in se, sed saltem contingenter ratione alterius extranei. Hoc modo res naturales, prædictæ contrariis qualitatibus, dicuntur malæ per accidens, vid. ratione alterius extra-

(1)

(2)

(3)

vel per Accidens.

extranei corporis, quod interimunt. Sic aqua extinguit ignem, & ignis rursus corrumpit aquam. Hanc malitiam esse saltem per accidens & respectu alterius, patet inde quod hujusmodi mala, licet uni animali noceant, alteri tamen prosint naturaliter. v. g. Venenum, quod nocivum est homini, animalibus venenatis non tam aufert, quam tribuit perfectionem. Sic serpens hominem interficit, ast ciconiam nutrit; piper & amaracus salubria sunt homini, sed sues interficere dicuntur. Hinc & illud Lucretij lib. 5.

Quippe videre licet pingueſcere ſæpè cicutâ
Barbigeras pecudes, homini quæ eſt acre venenum.

Intelligitur autem h. l. malitia per se, moralis & Habitualis, quæ propriè notatur nomine vitij. *II. Malum aliud est (1) Pœna,* quod est privatio boni inesse debiti, inflicta autem & contracta propter culpam. v. g. fustigatio & combustio, ut pœnæ sunt, dicunt privationem alicujus boni, quod aliàs isti homini debitum erat juxta statum ejus moralem, privatur autem homo illo bono propter antegredientem culpam. De pœna fusius aget disp. 10. *(II) Culpæ,* quod est privatio rectitudinis moralis, quam creatura intelligens debet ex præscripto legis. Unde & exorbitantia à lege dicitur. Ut enim Bonum morale formaliter consistit in conformitate cum recta ratione & lege, quatenus voluntas & appetitus sensitivus vel amant & appetunt, quæ legi Dei congruunt, vel fugiunt quæ ei adversantur; Sic contrà malũ morale seu culpæ consistit in incongruentia s. exorbitantia à lege. Hoc malum culpæ in Ethicis potissimum spectatur, unde *de eo* hic *duo* probè *notentur.* 1. *Denominatio,* juxta *quam* dicitur *(1) Culpa,* scil. *ratione principij* committentis illud malum, cui ut reo & vitium imputatur, & quandoq; pœna tanquam effectus culpæ & reatus imponitur. Dicitur itaque culpa ratione reatus in principio committente. (2) *Peccatum, ratione subjecti* intelligentis, in quo notat disconvenientiam. (3) *Prævaricacio*, ratione legis prohibentis. 2. *Subdivisio. Est* enim *Malum culpæ. (1) vel Commissionis*, quod consistit in pura privatione s. omissione ejus, quod

2. *vel Pœnæ.*

vel Culpæ.

(I.)

(II) (1.)

quod à lege præcipitur. Unde omissio opponitur præcepto affirmativo, v.g Si lex positiva militem obligaret ad excubias, ipse autem illas intermitteret, peccaret culpa omissionis, quia dum hoc instanti obligationis potest & debet operari, & tamen non operatur, caret assensu & operatione debitâ. De hac Culpa omissionis plura aget th .9.; *vel Commissionis*, quod est actus positivus sua rectitudine privatus, & consistit in commissione ejus, quod à lege prohibetur, unde oponitur præcepto negativo, v. g. Furtum, scortatio, injustitia, agunt prohibitum quid à lege, cum hujusmodi actus prohibiti sint- (2) *vel intrinsecè malum*, quod simpliciter justitiæ Dei & legi naturæ adversatur, v. g. homicidium, abnegatio Dei; *vel extrinsecè*, quod solum propter extrinsecam præsuppositionem legis positivæ malum est. Hujusmodi malum in V. Test. erat comestio carnis suillæ, quæ licet in sese sit indifferens, & in N. T. planè licita, tamen in V.T. propter prohibentem legem Levit. 11, 7. Deut. 14, 7. erat illicita. Simile judicium fiat de comestione leporis. Levit. 11. v. 6.

(2)

(II) Realis, *in qua Vitij.*

5. *In Reali* consideratione *tria* notentur, *viâ. Vitij. I. Quantitas discreta. II. Distinctio. III. Definitio.*

1. *Numero*

6. *Juxta Quantitatem discretam seu Numerum Vitia unius virtutis sunt duplicia.* 1. *Secundum rem*, ita ut duo realiter distincta dentur vitia, quod fit, quoties dãtur distinctę actiones, quarum una tantùm modum excedit, altera a. tantùm deficit, ceu fit in cæteris vitijs præter injustitiam, v. g. qui in eroganda pecunia avarè agit, deficit tantùm, qui prodigaliter, excedit tantùm modum. Unde liberalitas intercedit inter avaritiam & prodigalitatem tanquam inter duos distinctos & peculiares habitus. Idem judica de fortitudine, quæ media est inter audaciam & timiditatem, quia audacia tantùm excedit temerè omnia audendo, timiditas autem tantùm deficit nihil audendo. 2. *Secundum rationem saltem*, ita ut uno vitio comprehendantur & excessus & defectus, qui non actione distincta, sed saltem ratione à se ibi distinguuntur, cum una eademq; realiter actio plus & minus habeat, ceu contingit in injustitia. v. g. qui defraudat alterum, unâ eademq; actione & mo-

2.

modum excedit, quia plus boni sibi sumit, quàm par erat, & simul deficit, quia minus, quam oportebat, alteri relinquit. vide disp. 10.

7. *Distinctio Vitij* potest hic esse *duplex*. *I. Specifica*, qua specie quasi inter se differunt vitia per diversam formalem rationem, quæ semper est privativa, quia omnis malitia, ut talis, per se defectum aliquem includit formaliter, ita ut formalis ipsius ratio in eo consistat, vide th. 10. Est autem hæc formalis ratio privativa in Vitijs considerandæ determinatè in descensu ad inferiora, ita ut vitiorum differentia desumatur *à diverso*, 1. *Objecto*, quando conferuntur vitia diversarum virtutum. v. g. Intemperantia, injustitia & avaritia differunt ob objecti diversitatem, dum intemperantia notat aberrationem in perceptione voluptatum corporearum, injustitia in communicatione aut distributione bonorum, avaritia autem in erogatione pecuniæ. Ubi *nota*, licet hæc discrepantia vitiorum, oppositorum distinctis virtutibus, sit objectiva, seu desumpta ab objecto, quod tamen illa non fiat per positivam aliquam formam, sed per privationem circa diversa objecta, quod patet exemplo Physico. Nam cœcitas à surditate distinguitur ratione objecti & habitus, dum cæcitas notat privationem visus circa objectum visibile, surditas autem carentiam auditus circa sonum. 2. *Subjecto*, quando inter se conferuntur vitia ejusdem virtutis, seu quæ uni & eidem virtuti adversantur. v. g. Audacia & Timiditas inter se differunt ratione (non objecti, quia utrumq; vitium respicit pericula adeunda, sed) subjecti, quia in diversis subjectis seu humanis suppositis sunt, adeoque oppositarum actionum principia, dum timiditas multum timet, audacia parum, unde in idem subjectum simul cadere nequeunt. Ubi tamen *nota*, quod hujusmodi vitia distinguantur per multum & parum consideratum (non præcisè, sed) determinatè, ratione annexæ privativæ aberrationis, vid. quatenus multum illud & parum à recta ratione dissentaneum est. Unde & hìc formalis ratio vitiorum manet privativa, quod probè nota. *II. Gradualis*, quæ Vitio competit *ratione delictorum & actionum vitiosarum*, quæ

2. *Distinctio.*
(1) *Specifica q.*
NB.
1.
NB.
2.
NB.
(2) *Gradualis.*

suos gradus habent, ita ut una altera sit excusabilior. Cum autem in discernendis delictorum gradibus potissimum animus agentis attendatur juxta regulam: *Non simpliciter rei effectus, sed efficientis affectus in crimine est*, notetur quod *aliquid perpetrari possit. I. Consultò, ut est (1) Dolus*, qui est delictum, profectum ex destinato consilio & instituto alium circumveniendi & decipiendi. Unde nos hîc Philosophicè in lata significatione dolum sumimus, quatenus fraudem includit, & notat id, quod non venit ex bona fide sed mala. Sic dolum commiserunt juvenes Romani, quando virgines Sabinas, ad ludorum spectacula invitatas, rapuerunt ad conjugia insidiosè, quia virgines istæ Romanæ juventuti conjugium ante denegârant. Similem dolum commisit tribus Benjaminitica, clandestinis insidijs sibi in uxores rapiens filias Silo. Judic. 21. v. 23. *Species doli* à JCTIS *constituuntur quadruplices.* (1) *Calumnia*, qua intenduntur falsa crimina. (2) *Prævaricatio*, qua abscondûtur vera. (3) *Tergiversatio*, qua quis in universum ab actione desistit. (4) *Cavillatio*, qua quis imponit falsis disputationibus. De hisce speciebus ipsos JCTOS consule, qui te uberiùs erudient. *(II) Culpa*, quæ est læsio, illata alteri per imprudentiam, quæ alias humanitùs evitari potuisset. Propter hanc evitabilem incuriositatem culpa fit reprehensibilis, & obligat lædentem, quia adhibitâ diligentiâ quadam damnum illud præcaveri potuisset. Est autem Culpa 1. *Lata*, quæ est læsio maximè reprehensibilis, qua quis faciendo vel prætermittendo non intelligit illa, quæ omnis intelligit. v. g. Si quis non ad eum modum curat res alienas apud se dispositas, quo proprias solet, latam culpam committit, quia salvâ fide minorem ijs depositis, quam suis, diligentiam præstare nequit. Sic latæ culpæ annumeratur Ignorantia juris communis, nisi ob ætatem vel sexum excusetur. In Culpa lata tanta est fraudis suspicio, ut hujusmodi incuriositas dolo comparanda censeatur. 2. *Levis*, quæ est incuriositas seu Negligentia, quam alij plerumq; homines in suis rebus solent evitare. *Dicitur* autem hæc culpa *Levis*, *non ratione effecti & damni*, quippe quod aliquando grande est, *sed ratione principij*, quia nulla

planè

planè conjectura colligi potest animus malè conscius, sed nuda simplicitatis ratio hic attenditur, ob quam & defectus ille, licet & simpliciter excusetur, leviter tamen existimari solet etiamsi magnum sit damnum. Hujusmodi culpa levis erat in parentibus Christi. Luc. 2 v. 42. & seq, dum in Christo puero custodiendo non adhibuerunt diligentiam, quam alias secundum communem hominum naturam parentes adhibere solent. Hujusmodi culpa levis est, si tonsor sellà in loco lubrico & ignoto collocatà insciùs novaculà impingat in gulam ejus, cujus capillos abradit. 3. *Levissima*, juxta Hottomannum, quæ est, quando quis saltem mediocrem diligentiam præstat, non autem summam & exactissimam illam, quàm alias deberet, & peritissimus ac diligentissimus in suis rebus adhiberet. Dicitur autem levissima ratione principij, non a ratione effecti seu damni, quod similiter sæpe grande esse potest. v g. levissima culpa ab ijs censetur, si quis in curando res alienas depositas adhibeat diligentiam mediocrem, & eam, quam suis aliàs præstet, non a. exactissimam illam, quam aliàs peritissimus & diligentissimus paterfamilias adhibere posset. Culpa hæc levissima à nonnullis non facilè conceditur, quia ex ea non videtur oriri obligatio pœnalis, seu ad pœnam, quæ tamen ex omni culpa propriè dicta suboritur, tanquam effectus ex sua causa. Verum quando ex contractu vel alia ratione quis debet summam illam diligentiã, aliqualis obligatio ad pœnam aliis ex tali culpa suboriri videtur. *II Incon. sulto* vid. quando aliquid contingit 1. *ex casu fortuito*, qui præter omnem agentis intentionem & scopum contingit. v. g. Si quis lignum secet, & securim fortiter impellat, ei autem ferrum è manubrio excidat, quo alterum fortè adstantem vel præterambulantem tangat & interimat Deut. 19. v 5. 6. *Hujusmodi casus fortuitus est excusabilis*, (1) *in re licita & seria*, ut Deut 19. v 5. Nam alias in actu illicito & joculari non excusatur. v. g. Si quis in tecto ædium sedens per lusum tegulas dejiciat, quibus infrà stantem præter intentionem interficiat, quia hujusmodi actus est illicitus. Contrà excusatur Cæmentarius, si in tecto laboret, signoq; id significet, & laboranti

fortè tegula excidat, qua prætereuntem occidat; quia versa-
2 tur in re licita & seria. (2) *Ubi nullum omninò malè agendi pro-*
positum adest, nec ulla istius casus causa. v. g. Si quis in re licita
tempore & loco debito ignem accenderit, subita autem vis-
venti ignem longius propulerit, & damnum intulerit, ipse
homo excusabitur fortuito hoc casu. Contrà si quis loco
periculoso & tempore inconvenienti ignem accenderit, da-
mni sequentis reus erit, quia aliqualem causam præbuit even-
tui malo. (2) 2. *ex affectu vehementiore*, quando aliquid non pla-
nè consultò fit, sed ex affectu aliquo vehementiore. *Hujusmo-*
di actus est excusabilis, quando proficiscitur ex affectu naturali &
homine digno, v. g. Ex zelo & amore. Hujus generis factum
statuitur illud Mosis Exod. 22. ubi propter vitulum, ab Aaro-
ne confectum, ira accensus tabulas divinæ legis confregit.
Sic Arist. lib. 1. M. M. c. 17. adfert exemplum de muliere, quæ
cum Philtrum Amasio dedisset, eumq; interemisset, absoluta
tamen fuit in Areopago, propterea quod amoris causâ dedis-
set. Simile factum judicatur, si quis conjugi medicamentum
porrigat, quo adjuvetur sobolis procreatio, & interim medi-
camentū illud malè cedat, conjugiq; noceat, quia hujusmodi
factū provenit ex vehementi amore procreandi sobolem, qui
naturalis. Sic veniā meretur, si quis turpe quid committit sub-
jectus turpissimis tormentis & cruciatibus, quib⁹ ferendis hu-
mana natura impar est. Hoc modo veniam meritus est Ru-
tilius Ruffus, qui Mithridatis crudelitatem ut effugeret, ve-
NB. stem mutavit sumto pallio, teste Athenæo. l. 15. *Non autem*
excusabile est hujusmodi delictum. (1) *ob affectum præter natu-*
ram accersitum, & homine indignum. v. g. Si quis ex odio vel
invidia aliquid committat. Hinc si quis odio habens proxi-
mum suum ipsi insidiatus fuerit, ipsumq; interfecerit, hunc
DEus per seniores ex civitatibus refugij seu asylis etiam re-
trahendum & puniendum statuit. Deut. 19, 12. seq. Idem ju-
dica de ebrietate, quæ vel ex habitu fit, vel studiosè quæsita est.
Aliàs ebrietas, quæ obvenit præter intentionem, ut infirmi-
tate quadam, excusabilis censetur. v. g. Si quis ignorans vim
Gustrovienſis cereviſiæ, Knyſenack dictæ, inebriatus fuerit,

veniam

veniam merebitur, præsertim si pœnitentia subsequatur. Hinc à Theologi excusari solet ebrietas Noæ. Gen. 9, v. 21. *tum* propter ignorantiam efficaciæ vini Armenici, *tum* propter curas & senilium membrorum defatigationem, in quorum corroborationem vinum assumpsit. Quod autem Pittacus Mitylenæus, ut est Eth. 5. c 6. t. 72. duplici pœnæ ebrios adjudicet, id factum est determinatè ratione civium suorum, quos tam severâ lege eò magis à temulentia revocare voluit, præsertim cum Lesbus Insula, in qua est Mitylene, vino abundet. *(2) ob commissionem alicujus turpis & indecori, factam propter commodū, vel exiguum*, ut quando Ulysses insaniam simulavit, ne coge-retur in bellum Trojanum proficisci, quò domi otiosè & delicatè vivere posset. Cic. 3. offic. *vel magnum*, v. g. Si quis ob ingentem pecuniæ summam patriam prodat, vel propter ingentes cruciatus fidem abneget, cujus exempla vide apud Niceph. l. 10. c. 19. Sic non excusatur αὐτοχειρία Lucretiæ, Catonis, & Mulieris Romanæ, quæ ut Maxentij libidinem declinaret, seipsam interfecit. Niceph. l. 7. c. 21. Sic veniam non merentur Numantini, qui apud Valer. Max. l. 7. c. 6. ab hostibus circumsepti, uxores suos gnatosq; ad usum nefariæ dapis verterunt. *Veniam autem hujusmodi delicta non mereri, patet ex opposito*, vid. quod illi laudentur, qui ob res præclaras etiam gravissima quæq; perpeti non recusant. Sic laudabilis est responsio Condæi principis, cui, in aula regia capto, cum Carolus IX. Galliæ Rex optionem dedisset, ut ex his tribus unum eligeret, nempe *vel* missam, *vel* mortem, *vel* perpetuum carcerem, ipse Princeps respondit: Primum Deo juvante nunquam eligam: duo reliqua Regis arbitrio permitto, sic tamen ut sperem, Deum hæc quoq; sua providentia gubernaturum. Sic triginta Tyranni Socratem, propositâ uxorum & liberorum morte, perpellere non potuerunt, ut innocentem Leonem quendam morte damnaret. Exempla hujusmodi plura invenies in Martyrologijs.

8. *Definitio* vitij *hæc* esto: *Vitium est habitus electivus seu Proæreticus, quo eliguntur & approbantur mala, quæ à mediocritate aberrant, vel per excessum, vel per defectum.* 3 *Definitio in qua cōceptus.* *Hæc definitio* resolu-

(1) Latior. 1. *resolubilis est in conceptum duplicem.* I. LATIOREM *seu Generi-*
cum, in quo cum virtute convenit. *Hic circumscribitur du-*
plici voce, dum Vitium dicitur (1) Habitus, scil. sensu (non pro-
prio, quatenus habitus in sensu Philosophico notat qualitatem positivam, potentiæ superadditam ad facilitandos ejus actus. Hoc enim sensu vitium non esse habitum, patet inde, quia vitium formaliter in privatione, non autem in positiva aliqua ratione, consistit, ceu inferiùs probabitur; *sed Tropologico & analogico,* quatenus ad instar habitus adhæret & durabile est, NB. acquisitum crebriore iteratione vitiosarum actionum. *Posse autem aliquid propter diuturnam inexistentiam & durationem in aliquo subjecto vocari habitum seu habituale quid, patet ex* (1) *exemplo simili* desumpto, 1. *à Medicis*, apud quos morbi hæreditarij & Chronici dicuntur habituales propter tenacem durationem in subjecto; sic & hectica febris apud eos nonnunquam appellatur omnis febris contumax, & opponitur Scheticæ seu illi, quæ facilè expelli seu fugari potest. (2.) 2. *à Theologis*, qui peccatum originale vocant habitum & habituale quid, propter tenacem & perpetuam inhærentiam, ut eò rectiùs distinguatur ab actuali peccato, quod transit. Hinc *patet Moralia hæc vitia dici analogicè habitus* ob quadruplicem rationem. (1) 1. *Propter acquisitionem per crebriorem repetitionem actionum vitiosarum.* Ut enim habitus, propriè dictus & acquisitus, pluribus actionibus inducitur; Sic vitium propriè possidere dicitur, non qui semel tantum malè agit, sed qui crebrò vitiosis actionibus assuevit, & deliberato animo agit. (2) 2. *Propter tenacem inhæsionem & difficilem amotionem.* Ut enim habitus difficulter est mobilis, ut non facilè à subjecto tollatur; Sic & vitium, quod ubi semel contractum & radicatum est, non facilè deponere illud possunt homines, ut sæpè ingeminent se non posse abstinere ab ebrietate aut furto, sed potius mori (3) velle, vide th. 22. disp. 5. 3. *Propter operationis facilitatem.* (4) 4. *Propter delectationem insequentē actiones vitiosas* Ut enim signum est virtutis acquisitæ, si bona agantur facilè & cum animi voluptate juxta th. 25. disp. 5. Sic vitium tum consummatum dicitur, quando turpe quippiam non solum facilè committi-

mittitur, sed & cum delectatione animi, ita ut placeat homini. v. g Intemperans ita voluptates corporis sectatur, ut ijs gaudeat, nec post factum quidquam ejus ipsum pœniteat. *Contrà* quia continens ita voluptati indulget, ut ipsi non placeat sic agere, dum statim dolet, ubi voluptatem expleverit, incontinentia non tam vitium, quàm prava dispositio à Philosophis dicitur. *(II) Electivus scil. ratione modi agendi potissimum*, ut vid. Vitiosus agat ex προαιρέσει atque libera electione, non autem casu, vide disp. 5. th. 12. Ex quo *duo* fluunt, quæ probè notanda sunt. *I. Omne vitium Ethicum*, quod à Philosopho Practico consideratur, *esse voluntarium, scil. ratione principij*, ita ut omnis culpa actualis, rigorosè dicta, intrinsecè ac formaliter postulet liberum & voluntarium, juxta Aristotelem l. 1. M. Mor. c. 9. ubi ait: in nostro arbitrio esse mala facere, vide & 3. Eth c. 5. *Quod autem culpa requirat voluntatis libertatem, patet dupliciter 1. ex effectu vitiosæ actionis*, videl. vituperio & pœnarum inflictione, ex qua ita argumentor. Quicquid meretur vituperium, reprehensionem, & pœnarum inflictionem, illud intrinsecè est voluntarium, adeoq; in nostra potestate. Atqui vitia & vitiosæ actiones merentur vituperium & pœnarum inflictionem. E. *Major* probatur (1) ex Canone Topico: *Cui tribuitur effectus* (vid. pœna) *eidem tribuitur & causa* (vid. liberi appetitus vitiositas). Hinc Politicus alicui actui pœnas indicere nequit, nisi sit voluntarius & in nostra potestate. Nam aliàs in civilibus ad impossibile nemo obligatur. *(2) ex opposito, vid. ijs quæ ex necessitate fiunt*, & in agentis ipsius potestate non sunt, ut liberè possit sic operari vel non-operari, ob quam causam & hujusmodi actiones non reputantur inter injurias propriè. *Hinc ita*: Actiones, quæ non merentur pœnam & injuriæ denominationem, sunt involuntariæ. E. Actiones, quæ merentur pœnam & injuriæ denominationem, sunt voluntariæ & in nostra potestate. *Antecedens patet ex exemplo (1) Bestiarum*, quæ ob defectum libertatis injuriam propriè non inferunt, nec consequenter propriè & directè pœnam sustinent. Quod a. à lege Exod. 21. v. 28. bos cornu hominē interficiens lapidibus adjudicetur, id non propter

2.

NB.
(1)

propter pœnam propriè dictam, ipsi bovi infligendam, factum est, cum bos ob defectum rationis & libertatis culpa propriè dicta careat, unde & pœna ipsi propriè imponi non poterit, quia pœna respicit culpam, tanquam effectus suam causam; sed data illa est lex ad notificandum populo Judaico, *tum* vitæ humanæ dignitatem, vid. quam digna illa sit, & quam cara Deo; *tum* homicidij gravitatem, vid. quam enorme peccatum sit. (2) *Hominum amentium, & rationis usu destitutorum*, à quibus si opprobrium, damnum aut simile quid infertur, inter injurias propriè reputari non solet, neque vindicari, quia scil. consideramus, sic operari vel non operari in ejus voluntate positum non fuisse, quia voluntarium præsupponit usum rationis, & homini competit, quat. rationalis est creatura. Hinc leges, ceu quotidiana observatio testatur, Phreneticum non puniunt, quia ignorant ipsum causam esse suæ phrenesis, adeoque voluntaria actione ipsam induxisse: Contrà licet & profundè ebrius rationis usu destituatur, tamen punitur si facinus quoddam in ebrietate committit, quia antecedente actione voluntaria ipse causa est suæ ebrietatis, & consequenter facinoris in ebrietate commissi. *Consecutio* patet ex canone Philosophico: *Oppositorum opposita sunt consequentia. 2. Ex graduali discrepantia culpæ*, quippe cujus gravitas ex advertentia seu libertate æstimari solet, ita ut culpa sit gravior vel levior, quò committitur cum majori vel minori advertentia seu libertate. Nam culpa volūtaria directè (h. e. quæ per expressum actum deliberationis & voluntatis committitur) gravior censetur illâ, quæ solum indirectè voluntaria dicitur, hoc est, ex surreptione seu imperfecta deliberatione, ex negligentia culpabili, ignorantia vincibili &c. Imò indirectum hoc voluntarium inter mala culpæ computatur reductivè juxta illud Scholasticorum: *Voluntarium indirectum reducitur in naturam suæ formæ.* h. e. Ethicè & moraliter constituitur in illa specie malitiæ, in qua constitueretur, si directè voluntarium foret. Vide Rutger. Met. l. 1. p 156. Plura de voluntario vide th. 28. & 31. disp. 4. *II. Vitia Personalia, hic habitualiter & strictè dicta*, (quatenus notant ipsum certum & determinatum habi-

NB.

(2)

habitum vitiosum acquisitum in certis personis ac suppositis) *non propagari in liberos*, quia generatio similis, ut est naturalis, sic & fit secundum naturalia, non autem secundum acquisita moralia. *Dixi notanter* vitia habitualiter sumpta, quia *quando vitia sumuntur potentialiter* pro naturali propensione ad malum & habitum vitiosum, quæ semen est ipsorum vitiorum, tunc *omninò concedo Vitia proximorum parentum per propagationem similis vitiosæ inclinationis quandoq; transire in liberos propter seminis vitiositatem, ceu patet.* 1. *ex experientia*, quæ confirmat, quod sæpius à malis parentibus mali generentur liberi, quoad pronitatem majorem ad hoc vel illud vitium. Quò respexit & effatum Dei minantis Exod. 20. v. 5 se visitaturum iniquitatem Patrum in filios in tertiam & quartam generationem. *Ratio* pœnalis hujus comminationis desumitur ex imitatione, qua filij patrum iniquitatem imitantur, propter similis propensionis pravæ procreationem. Nec *obstat*, quod Achaz & Amon Reges deterrimi filios genuerint Ezechiam & Josiam, qui optimi & præstantissimi ab ipsa statim infantia fuisse narrantur, nam nostra enunciatio est particularis & contingens, non universalis & necessaria. 2. *à simili.* Quemadmodum propter seminis corruptionem ex calculosis calculosi generantur, ex podagricis podagrici; sic eadem ratione ex libidinosis vel avaris parentibus nascuntur liberi ad libidinem, vel avaritiam præ reliquis hominibus proni. Vide Rever. & Excel. Dn. D. Meisnerum præc. meum honor. par. 3. Phil. sob. 5, 1. c. 4. q. 3. p. 253. *II. STRICTIOREM seu specificum q. qui desumitur à depravata electionis objecto formaliter considerato, quod est malum* à mediocritate *aberrans.* 1. *per excessum.* 2. *per defectum.*

NB.

1.

2.

(2) Strictiorem, in quo

9. Quia autem *omnis malitia Ethica*, ut malitia est, *in privatione formaliter consistit, de* ipsa *privatione*, pro præsentis materiæ conditione, *triplex* hîc adhuc instituatur *consideratio. I. Probativa. II. Definitiva. III. Divisiva.*

De Privatione, notetur 1. Probatio, *quod malum moraliter cõsistat in privatione*

10. *Probativa consideratio est, qua probatur Habitum Vitiosum*, imò omne malum morale, *Philosophice consideratum, formaliter esse privationem, non autem Ens aliquod reale positivum*

1. à remotione specierum ad remotionẽ ipsius generis.

vum Philosophicè & propriè dictũ, quod probatur tripliciter. 1. à remotione specierum ad remotionem generis s. latioris conceptus, hac forma dilemmatica. *Si malum culpæ & morale habet formaliter esse aliquod reale & positivum, illud habebit AUT à seipso, AUT ab alio. Major* hæc Dilemmatica probatur exCanone Logico: *Cui tribuitur genus ei necessariò tribuitur aliqua species per divisionem evolutam sufficienter.* Esse autem hic membrorum istorum sufficientem & immediatam oppositionem, patet quia contradictoria sunt, vid. esse à seipso, & esse ab alio. h. e. non esse à se; inter contradictoria autem non datur medium.

1. Jam *Si PRIUS*, tunc erit ENS primum, & per Essentiam summè malum, adeoq; ipsa causa prima & æterna mali, quia quod esse suũ habet à seipso, nunquã fieri potuit. Ast hæc omnia absurda, & Manichæismũ redolent, ceu inferiùs docebitur de errore Manichæorum.

2. (1) *Si POSTERIUS*, h. e. Si esse suum reale habet ab alio dependenter, *tunc (1) illud habebit Aut à Causa prima* seu Deo, quod non, quia aliàs Deus peccati causa directè foret, quod quàm absurdum, vide th. 37. disp. meæ Pneumaticæ 10. Cum enim effectus toto genere non sit deterior sua causa, certè Vitium morale quod toto genere deterius est Deo summè bono, ab ipso ut causâ primâ esse non potest; *Aut à Causa secunda solitariè, quod* similiter *falsum.* 1. *quia omne Ens reale*, quod à causa secunda producitur, *producitur vi primæ causæ concurrentis.* vide gratiâ brevitatis disp. Pneumat. 10. th. 11. 12. seq. 2. *quia aliàs quædam Entia positiva non essent à Deo*, quod non tantum contra lumen rationis, sed & revelationis quodammodò Joh. 1. v. 3. 3 *quia aliàs creatura ex nihilo novam Entitatem*, seu Entis Positivi speciem, sine causæ primæ concursu producere posset, quod falsum, quia

NB. sic in operatione independens esset. *Nec est quod* hic in Ethicis *distinguas inter introductionem & inter productionem*, quasi creatura posset Ens aliquod positivum introducere sine causæ primæ concursu, non autem producere. *Nam (1) Positio illa rei*, propriè sumpta, *est communissima* illa *ratio in omnibus productionibus*, per quam esse fit actuale, adeoq; positivum quid, dum illa positione ponitur in actu entitatis, ut sit revera

aliquid

aliquid. Communissimus autem Effectus & causandi ratio respicit communissimam causam vid. Deum. Hinc quicunq; rei tribuit positionem, ipsi etiam eo ipso necessariò tribuit dependentiam causalem à Deo, ut causa universali & prima. (1) *Illa introductio ponit Entitatem positivam, aut* antea existentem, *aut* non existentem, sed planè novam. *Si prius*, tunc 1. illa introductio adhuc est actio, adducens diliteſcentem Entitatem. 2. adhuc potissimùm quæritur, à quonam primum illa positiva Entitas sit posita & producta, à se n. non erit, quum sit aliquid dependens, nihil a. dependens est sui ipsius causa. *Si Posterius*, tunc manifestò est productio, qua creatura ex non Ente producet Ens. *(II) Illud erit Aut esse substantiale*, quod falsum, (2) quia neq; est corporeum, neque incorporeum, quia utrumq; est Dei creatura, ceu de ipso Diabolo patet; *Aut esse Accidentale, quod* similiter *falsum, quia* 1. *tum in Virtute alicujus substantiæ ageret*, cum nullum accidens sit primum principium alicujus actionis, cum esse accidentis sit per substantiam. *Si* a. *jam in virtute substantiæ ageret malum illud essentiale oriretur*, *aut* à Deo, *aut* à Diabolo tanquam malo primo, & tunc priores difficultates recurrent. 2. *ad nullam speciem accidentis prædicamentalis referri potest. II. ab Entitatis positivæ realis adjuncta bonitate, & consequente appetibilitate.* Hinc ita: Omne Ens reale & Positivum, propriè sumptum, est bonum & appetibile. Atqui malum Ethicum seu morale formaliter non est bonum & appetibile. E. malum Ethicum formaliter non est Ens reale & positivum. *Major* probatur. 1. *Ex essentiali perfectione omnis Entis realis*, qua omnis entitas positiva, propriè dicta, constans ijs omnibus, quæ ad complementum suæ naturæ intrinsecè requiruntur, ut sic perfecta est, adeoq; bona & appetibilis, ob quam omnis res appetit esse, & contrà destructionem seu non-esse abhorret. 2. *à testimonio* Metaphysicorum omnium, apud quos hæc exstructa sunt axiomata: *Ens & Bonum convertuntur. Quantum quid habet de Entitate, tantum habet de bonitate.* De quibus omnibus in Metaphysicis uberiùs agitur. *III. à specie ad genus*, h. m. Neque malum omissionis neque commissionis consistit formaliter in positi-

2. *ab adjuncta bonitate Entis positivi*

1.

2.

3 *Rursus à specie ad genus.*

va aliqua entitate. E. nullum malum morale consistit formaliter in positiva aliqua entitate. *Antecedens* patet ex thes. 13.

NB. Nam positivum (h. e. habitus & actio) quod subsstat malitiæ morali, seu in malo habitu & actione datur, est materiale non formale. *Ratio* est, quia illud positivum est commune, & reperitur in habitu & actione tam bona quam mala. Quod autem commune est, materialis rationem obtinet, non formalis, quippe quod est proprium, intrinsecè discriminans unum ab altero. *Consecutio* patet ex Canone illo Logico: *Quicquid negatur de speciebus* (vid. malo omissionis & commissionis, quæ species sunt mali moralis) *idem de ipso etiam genere negabitur*, (vid. malo morali.) Plura argumenta si expetis lege Clariss. Horn. Ethic. lib. 2. c. 7. p. 234. seq. Argumenta, quæ hanc nostram sententiam evertere videntur, in ipso conflictu diluam.

Error (1) Manetis. 11. Ex hisce patet *error triplex. I. Manetis & Manichæorum*, qui duo prima & independentia entia positiva statuebant, quorum alterum ex natura sua ac secundum se totum bonum nominabant, à quo etiam omnia bona procederent; alterum autem ex natura sua secundum se totum malum, à quo tanquam primo principio, ac radice summè mala, procederent & reciperent esse reliqua mala, quæ itidem naturæ positivæ omninò, & secundum se totas malæ. *Fundamentum*

NB. hujus erroris, non invenio aliud, nisi quod ejus patroni ipsi malo, quà malum est, tribuebant veram & realem essentiam, ob quam existimabant non posse oriri malum nisi ex malo, ne autem in malorum collectione in infinitum procederent, censuerunt consequenter intra eandem collectionem necessariò sistendum esse in aliquo malo, quod sit independens ab alio, & ex se tale. Hoc esse fundamentum istius erroris patet ex scriptis B. Augustini contra Manichæos editis, in quibus ipse unicè fermè urget, omne Ens bonum esse. *Hæc sententia* Manichæorum plurimos *fovet errores*: 1. de positiva entitate mali. 2. de origine mali, quasi malum esse non posset nisi à malo aliquo primo. 3. de pluralitate independentium, *tum* entium, *tum* agentium. Quæ omnia refutata vide

in disp. mea Pneumat 10. th. 45. *II. Cajetani*, qui ad Thom. 1. sec. q. 72. ar. 1. dicit tria concurrere ad actum intemperantis. 1. ipsum actum, quem vocat materiam malitiæ. 2. malitiam positivam ac temperantiæ contrariam, quam formam dicit ipsius intemperantiæ. 3. privationem rectitudinis, quam consequens aliquod vocat ipsius intemperantiæ. Verum hujus sententiæ *tum* absurditatem, quâ Deus peccati autor statuitur, *tum* falsitatem de commentitia illa distinctione duplicis malitiæ, vide ap. Gregor. de Valentia Tom. 6. disp 6 q. 2. pu. 1. Ne autem putes, te absurditatem illam, qua ex mente Cajetani Deus peccati autor statueretur, declinare posse distinctione illa Cani & Vasquezij, quâ dicunt positivum illud non reale esse sed rationis, consule brevitatis gratia Clariss. Horn qui Eth. l 3 c. 3. n. 8. istius distinctionis refutationem tibi offeret. *III. Eorum, qui distinguunt inter Malum Metaphysicum*, quod dicunt esse privationem, *& inter Ethicum*, quod dicunt inferre formaliter aliquid positivum. Unde ajunt Virtutem & Vitium opponi contrariè, ceu invenies apud Werenberg. exer. Metaph. 8. theor. 7. Verum oppono huic sententiæ. 1. *Naturam speciei non repugnare naturæ generis.* Unde manifesta est contradictio: *Omne malum est privatio*, ceu dicit Metaphysicus, & *Quoddam malum non est privatio*, ceu dicit Ethicus, ex ipsorum mente. Quapropter Metaphysicus & Ethicus contradictoriè pugnabunt, quod falsissimum, quia omnes specialiores disciplinæ Philosophicæ subordinantur Metaphysicæ in generalium terminorum explicatione. 2. κατ' δόξαν *ex mente Patronorum* hujus sententiæ, qui dicunt malum cum non-ente converti. *Si hoc*, certè Vitia formaliter non poterunt esse quiddam positivum, quia aliàs non daretur reciprocatio inter malum & non ens. 3. κατ' ἀλήθειαν, quod *Malum non accuratè opponatur Bono Transcendentali s. Essentiali, sed accidentali*, vide Rev & Excel. Dn. D. Jac. Martini. part. Metap. p. 285. quia non esse simpliciter est non-ens negativum, non privativum, unde neque malum propriè est.

12. *Definitiva Consideratio est*, qua definitur *privatio, quod sit negatio formæ seu habitus in subjecto capaci & habili. Hæc*

(2) *Cajetani.*

(3) *Aliorū*

1. NB.

2.

3.

2. Definitio, *in qua conceptus.*

1. Latior. descriptio *reſolubilis* eſt *in conceptum* duplicem. *I. Latiorem, qui eſt negatio*, in qua privatio, tanquam determinata negatio, convenit cum non-ente negativo, tanquam pura negatione. Ubi tamen *probè nota*: *Privationem* alias *conſiderari*

1. *duplicitèr*. 1 *Propriè & in ſe*, prout dicit carentiam habitus, & ſic neq; Ens reale eſt, neque rationis, ſed negatio, quum eſſentialis & completa ratio privationis abſolvatur & conſum-

2. metur in realis formæ remotione à ſubjecto apto. 2 *Intentionaliter*, ſecundum noſtri intellectus conceptum, qui de ipſa ſæpè aliquid prædicat, ad denotandam veritatem propoſitionis. Hoc modo privationes eſſe dicuntur in rebus, h. e. verè

NB. ſubjectis ſuis competere, Sic cæcitati tribuitur exiſtentia, dum dicitur eſſe in oculo. Sic duratio tribuitur cæcitati a nativitate. Joh. 9, 1. tenebris. Exod. 10, 21. Sic & in moralibus Vitia ſeu habitus vitioſi dicuntur tam tenaciter inhærere ſuis ſubjectis, ut non evelli facilè poſſint, imò hominem maximè corrumpant. Ne tamen exiſtimes hujuſmodi prædicata po-

NB. nere aliquam entitatem in privatione, accuratè obſerves velim auream regulam Scholaſticorum: *Attributa, quæ de privationibus poſitivè dici videntur, non realiter, ſed intentionaliter & notionaliter explicanda ſunt.* h. e. quando privationes ab intellectu noſtro (qui nihil concipere poteſt niſi ad modum Entis intelligibilis) concipiuntur per modum formæ poſitivæ, & ſic conceptæ attribuuntur rebus in propoſitione, quaſi ab eis habeantur, ſicut aliàs habentur formæ poſitivæ; tunc illa attributio intelligenda eſt non ſecundum rem, ſed ſaltem ſecundum noſtrum concipiendi modum. Unde hic modus attribuendi privationi eſt merè accidentarius & extraneus. Vide Rutger. Metaph lib 1. cap 17 p. 163.

2 *Strictior qui def. à bono* *II. Strictiorem, qui deſumitur à bono* determinato *duplici. 1. Oppoſito*, quod privationi opponitur, & ſe habet per modum formæ ſive habitus oppoſiti. Hoc Bonum determinatum eſt, &removetur per privationem à ſubjecto communi, quod ſucceſſivè ſubſtat utriq;, & habitui & privationi. v. g. in Naturalibus tenebræ removent à communi ſubjecto, vid. aêre, bonum (non quodvis indiſcriminatim ſed) Oppoſitum, vid. lumen, cui tenebræ opponuntur. Sic & in Moralibus Vitia re-

(1) *Oppoſito.*

movent

movent à communi subjecto, (vid. appetitu humano) bonum oppositum (vid. virtutes morales.) Similiter actiones malæ ab humanis actibus removent oppositam bonitatem moralem seu congruentiam cum lege. 2. *Subjectivo*, quod tanquam commune subjectum utriq; , & habitui s. formæ & privationi, successivè supponitur, & à quo se mutuò expellunt, juxta Canonem Philosophicum: *Habitus & Privatio sunt circa idem*, v. g. unus idemq; homo successivè & virtutem & vitium recipere potest, adeoque diverso tempore bonas & malas actiones edere, ceu patet de Themistocle, qui, etsi propter vitia ineuntis adolescentiæ à Patre exhæredatus erat, ita tamen postmodum emicuit, ut totius Græciæ servator factus sit. Cornel. Nep. in Themistocle. *De hoc* Communi *Subjecto duo* breviter hîc notentur, *(1) Bonitas*, ita ut Subjectum, in quo privatio est, bonum quid sit, quia privatio non potest inesse nisi Enti reali, & quidem actu existenti, at verò ens reale & bonum convertuntur, ceu ex Metaphysicis patet *(2) Aptitudo & Capacitas*, ita ut subjectum illud sit habile & capax habitus oppositi. Hinc homo malus est, si non facit quod honestas & lex jubet, quia homo est subjectum capax oppositi habitus, vid & virtuosi habitus & honestæ actionis; Contrà bestia mala non est moraliter, etsi neque hæc juxta honestatis præscriptum vivit, quia bestia est inhabilis ac indisposita. Unde illud non facere in homine est privativum quid, in bestia autem negativum tantùm.

(2) *Subjecto, de quo*

13. *Divisiva consideratio* est, qua enodatur divisio privationis moralis hic attendendæ, quæ *multiplex* esse potest *juxta multiplicem privationis considerationem*. Nam considerari Privatio potest. *1. Ratione signorum seu Vocabulorum*, quibus privationes & Vitia moralia exprimuntur, & tunc *Vitia illa denotantur Vocabulis. 1. Privativis Grammaticè*, quæ præfixa habent signa, Grammaticè aliquam remotionem seu privationem plerumque denotantia, qualia sunt apud Græcos ἀ στερητικὸν, ut vocant; apud Latinos præpositio inseparabilis IN. v. g. Injustitia, Intemperantia, Illiberalitas, ἀφιλοτιμία, &c. *2. Non-privativis Grammaticè*, quæ non habent præfixa hujusmodi

3 Divisio *ratione*

1. *Signorũ & Vocabulorum*

1.

2.

jusmodi signa Grammaticalia v g Audacia, Timiditas, Scortatio, μικροψυχια &c. *II. Ratione aberrationis à mediocritate rationis*, quæ virtuti propria est, & tunc *Privatio* moralis *contingit dupliciter.* 1. *per Excessum*, quando à mediocritate rationis ad nimium ascendit, unde & Vitium *Excedens* dicitur. 2. *per Defectum*, quando à mediocritate rationis ad parvum descendit, unde & Vitium *Deficiens* indigitatur. v. g. Audacia est Vitium excedens, quia à medio rationis ad nimium ascendit, plus quam par est confidendo. Contrà Timiditas à medio ad parum descendit, minus ac decet confidendo. *Nec obstat* nostræ privationi morali, quod per Excessum aliquod positivum poni videatur, dum v. g. prodigus plus pecuniæ dat, quàm liberalis, quia illud est saltem materiale, in quo est privatio illa perfectionis moralis; perinde atque in naturalibus, si quis habet 6. digitos, propter illum excessum homo ille dicitur carere perfectione quadam naturali, licet aliàs sextus digitus superadditus sit positivũ quid, in respectu tamen ad hominem possidentẽ dicitur malus ipsi naturaliter, & habet rationem defectus perfectionis naturalis. Idem judica de quantitate Gigantis maximi, quæ excedit staturam humanam legitimam; aut de nimio calore in morbis calidis. *III. Ratione gradualis inexistentiæ* q. in subjecto, & tunc *privatio moralis* dicitur. 1. *Inchoata & imperfecta* adhuc, quæ in subjecto primùm incipit esse, & in eo negare oppositam formam. v. g Si quis unâ & alterâ actione inhonestâ vitijs assuescit, dispositionem saltem possidere dicitur, non habitum statum & radicatum. 2. *Consummata & perfecta magis*, quæ notat corruptionem, in subjecto radicatam, & difficulter mobilem. Hæc privatio propriè nomine Vitij venit juxta th. 8, & tenaciter suo subjecto inhæret, ut non facilè inde tolli queat: perinde ac cæcitas consummata, quæ tam firmiter insidet oculo, ut inde non nisi divinâ virtute avelli possit, & tamen cæcitas illa formaliter est sola privatio visus. *Similiter* Paralysis perfecta, quæ licet sit cessatio facultatis motricis ob nudum defectum spirituum animaliũ, tamen à membro, cui semel insedit, non nisi morte avellitur. *IV. Ratione materialis proximi, seu subjecti,* quod

2. aberrationis à medio rationis.

1.

2.

NB.

3. *Inexistentiæ gradualis.*

1.

2.

4 *materialis proximi.*

quod proximè subsistat malitiæ & privationi, & tunc *Privatio moralis est.* 1. *Pura*, quæ est purus defectus tam ratione materialis proximi, quàm formalis. *Est autem* in Ethicis *materiale proximum*, malitiæ morali aliàs subsians, *duplex.* (1) *Aptitudo seu Qualitas*, quæ in habitibus vitiosis est proximum materiale. (2) *Actio*, quæ in vitiosis actionibus est proximum materiale. *Notanter* subinde *dico* materiale proximum, quia materiale remotius, quod est ipsa substantia, utrobiq; adest, & in hac distinctione non observatur. Sic pura privatio est *tum* ineptitudo ad faciendum aliquid, seu non posse facere quod debebas, *tum* omissio rei seu actus, ut est malum omissionis. 2. *Mixta* q. quæ miscetur quasi ex materiali proximo positivo (quod est *vel* qualitas *vel* actio) & formali privativo, unde non tam dicitur defectus, quam res habens defectum, ut est *tum* proclivitas ad agendum aliquid prohibitum, *tum* commissio rei prohibitæ, quæ in malo commissionis datur. Utrobique mixta adest privatio. v. g. Scortatio & furtum dicunt & formale privativum, secundum quod deficiunt à lege naturæ & divina; & simul proximum materiale positivum, quod est actus, sua rectitudine privatus. *Similiter* Intemperantia & Injustitia præter formale privativum, seu incongruentiam cum lege, materialiter involvunt qualitates animi. Ut discriminent *Philosophi* hanc duplicem privationem, *distinguunt inter esse puram privationem*, quod notat purum defectum, *& inter esse formaliter privativum*, quod notat privationem solùm secundum formalem suam rationem. Quàm distincta autem hæc duo sint *patet ex exemplo Physico de cæcitate*, quæ nihil ponit, sed tantum privat, *& claudicatione*, quæ rectitudinem incessus quidem tollit, sed ipsum incessum ponit, cui privatio inest; sic omissio nihil ponit, sed tantum privat, commissio autem ponit actionem, cui inest privatio.

14. Cum autem in Ethicis permagnus sit usus duplicis istius *mali*, *& Omissionis & Commissionis*, *duplex* ejus *tractatio* adhuc breviter instituatur. *I. Absoluta*, qua utrumque malum in se absolutè consideratur, vid. quid & quotuplex sit. *Hæc* Absoluta Tractatio *esse potest* (1) *Mali Omissionis*, quod consistit

II.

2.

NB.

De malo Omissionis & Commissionis consideratio.

1 *Absoluta*

1.

in pura privatione seu Omissione ejus actus, quem homo debet ex præscripto legis. Unde Omissio opponitur præcepto affirmativo. v. g. 1. Sam. 15, 2. Sauli offerebatur præceptum affirmativum de totali abolitione & deletione Amalekitarum *tam* ratione hominum *quàm* jumentorum, verùm Saul, omittens istum actum totalis abolitionis parcendo nonnullis, graviter omissione illâ peccabat v. 17. seq. Potest autem
(1) *hoc malum Omißionis duplex* esse *ratione* duplicis *omißi actus*, vid. 1. *Interioris*, qui proximè & immediatè ab ipsa voluntate elicitur, v. g. quando ipsum actum volendi & consentiendi
(2) suspendo. Vide Becan Theol. Schol. par. 2. to. 1. tr. 2. cap. 3. 2. *Exterioris*, qui à voluntate tantùm imperatur, ut est actus reliquarum facultatum inferiorum, & membrorum externorum. v. g. Si præceptum quoddam positivum hac hora cives obligaret ad conventum publicum, quidam autem eorum istum actum omitterent, peccarent illi omissione actus exterioris moralis, vid. conventus illius. *Hujus actus* exterioris *omißio culpabilis fieri potest per alium actum*, qui est *ejus causa*
(1) vel occasio. (1) *Directa* quæ est expressa volitio omissionis h. e. cum quis expressè vult omittere, quod facere tenetur v. g. Si princeps positiva quadam lege tributa exigeret, subditus
(2) autem quidam illa præstare expressè nollet. *(2) Indirecta*, quæ est introductio alterius actus impedientis actum præceptum seu præcepti executionem. *Dicitur autem indirecta*, causa quia actum non impedit, nisi propter propositum omittendi præceptum. v. g. si hac hora præceptum obligaret aliquem ad actum sacrorum, ille autem ipsum non tantum omittere vellet ex contemtu, sed & eadem hora luderet, hic sanè utrumq; causa seu occasio esset omissionis vid. *tam* propositum omittendi præceptum, *quam* ipse lusus, qui impedit observationem præcepti, unde ex ejus vi omissio præcepti se-
2. quitur. *(II) Mali Commißionis*, quod est actus positivus suæ rectitudine privatus, & consistit in commissione ejus, quod à lege prohibetur. Unde opponitur præcepto negativo. v. g. 1. Reg. 2, 36. Rex Salomo Simei Benjaminitæ negativum dabat præceptum, ne vid. domo egrederetur, & transiret tor-

rentem Kidronem, aſt Simei v. 40. committens id, quod à lege prohibitum erat, malo commiſſionis ſe polluebat. *II. Reſpectiva, quâ hæc* duo *mala conſiderantur in collatione* ad ſe invicem, *quoad mutuam.* 1. *Convenientiam generalem*, quatenus tam omiſſio rei, quàm commiſſio inconformis eſt legi, ita ut utrumq; malum conveniat in generali ratione formali malitiæ moralis, vid. privatione & defectu in genere morum. Nam ſicut legi conformiter vivit & qui omittit quod lex vetat, & qui committit, quod lex præcipit; ſic legi inconformiter vivit, & qui committit quod lex vetat, & qui omittit quod lex præcipit. Unde utrobiq; eſt exorbitantia à lege. 2. *Diſcrepantiam, quæ triplex* hîc ex mente Scholaſticorum ſtatui poteſt. (1) *ratione oppoſiti*, h. e. perfectionis, quam tollunt hæc mala, quæ in peccato omiſſionis eſt *tum* tota entitas actus, *tum* bonitas illius objectiva; in peccato autem commiſſionis formaliter ac præciſè ſola bonitas ſeu integritas moralis actus tollitur. (2) *ratione ſubjecti ſeu materialis proximi*, quod in malo commiſſionis datur, & eſt actio carens debitâ honeſtate; in malo autem omiſſionis non datur proximum illud materiale vid. actus, ſed ſaltem potentia, per quam homo debuiſſet operari in præcepto affirmativo. Ex quo patet *diſtinctionem inter malum Omiſſionis & Commiſſionis eſſe ratione materialis proximi, non formalis*, quod utrobiq; privativum. Vide Becan. Theol. Scholaſt. part. 2. tom. 1. tr. 1. cap. 5. quæ. 1. (3) *ratione gradus in malitia.* Nam malum commiſſionis magis repugnat legi naturæ, quàm malum omiſſionis, unde & magis deficit in genere morum. v.g. malum eſt non dare eleemoſynam pauperi cum debeas, aſt certè longè pejus eſt, & magis deficiens à lege, eidem pauperi eripere eleemoſynam, quam ab alio jam accepit. *Similiter* malum eſt non diligere proximum, ſed pejus odiſſe eum. Plura ſi expetis de hoc duplici malo, lege Becan. Thol. Schol. par. 2. to. 1. tr. 2. c. 3.

2 *Reſpectiva, quoad mutuam*

(1) *Convenientiam.*

(2) *Diſcrepantiam.*

1.

2.

NB.

3.

15. Sequitur jam *SPECIALIS conſideratio* Virtutis Moralis, quâ ſpecialiter quælibet Virtutis moralis ſpecies conſideratur ſecundum ea, quæ cuiq; propria ſunt.

II. SPECIALIS conſideratio Virtutis Moralis,

16. *In hac Speciali Conſideratione duo* potiſſimum *notanda* ſunt *in qua*

1 Specificatio.

sunt, vid. Virtutum moralium. *I. Specificatio*, h. e. ratio, ob quam Virtutes morales specie à se invicem distinguuntur, quæ hic desumitur ab objecto diverso formali: v. g. Fortitudo & Temperantia à se invicem differunt per objecta sua formalia, dum illa versatur circa terribilia, hęc autem circa voluptates corporis.

2 Enumeratio.

II. Enumeratio seu Numerus, vid. quot sint Virtutes Morales, quæ ad civilem vitam spectant, & humanâ industriâ cognosci aut parari possunt. *Ego* hac vice in 17. thes. & disp. seqq. *numerum Aristotelis*, tanquam verum & genuinum, *sequar, & probo illius sufficientiam* & adæquationem *per remotionem*. 1. *Excessus*, vid. quod non sit justo major, quia omnes virtutes morales primariæ, quas Aristoteles recenset, specie distinctæ sunt, ceu ex cujusvis virtutis enodatione patebit. 2. *defectus & angustiæ*, vid. quod non sit justo minor, *quod probo à posteriori*, quia nulla virtus moralis, ad civilem vitam spectans, nominari potest, quæ non contineatur sub aliqua illarum virtutum & specierum. Pietatem, quæ est cultus numinis, si mihi objicis, saltum de genere in genus committis, confundendo virtutes Theologicas & Ethicas seu morales & civiles, de quibus hîc solùm agimus. *Cur autem Pietas hic in Ethicis directè tractanda non videatur*, tanquam genuinum medium Summi Boni moralis, *causa assignari potest duplex*, *vid. Pietatis.* 1. *Natura, secundum quam est Virtus Theologica*, in qua & Theologicus respicitur finis, vid. spiritualis beatitudo seu vita æterna. Hîc autem in Ethicis ut directè saltem agitur de Summo Bono civili, sic & directè saltem agetur de medijs civilibus seu Virtutibus moralibus, quia media proportionari debent suo fini, quippe à quo accipiunt ordinem, mensuram & amabilitatem. 2. *Impossibilitas per naturam ducem, quoad specialiorem (1) cognitionem*, dum natura duce cognosci nequit, quomodo Deus specialiter rectè colendus sit. *Dixi notanter*, quoad specialiorem cognitionem naturalem, quia generalis illa cognitio de Deo ejusq; cultu, quam ex lumine naturæ haurimus, *partim* est Pneumatica pertinens ad scientiam Pneumaticam, ceu illud fusius Pneumaticâ meâ disp. 8 ostendam, unde hæc cognitio in Ethicis heterogenea est, & indire-

1. 2. NB. (1) (2) NB.

sta saltem; *partim* insufficiens, quia Mediocritas rationis, quæ formalis ratio Virtutum Ethicarum constituitur, respicit actiones virtuosas non tantum in genere, sed & singularium actionum singulas circumstantias & conditiones, definiendas à prudentia, juxta th. 16. disp. 5. Hæc autem specialior determinatio in actibus pietatis ex generali illa pietatis cognitione oriri nequit. (2) *applicationem*, dum cultus ille ex naturæ viribus ritè peragi nequit, quod sufficienter patet. Si autem quispiam, tanquam Philosophus Christianus non Ethnicus, indirectam ejus tractationem hic intendat, cum illo modestiæ causa litigij ferram non reciprocabo, præsertim cum Politicus Magistratus non tantum religionis curam gerat, sed & legi naturæ subjectus sit, adeoque Deum, ut conscientijs imperantem, agnoscat.

17. De ordine Virtutum moralium nemini hic litem movebo, cum ipse Aristoteles illum immutare potuisset. *Placet* jam *hæc analogica distributio, qua Virtus* Moralis *dispescitur in Virtutem. I. Primariam & Perfectam, seu Propriè dictam*, quæ propriè nomine Virtutis moralis insignitur, & perfectus habitus salutatur. *II. Secundaria, imperfecta & Analogicè saltem dicta*, quæ potiùs est dispositio, quàm habitus, unde & semivirtus dicitur. De hac disp. 12. aget.

Distributio analogica, in qua Virtus
I. Primaria

18. *Virtus Primaria & Perfecta* rursus *consideratur dupliciter. I. Absolutè*, in simplici & populari sua natura. *II. Respectivè*, in eminentia & gradu suo excellentiori, diciturq; *Virtus HEROICA.*

consideratæ
1. Absolutè respiciens.

19. *Virtus Primaria Absolutè Considerata respicit. I. ipsum possidentem seu NOS IPSOS*, dum ipsius actio in nobis ipsis potiùs, quam alijs, terminatur, unde illa virtute nos ipsi honesti efficimur. *Hujusmodi* Virtus *duplex* statuitur. 1. *Fortitudo* de quâ jam agam. 2. *Temperantia*, de qua disp. proxima. *II. Alios*, circa quos honestè nos gerimus.

(1) *Nos ipsos, ut est*

1. FORTITUDO, cujus consideratio

20. FORTITUDINIS *Consideratio* hic instituatur *duplex*: *I. Nominalis*, seu secundum nomen. *II. Realis*, seu secundum rem, pro quâ Vox Fortitudinis accipitur.

I. Nominalis *quæ*

21. *Nominalis* consideratio *duplex* est. *I. Notatio*, quæ hic

1. Notatio.

(1) hîc *duplex* esse potest. 1. *Latina*, secundum quam Fortitudo dicitur, latè sumpto vocabulo, *à ferendo*, eò quod fortis pleraq; ardua & difficilia ferre, ac sustinere potis sit. Vide Cas. l. 3. spec. mor. p. 218. 2. *Græca*, secundum quam ἀνδρεία dicitur ἀπὸ τῦ ἀνδρὸς *à Viro*, quia hic Virtus est maximè digna sexu virili. Vide Keck. syst. Eth. l. 2. c. 4. p. 222. *II. Æquivocatio, secundum quam Fortitudo* potissimùm dupliciter *supponitur*, vid. *ratione (I) Corporis*, & tunc sumitur pro robore corporeo. Sic in illo Mimi apud Capitolinum, quod Maximino Imperatori, qui propter robur & magnitudinem corporis occidi se non posse putabat, occentum legimus:

Leo fortis est & occiditur,
Tigris fortis est & occiditur,
Cave multos, si singulos non times.

Hæc corporea fortitudo hic non intelligitur, quia suis possessoribus sæpè nocet, ceu patet exemplo Milonis Crotoniatis, qui robustis corporis sui lacertis nimium confisus, arborem fissam immensi roboris cum distendere & aperire conaretur, à robore arboris interceptus est, atq; ita attritus, ut animam exhalaret. *(II) Animi*, & tunc notat confidentiam & tolerantiam in rebus adversis. *Hæc* Fortitudo animi *rursus* statuitur *duplex*. 1. *Apparens seu Palliata & Personata*, quæ sub habitu Fortitudinis incedit. h. e. titulo & schemate saltem fortitudo est, in rei veritate nihil minus. 2. *Vera*, quæ verè mediocritatem observat in formidalibus. Hæc. h. l intelligitur.

22. *Apparens seu Palliata Fortitudo* rursus *considerari potest* dupliciter. *I. Generaliter, quoad generalem (I) Convenientiam analogicam* cum fortitudine vera, quæ convenientia consistit in ἀφοβία quadã, vid. quod utrobiq; (& in Vera & in Palliata fortitudine) detur animus intrepidus, & ad pericula adeunda promtus. *(II) Discrepantiam* ab eadem, *quæ* hîc *triplex* esse potest. 1. *ratione Finis*. Nam Fortitudo *Vera* agit propter honestum & decorum verum; Ast *Apparens* non item, quippe quæ *agit propter (1) pœnæ propositæ aversationem*, ceu fit in fortitudinis Politicæ specie secunda. *(2) Commodum & lucrum aliquod*, ut in bellica Fortitudine. Sic similiter fiduciaria fortitudo

(2) 2. Æquivocatio. 1.

2. (1) (2)

Apparens Fortitudo consideratur 1 Generaliter. 1. 2. (1)

titudo respicit pro fine Victoriam, ceu patet ex exemplo Goliathi, qui confisus robore & armis, spem victoriæ concipit, & cum Davide congreditur (3.) *Vindictam*, ut in iracunda fortitudine. 2. *ratione Adjuncti.* Nam *Vera* fortitudo constans est & perpetua, quia est habitus; *Apparens* non item. Nam Fiduciaria fortitudo, spe suâ frustrata, flaccescit, nec ad mortem usq; constans est. Idem judica de Fortitudine Inscia, exemplo Argivorum, qui in Lacedæmonios (quos Sicyonios putabant, sæpiùs ab Argivis superatos) cum incidissent, ab initio pugnarunt fortiter, mox verò cognito esse Lacedæmonios terga verterunt. vide Arist. 3. Eth. c. 11. 3. *ratione Causæ Efficientis* Nam *Vera* Fortudo agit ex libero habitu, cum consilio & prudentia; *Apparens* non item, quippe quæ *agit* (1.) *ex necessitate quadam*, ceu ex secunda specie Politicæ Fortitudinis apparet (2.) *ex experientia*, ceu fit in Experimentali. (3.) *ex affectu* seu passione aliqua, ut fit in iracunda, II. *specialiter* quoad specialem enumerationem specierum Fortitudinis apparentis seu Personatæ.

(2.)

(3.)

2. Specialiter, & *tunc est.*

23. *Est* autem *Apparens Fortitudo* juxta Aristotelem. 3. Eth. Nicom c. 11, *quintuplex* I. *Politica* quâ cives se committunt periculo, & fortes gerunt *vel* præmiis & honoribus incitati, *vel* formidine pœnæ coacti, propositæ legibus. Unde eadem Fortitudo dicitur & *Civilis* à civibus, in quos hujusmodi fortitudo cadit; & *Legalis*, quia legibus hujusmodi & præmia & pœnæ proponuntur. Sic Lacedæmone lex fuit, quæ ignominiâ notabat cives, qui à prælio fugerant, ceu ex pugna Leutrica apparet, ap. Plutarch. in Lacon Apoph c. 21. Statuitur autem hæc *Politica* & civilis *fortitudo* rursus *duplex.* 1. *Voluntaria*, qua civis ad legum jussa pericula subit honoris & præmii amore. Hujus *exemplum* proponit Aristoteles l. 3. Eth. Nicom. c. 11 ex Homero (1.) *de Diomede*, qui Iliad. Θ ad Nestorem, ipsi fugam svadentem, Nolo, inquit, ne aliquando glorietur Hector, Diomedem à se fugatum esse. (2.) *de Hectore*, qui Iliad. X. in principio secum deliberat, & constituit honestius esse cum Achille congredi, quàm in urbem se recipere. Hæc Politica fortitudo ad Veræ fortitudinis spe-

1. *Politica quæ.*

(1.) *Voluntaria.*

ciem

ciem proximè omnium accedit, cum pericula adeat amore rei pulcræ, vid. honoris & præmii. 2. *Coacta magis*, qua civis ad legum jussa formidine pœnæ & periculi compulsus, periculis se masculè objectat. Hoc pacto pugnabatur sub Agathocle, Siciliæ rege, qui in Africam trajiciens, ad inferendum bellum Carthaginensibus, omnes naves concremavit, quò milites durâ necessitate coacti fortiter cum hoste congrederentur. Sic Iustin. lib. 1. p. mihi 9. de Astyage, ultimo Medorum rege, tradit, ipsum in pugna contra Cyrum partem exercitus à tergo copiis suis pugnantibus posuisse, iisq; nunciâsse, ni vincerent, non minùs fortes etiam post terga inventuros, quam à frontibus viros. II. *Militaris & Experimentalis*, quæ est animositas in adeundis periculis, confidens experientiæ seu peritiæ. Sic Athletæ, peritiâ & arte sua freti, pugnam lætiores ineunt, quàm hujus ignari; & milites Veterani novitiis sunt multò animosiores. Hæc *Experimentalis fortitudo*, licet vera Virtus non sit, tamen *duplicem in bellis* militibus *præstat utilitatem*. 1. *Cognitionem & contemtum inanium* in bellis, dum illa quæ in bellis sunt inania, & tironibus ignorantibus metum incutiunt, milites experiti cognoscunt & non formidant, unde aliis imperitis fortissimi habentur. 2. *Armorum usum & solertem declinationem ictuum* & stratagematum hostilium. III. *Iracunda*, quâ quis iræ præsentisq; vindictæ illecebris allectus temerè se maximis periculis exponit. Hinc qui præ ira, vel dolore ex vulnere, in hostem ruit, eumq; interficit, Pugnax potiùs dicendus est, quàm fortis, quia affectu non consilio rem gerit, dum pericula non videt, & desperans de vita in mortem ruit instar bestiæ. Exemplum de Camelo, rectorem projectum pedibus conculcante, vide ap. Scalig. ex. 209. IV. *Fiduciaria*, quâ quis confidens præsentibus auxiliis, & victoriis sæpè obtentis, spontaneè pericula subit, sub spe victoriæ. *Causa hujus* confidentiæ esse potest. 1. *Victoria* Nam qui crebrò ante vicerunt, instar ebriorum magna spirant tantisper, dum persuasum habent, se solos Marti litâsse. Ast ubi spes hæc decollat, actutum & clypeo & animo abjecto fugiunt. 2. *Corporis robur*, ceu patet exem-

(2) *Coacta magis.*

2. *Experimentalis, cujus utilitas.*

1.

2.

3. *Iracunda.*

4. *Fiduciaria. cujus causa.*

1.

2.

exemplo Goliathi. 1. Sam. 17. & proceri istius Gigantis, cujus manuum ac pedum digiti erant seni, quem, cum probro afficeret Israelem, percussit Jonathan filius Schimhai, fratris Davidis. 2. Sam. 21. v. 20. 21. 3. *Copia & caterva magna*, qua quis pauciores, imò solum unum aggreditur. Hujusmodi homo ignominiâ & vituperio certè dignus est, quia ipsemet testatur pusillanimitatem suam, cum non æquo Marte alterum adoriatur, imò alienâ, non propriâ, virtute pugnet. 4. *Armorum diversitas*, quâ si quis alterum adoritur, æquè facit, ac si armatus inermem oppugnaret & adoriretur. 5. *Membrorum obduratio seu stupor* corpori inductus, ne vulnerari possit in bello. Hujus exemplа lege apud Camer. op. subc. cen. 2. c. 76.

3.

4.

5.

V. Inscia seu Stolida & Rustica, quâ quidam rerum bellicarum ignari in militiam abeunt. Dulce enim bellum inexpertis. Hoc vitio plerumq; laborant novitij & tirones, qui longè ardentiores esse solent veteranis militibus, ubi ad pugnam itur, sed hostium vim & potentiam animadvertentes desperare incipiunt.

5. *Inscia.*

24. *Realis Consideratio* Fortitudinis rursus *duplex* esse potest. *I. Absoluta*, qua Fortitudo in se & sua natura absolutè consideratur, extra collationem cum alio. *II. Respectiva*, qua Fortitudo consideratur in collatione cum suis oppositis.

II. Realis. *qua*

25. *Absoluta* Consideratio *quadruplex esse potest. I. Definitiva*, qua definitio Fortitudinis traditur. *II. Causativa*, qua causæ ejus enodantur. *III. Subjectiva*, quâ Subjectum explicatur. *IV. Divisiva*, qua divisio proponitur.

I. Absoluta, in qua

26. *Definitio* hæc esto: *Fortitudo est Virtus Moralis, servans mediocritatem in formidabilibus, quæ animum hominis perturbare possunt, adeoq; in periculis adeundis, & magnis laboribus sustinendis, solius honestatis & publicæ utilitatis gratiâ.* Hæc definitio *resolubilis est in conceptum* duplicem. *I. Latiorem* seu Genericum, qui est Virtus Moralis de quâ disp 5. Hinc vir fortis omnia constanter agit. *II. Strictiorem* seu specificum, quasi, qui desumitur. *1.* à forma. 2. ab objecto. *3.* à fine. De singulis specialiter agam.

1 *Definitio*

27. *Causæ* Fortitudinis *constitui possunt* hîc *duplices I.*

2. *Causæ,*

Formæ & quidem

(1) Forma q. 1.

(1) *Forma, analogicè ita dicta, quæ* hîc est *modus* virtuosè versandi circa objecta terribilia, qui modus *conspicitur ex actibus* fortitudinis, *qui duplices* aliàs constituuntur. (*1*) *Aggressio*, quâ ritè pericula adimus & aggredimur. *Hujus* aggressionis *duæ adhuc* quasi *partes* sunt, seu specialiores actus, vid 1. *Præparatio animi per confidentiam*, quâ animus bonarum rerum expectatione se erigit. *Hæc autem Confidentia* Viri fortis *moderata esse debet prudentia & consilio, ratione legitimi. 1. Finis*, ut vid. intendat facere omnia honestatis & publicæ utilitatis gratia. Hinc licet vir fortis non metuat pericula & mortem, tamen non simpliciter vulnera & mortem oppetit, sed determinatè, vid. ratione honestatis & publicæ utilitatis gratiâ. Ob quam causam vir fortis non temerè & absq; necessitate vitam projicit, quippe quod alias hominis in semetipsum injurij & insani est; quin potius maximè dolet, se patriæ & Reip. eripi incommodo tempore. Hinc Varroni post prælium Cannense à Senatu & populo gratiæ actæ sunt, quod vitæ suæ consuluisset, nec desperâsset de Rep., cum collega ejus L. Paulus amisso exercitu, & offerente equum Lentulo, quò fugeret, cladi superesse noluisset, sed in eo saxo, cui se vulneratus acclinaverat, persedisset, donec ab hostibus oppressus confoderetur. Liv l. 22. c. ult. 2. *Medij, legitimè tendentis ad talem finem*, vid. honestatem & publicam utilitatem. Hinc *Viro forti declinandum est medium* (*1*) *ambiguum planè, & maximè periculosum publicæ utilitati* Ob quam causam declinanda est Monomachia propter ancipitem ejus exitum. Cum n. eventus ejus valdè sit ambiguus, Vir fortis vitam suam, ut & patriæ ac Reip. salutem, ipsi prudenter committere nequit, cum haud leve adsit periculum & discrimen, in quod ipse patriam non facilè adducere debet. Hinc prudenter egit C. Marius, quem cum in bello Cimbrico & Teutonico Teuto quidam provocaret, & ut prodiret postularet, ipse Marius respondit: Si cupidus mortis esset, laqueo eum vitam finire posse, cumq; demonstraret gladiatorem contemptæ staturæ, & propè exactæ ætatis, objecit ei, dixitq; si eum superasset, cum victore congressurũ. Front. l. 4. Str. c. 7. Noluit n. vir ille ambiguę aleæ se cõmittere, cum in ipso ea tempestate spes atq; opes civitatis sitæ erant. Hinc dissentio aliqualiter à

Keckerm.

Keckermanno, qui l. 2. ſ Eth. c. 4. illa excipit duella, quæ ex pacto ineuntur, ita ut victoria ſit penes eam partem, ex quâ Monomachus victor prodibit. Nam licet hujuſmodi duella reſpiciant bonum publicum, tamen propter ambiguum eventum prudenter eligi non poſſunt, niſi peculiaris planè adſit circumſtantia, vid. Dei occultus inſtinctus, vel ſimilis. Duelli & Monomachiæ exempla ſi expetis, lege Camer. oper. ſubc. cent. 2. c. 19. 20. 21. (2) *Inhoneſtum planè & illicitum*, quale eſt proditio, homicidium, &c. Non enim per mala media ad finem bonum & honeſtum ire licet, cum finis ſub ratione honeſtatis propriè intendi nequeat, ſi media per ſe illicita directè appetantur. Hinc laudatur C. Fabricius, heros Romanus, ad quem cum Pyrrhi regis Medicus clam in caſtra veniret, & ſuam operam ei offeret ad venenum, regi ſuo Pyrrho propinandum, vinctum eum Fabricius ad Pyrrhum remiſit, & de hominis infidelitate Regem monuit. Contrà Viri fortes minimè cenſendi ſunt, qui Sicarios emittunt ad trucidandum hoſtem; aut qui veneno hoſtem è medio tollere intendunt, hujuſmodi n. diffidunt ſuis virtutibus 3 *Objecti, quod ſit tum* utile Reipubl *tum* laudabile. Hinc Vir Fortis mortem in morbis, maris tempeſtate, alijsq; periculis ſimilibus, licet intrepidè ſuſtineat, tamen ægrè ferre dicitur (1) quia viribus ſuis in ejuſmodi morte uti non poteſt. (2) quia laudem & gloriam ibi aſſequi nequit. Hinc Achilles apud Homerum cum metueret, ne in Scamandro fluvio periret, conqueritur, quod non in prelio plurimis hoſtibus prius interfectis cadere ſibi licueret potiùs, quam ita miſeram & ingloriam mortem oppetere. Idem habet Virgilius de Ænea l. 1. Æneid. cum hic metueret naufragium. 2. *Adminiſtratio operis*, quæ fit *per magnanimitatem*, ſeu animoſam excelſarum rerum agitationem. Exemplum habemus in Abrahamo, qui Gen. 14, 14. aſſumptis trecentis viris animosè Regem Chedorlaomar, & alios Reges, qui cum ipſo erant, invaſit & oppreſſit. (II) *Continuatio*, quâ rem, quam ſemel aggreſſi ſumus, fortiter ſuſtinemus, ne ſuccumbamus *Ad hanc* continuationem ab Ethicis *requiritur*. 1. *Patientia*, qua animus, rectæ rationi obediens, munitur contra malorum occurrentium difficultatem, ne frangatur. Sic

(2)

2.

(1)

Cato se ipsum interficiens, minus fortis censendus est propter
(1) impatientiam. 2. *Perseverantia*, qua animus in proposito constanter & perpetuò permanet, nec ullis rebus secundis vel adversis frangitur, ne honestatè veram abjiciat. Sic *Cato* prædicatur, quod toties mutata Reip. facie nemo ipsum viderit mutatum, quippe qui eundem se in omni statu & fortuna præstitit.
(2) *Finis.* Exempla alia invenies in Martyrologijs. *II. Finis, qui est tum* honestas, *tum* publica utilitas, ceu ex definitione Fortitudinis patet. Cum a. finis det medijs amabilitatem, etiam Vir fortis vulnera & mortem, aliaq; pericula suscipit libenter propter finem propositum, ad quem illa tendunt. Nam licet Vir fortis, absolutè in se consideratus ut homo, maximè aliàs aversetur hujusmodi molesta, cum hac ratione privetur maximis bonis, adeoq; non sit truncus vel lapis, sed homo sensu præditus, & quidem qui ob eximias virtutes, quas possidet, maximè vivere
NB. debet; tamen determinatè si ipse consideratur, in respectu ad finem honestum & utilem, non tantum sponte se periculis & morti exponit, sed & in ipso dolore fortior est, quam si non doleret, quia ob fortitudinem & honestum illum finem magis eligit tristia quæ sunt in bello, quam suavia quæ in vita delicata. Ex hisce *patet suavitatem & voluptatem*, (de qua th. 25. disp. 5. loquitur) *non competere operationi virtutis absolutè*,
NB. vid. quatenus ita operatur, cum objectum & media sæpè sint molesta, *sed determinatè ratione finis obtenti*, vid. quatenus finem propositum sortitur. v. g Operatio Temperantiæ & Fortitudinis, dum abstinet à Venere & cibis suavibus, non est suavis, neq; dum subit vulnera & mortem, sed quatenus hoc pacto honestè agit & honestatem sortitur; perinde ac gladiatoribus & pugilibus plagæ, humores & vulnera suavia fiunt propter victoriam & præmia jucundissima.

28. *Ob defectum honestatis*, tanquam legitimi finis Virtutum, *Fortes non censentur. I. Illi*, qui propter fines imperij ampliandos solùm bella gerunt, cum non intendant honestatem, sed propriam utilitatem & gloriæ aucupium. II. *Milites* qui 1. scientes contra bonam causam veramq; religionem militant. 2. temerè propter pecuniam in bella ruunt, belli causis non consideratis. 3. arma deponunt, quando duces stipendia

pendia non possunt solvere nonnunquam ex causis necessariis & inevitabilibus, quia in hisce casibus omnibus lucrum, non honestas, attenditur. 4. damnantur admilitiam, *vel* ab aliis propter flagitia & scelera commissa, *vel* à seipsis per desperationem, seu quos desperatio milites facit. III. *Monomachi, qui* alios ad duellum provocant. Quod enim hujus modi *provocantes potiùs temerarii & audaculi dicendi sunt, quam Virtuosi & fortes*, patet *ex defectu legitimi-* 1. *Finis, qui est honestas & publica utilitas, quæ hî non intenditur, ceu patet* (1.) *de honestate*, cum provocans ille in re sæpè levi vindictam intendat privatam, per media illicita, & legibus positivis prohibita in benè constitutis Rebuspubl. Dum autem hujusmodi provocans & causæ impulsivæ bonitatem ac sufficientiam non attendit, sæpè de lana caprina cum alio discertans; & legem positivam prohibentem spernit, certè honestatem intendere nequit (2.) *de publica utilitate*, quippe quam potiùs turbat & evertit, dum interficiendo hominem Reipubl. membrum civile eripit, 2. *Formæ seu modi*, dum non prudenter sed temerè instar insani vitæ discrimen subit. 3. *Effecti, vid.* (1.) *Voluptatis animi*, quæ honestam actionem semper insequitur juxta thes. 27. Ast quando hujusmodi temerarius litem luctuosâ & tragicâ scenâ finiit, conscientiæ stimulis agitatur, & facti ipsum pœnitet. (2.) *Laudis*, cujus loco hujusmodi temerarius vituperium, imò pœnam reportat, quam Magistratus ipsi, ut legis violatori, imponit. Et licet vulgus hujusmodi provocantem fortem appellet, tamen audacis potiùs nomen meretur, quàm fortis, quod hoc Syllogismo probo: *Cui cunq; non competit veræ fortitudinis finis, forma & effectus, illi neq; ipsa competet fortitudo.* Atqui hujusmodi Monomacho provocanti non competit veræ fortitudinis finis, forma, & effectus. E. *Major* patet ex Canone, de remotione causarum ad remotionem effectus, & vice versâ. *Minor* patet ex verbis proximè antegredientibus. Hinc privatus provocatus ab altero, & non comparens, timidus inde solùm appellandus non erit. IV. Αὐτοχειρες, qui sibi ipsis violentas intulerunt manus, de quibus th. 34. sub timiditate agam. V. *Facinorosi*, qui exquisitissimos dolores & cruciatus sustinent, v.g. si latro concutiatur & rota subigatur.

(1) (2) (3) NB. 4. 5.

29. *Sub-*

3 Subjectū (1) Inhæsionis (2) Tractationis, quod 1. Internū.

2. Externum, quod consideratur. (1) Generaliter. 1. (1)

29. *Subjectum* Fortitudinis statuitur *duplex*. I. *Inhæsionis*, in quo ipsa Fortitudo residet, *ut* est *Appetitus Irascibilis*, cujus perturbationes Fortitudo vincit & moderatur. II. *Tractationis s. Occupationis*, circa quod domandum & refrenandum Fortitudo versatur. *Hoc* rursus *duplex* constituitur (I.) *Internum*, quod est in ipso Viro forti, estq; Affectus Appetitus irascibilis, vid. *Metus & Fiducia*, in quibus frenandis Fortitudo occupatur. (II.) *Externum*, quod est extra Virum fortem.

30. *Externum* hoc Objectum Fortitudinis *rursus considerari potest* dupliciter. I. *GENERALITER* s. in genere, *& tunc Objectum* pro duplicitate affectus moderandi (vid: Metus & Fiduciæ) *duplex* statuitur. I. *Terribile, quod* est malum, metum s. terrorem incutiens, & subjectum destruens. Est a Formidabile & terribile aliàs *duplex* (1) *Supra hominem, quod* hominis virtutem & constantiam superat, ita ut illud etiam vir fortis, quâ homo, metuat. Hoc formidabile adhuc statuitur duplex. 1. *Meteoricum, & simile quid*, ut sunt fulmina, terræ motus, exundationes, & similia portenta, quæ præsentissimam Dei iram denunciant. 2. *Dæmoniacum spectrum seu Phantasma*, & Dæmonum illusio. Hujusmodi formidabile non constituit objectum Fortitudinis, quia homo nil virium habet ad producendum tale quid, vel virtutis ad mutandum. Unde qui hujusmodi mala non metuunt, sed iis contraire nituntur, *vel ἄφρονες* sunt, *vel* oppidò stulti & insani. Sic *Atheismi* exemplum proponit Keck. s. Eth. l. 2 c. 4. p 225. in Herode, qui militibus suis persuadere voluit, terræ motum nullo modò metuendum esse. Sic *stoliditatis & insaniæ* accusantur Psylli qui ap. Herodotum l 4. arma contra Austrum ventum capiebant, quod injuria ab eo affectos dicerent. Et licet paulò alia ratio sit de spectris, tamen neq; illa Fortitudinis constantiam admittunt. Sic non fortis censetur Athenodorus Philosophus Athenienſis quod ædes, propter spectra infames ultro habitatum immigravit, ceu refert Plin. l. 7. ep. 27. (II.) *Circa hominem, quod* metis humanæ conditionis continetur, & ab homine evitari potest. Hujusmodi *malum Terribile est formidandum*. 1. *Simpliciter*, scil si est

(2)

malum

malum simpliciter vel inhonestum quid. v. g. omne scelus, ut veneficium, adulterium &c. Hujusmodi mala huc non pertinent, nam qui ea non metuit & detestatur impudens dicitur, cum illa sint simpliciter mala, & nullo respectu nobis bona. Hinc Xenophanes cuidam objicienti timiditatem, quod tesseris nollet ludere, rectè respondit: *Fateor me timidum esse sed adversus inhonesta.* 2. *Respectivè*, quod diverso respectu metui potest & non potest sine dedecore, unde hoc malum indifferens dicitur & neutro modo se habens. *Est* a. *hujusmodi malum* (1) *Formidandum & metuendum, respectu nostræ culpæ*, seu si nostra culpa provenit. v. g. Si quis propter culpam in carcerem injicitur, aut solum vertere cogitur; aut siquis propter luxum ad paupertatem redigitur. Tunc enim hujusmodi mala metui debent. (2) *Non-formidandum extra nostram culpam.* Si enim culpa nostra adest nulla, hujusmodi mala metuere non debemus. v. g. Si quis præter suum meritum cum Aristide in exilium conjicitur, cum Anaxagora in carcerem, intrepido animo illa ferat. Hoc malum Terribile non-formidandum extra nostram culpam hîc propriè intelligitur sub objecto fortitudinis. *II. Fiduciale*, quod requirit animi confidentiam, ut sunt labores & molestiæ, quas ut sustineat vir fortis confidentiâ opus est. *II. SPECIALITER* & in specie.

31. Et tunc *Objectum* Fortitudinis *consideratur. I. ratione notitiæ & visionis, juxta quam pericula sunt.* 1. *Repentina*, quæ subitò accidunt. In hisce cumprimis occupatur Fortitudo (1) quia maximè ardua sunt, dum repentina & inexpectata fortiùs animum percellunt, & faciliùs de statione deturbant, quam prævisa. Ast circa ardua maximè Virtus versatur, juxta Arist. 2. Eth. c. 3. (2) quia magis ab habitu provenit in repentinis rectè se gerere, quum in ijs prolixiori consilio non sit locus, ceu in prævisis aliàs. (2) *Prævisa*, in quibus minus occupatur Fortitudo. *II. ratione Gradus* in difficultate. *Et tunc Objectum est* (1) *Primarium*, circa quod, ut terribilius & difficilius, primariò versatur, *ut est Mors*, quia mors est omnium malorum maximum & terribilissimum. Intelligitur a hic Mors 1. *non naturalis*, proveniens ex morbo vel senio, quia aliàs quilibet esset fortis & virtuosus. 2. *neq; fortuita & violenta.*

NB.

2.

(2) *Specialiter.*

1.

(1)

(2)

2.

(1)

v. g.

v. g. cum quis ex naufragio vel incendio & ruina moritur. 3. *sed Moralis*, quatenus mors honesta est, & sustinetur ob causam aliquam positivam moralem. *Hujusmodi* mors moralis *rursus duplex* statuitur. (1) *Bellica & Militaris*, quando aliquis occumbit in pugna & prælio adversus hostem susceptо. Hæc mors ab Aristotele potissimùm intenditur, cum sit pulcherrima propter decorum, difficilima propter certamen, honestissima propter causam, dum suscipitur propter defensionem patriæ, parentum, conjugum &c. (2) *Martyrum & similium*, quando mors oppetitur propter religionem aut aliam quamcunq; in causa bona & innocente. (II) *Secundarium*, circa quod Fortitudo secundariò versatur, ut sunt Exilium, Paupertas.

(2)

4. *Divisio.* 1.

32. *Divisio* Fortitudinis enodat ejus species. *Est a. Fortitudo duplex. I. Togata*, qua homines extra bellum mala fortiter aggrediuntur & sustinent. *Hæc* rursus *duplex* statuitur. (1) 1. *Domestica & Oeconomica*, qua in prosperis & adversis rebus (2) domesticis animum præstamus immotum. 2. *Publica & Politica*, quâ in pace Reipubl. quis prudenter præest, & prodest consilijs & moderatione affectuum circa acerba aliàs & molesta. *II. Sagata & Bellica*, qua mortem expetere in bello Vir fortis non dubitat.

(1)
(2)

2.

II. Respectiva, in qua oppositum peccans. 1 *In Excessu* 2. *In Defectu.*

33. Sequitur jam *Respectiva* Fortitudinis *consideratio, in qua* Fortitudo *consideratur in collatione cum suis* oppositis seu *extremis, quæ duplicia. I. In Excessu*, ut Θρασύτης seu *Audacia*, quæ est nimia fiducia in adeundis periculis ex arrogantia quadam sine ratione. *II. In defectu, ut* Δειλία *seu Timiditas*, quæ est Vitium, metuens in omnibus, quæ etiam contemnenda forent. Hæc Audaciæ postponenda judicatur.

NB.

34. Hinc αὐτόχειρες, seu qui sibi ipsi mortem consciscunt, fortes dicendi non sunt, sed *timidi*, quia molestias & alia pericula ferre detrectârunt, quod certè est animi humilis, timidi & angusti, ceu patet exemplo Saulis Regis Judæorum, qui metuit valdè jaculatores, & ne vivus perveniret in manus hostium, in suum ipsius gladium irruit. 1. Sam. ult. v. 3. 4. Unde non minùs timidus est, qui mori vult, quum non oportet, quàm qui non vult cum opus est De αὐτοχειρία vide Disp. 7. cor. 1.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0176
DFG

COLLEGII PRACTICI GENERALIS
seu ETHICI
DISPUTATIO SEPTIMA
DE

TEMPERANTIA,

Quam

Auspicio Sacrosanctæ Trinitatis
Et
Consensu Amplissimi Senatus Philosophorum
In
Incluta ad VARNUM Academia
SUB PRÆSIDIO
M. JOHANNIS ELERI
Rigâ-Livoni,
Defendendam suscipiet
CHRISTIANUS DANTZMANNUS
Stralsundensis Pomeranus.

Horis locoq; consuetis die 10. Februarij.

Casus lib. 3. Spec. Mor. c. 10.

Quemadmodum Patria non defenditur, si hostes externi à muro depellantur, proditores verò intra mœnia resideant; ita virtutis studiosus ad beatitudinis arcem nunquam ascendit, si externa pericula evitare, & injurias hostium propulsare sciat, voluptates interim superare ignoret, quibus tamen nulla capitalior pestis, quasq; vincere longe difficilius est, quàm hostem superare.

ROSTOCHI
Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ. Anno 1627.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0177
DFG

THESIS I.

SEquitur jam *altera virtus Moralis*, *respiciens ipsum possidentem*, *quæ* est TEMPERANTIA, *cujus consideratio* hic duplex esse potest. *I Nominalis*, s. secundum nomen. *II Realis*, s. secundum rem.

Temperantiæ *cõsideratio.*

I Nominalis, *in qua* I. *Notatio.*

2. *Nominalis* consideratio hic *duplex* esse potest. *I. Notatio*, in qua observatur *tum* origo, unde videl. deducatur, *tum* impositionis ratio, cur vid. hæc virtus illo nomine sit insignita. Est autem hæc Notatio secundum duplicem linguam *duplex*. 1. *Latina*, *secundum quam* dicitur Temperantia *à Temperando*, eò quod Voluptates corporis, quæ gustu & tactu percipiuntur, temperet & refrenet, *quæ Notatio* desumpta est *ab officio temperantiæ*, videl. legitima temperatione voluptatum *tum* absentium *tum* præsentium. *Temperare* autem, si Etymologicis fides, *à tempore derivatur*, ut sit quasi rem suo tempore facere, h. e. certo ordine ac modo, prudenter, nec nimis citò, nec nimis serò. 2 *Græca*, secundum quam dicitur σωφροσύνη q. σώζουσα τὴν φρένα, conservans mentem, *vel* σώζουσα τὴν φρόνησιν, conservans Prudentiam, juxta ipsum Aristotelem l. 6. c. 5. *Hæc Notatio* desumpta est *ab effectu*, ceu ex thesi 9. patet. *II. Æquivocatio*, *secundum quam Temperantia sumitur.* 1. *Tropicè & Impropriè*, & quidem (1) *Metaphoricè*, quatenus per similitudinem etiam brutis animalibus à scriptoribus profanis tribuitur. Sic Ælianus l. 1. c. 6. aquilæ temperantiam laudat, quod sitim patiatur, nec pulvere se volutet instar reliquarum avium. Similiter Capito piscis temperans pronunciatur ab Historicis. (2) *Synecdochicè*, quatenus *per Synecdochen speciei pro genere*. Temperantia sumitur generaliter pro omnibus virtutibus moralibus. v.g. cum Cicero 5. de fin. inquit: Temperantia est moderatrix

1.

2.

II. *Æquivocatio.*

1.

(1)

(2)

ceratrix omnium commotionum. Similiter & Græci σώφρονα interdum dicunt omnem, qui frugi est, & σωφρονίζειν communiter vocant ad bonam frugem redigere. Verùm hac lata vocis acceptione una certa & specialis virtus denotari nequit, unde Synecdochica est suppositio, qua nomen speciei ponitur, & intelligitur ipsum genus. 2. *Propriè & strictè*, quatenus sumitur pro virtute, moderante & refrenante voluptates, quæ ex gustu & tactu proveniunt. Hæc significatio præsentis est loci.

2.

II. Realis. *quæ*

3. *Realis* consideratio rursus *duplex* esse potest. *I. Absoluta*, qua Temperantia absolutè in se & sua natura consideratur extra collationem cum alio. *II. Respectiva*, qua Temperantia consideratur in collatione cum suo oppositio.

I. Absoluta in qua.

4. *Absoluta consideratio* rursus *quintuplex* esse potest. *I. Definitiva*, qua enodatur Definitio Temperantiæ. *II. Subjectiva*, qua explicatur ejus Subjectum. *III. Formalis*, qua exponitur ejus ratio formalis. *IV. Effectiva*, qua effecta ejus proponuntur. *V. Divisiva*, qua Species Temperantiæ eruuntur.

(I) Definitio, *& quidem* 1. *Opinativa.* 1.

5. *Definitio* Temperantiæ *duplex* esse potest. *I. Opinativa, seu ex Opinione* hominum, & quidem 1. *Ciceronis*, qui lib. 5. de Invent. Temperantiam definit, quod sit firma & moderata rationis in libidinē, atq; alios non rectos animi impetus dominatio. Et *constituit tres* ejus *partes*: *Continentiam, Clementiam & Modestiam.* Verùm nimis lata hæc est *tum* Definitio, *tum* divisio. Unde impingit in duplicem Regulam (1) *Definitio suo definito sit adæquata*, hoc est, nec latior, nec angustior. Ast Ciceronis Definitio latior est. (2) *Divisio & divisum debent esse reciproca*, quod hic in Ciceronis divisione non attenditur, quia Temperantiæ non competit Clementia & Modestia, cum temperantiæ specificè opponantur, *membra* autem *dividentia cum toto debent consentire, non dissentire.* Totus autem ille error provenire videtur ex nimia ampliatione vocis Temperantiæ, dum Cicero illam nimis latè accipit.

2.

2. *Zenonis*, qui Temperantiam definit, quod sit dispositio insuperabilis eorum, quæ sunt rectæ rationis. Nam

(1) Tem-

( ) Temperantia propriè non est dispositio, sed habitus, dispositioni contradistinctus. (2) facere, ut quis omnia gerat ex rectæ rationis præscripto, nec ulla in re à voluptate superetur, non est unius, sed commune omnium virtutum moralium munus. Unde & hæc definitio similiter latior est suo definito. 3 *Vallæ*, qui l. 4. Eleg. c. 4. Continentiam & Temperantiam idem notate dictitat. Verùm si propriam suppositionem & acceptionem attendas, Continentia propriè Virtus non est, ceu patet ex 4. Ethic. Nicom. c. 15. sed à Temperantia, ut virtute, differt tanquam dispositio ab habitu, incompletum quid à completo, seu via à suo termino, vide disp. 12. *II. Vera, quæ hæc* esto: *Temperantia est Virtus Moralis, mediocritatem servans in expetendis vel fugiendis voluptatibus, quæ gustu & tactu percipiuntur, & consequenter etiam in perferendis doloribus, quæ ex rei istius jucundæ privatione existunt.*

3.

2. *Vera, quæ resolvatur in conceptū.*

5. *Hæc Definitio resolubilis est in conceptum* duplicem. *I. Latiorem seu Genericum*, in quo cum alijs Virtutibus Temperantia convenit, qui h. l. est Virtus Moralis. Esse autem Temperantiam Virtutem Moralem, adeoque bonum quid morale, patet ex oppositio, quia in persecutione delectationum gustus & tactus vituperabilis & vitiosus est *tum* excessus *tum* defectus. Ergò vi oppositionis medium, quod in ijsdem teneri potest, est laudabile. Et per Consequens etiam habitus, inclinans appetitum ad hujusmodi medium, qui habitus est Temperantia. *II. Strictiorem*, seu Specificum, *qui desumitur.* 1. *Ab Objecto*, *tum* primario videl. Voluptate gustus & tactus; *tum* secundario, vid. dolore, de quibus mox agetur. 2. *à forma q. seu formali ratione*, quæ consistit in legitimo ac mediocri moderamine delectationum & voluptatum istarum secundum rectæ rationis dictamen & judicium, vide th. 8.

(1) *Latiorem.*

(2) *Strictiorem.*
1.
2.

6. *Subjectum* Temperantiæ constitui potest *duplex. I. Inhæsionis*, cui Temperantia inest. *Hoc* subjectum rursus *duplex.* 1. *Denominationis, seu ut* QUOD, *quod* est ipsum suppositum & subjectum, cui radicaliter & ultimatò Temperantia

(II.) Subjectum.
(1) *Inhæsionis, quod*
1.

2 inexistit, estq; *Homo Temperans.* 2. *Informationis seu ut QVO, quod* est quasi medium, per quod Temperantia tanquam accidens inest suo subjecto fundamentali seu substantiæ, estq; h. l: *Appetitus hominis sensitivus Cognoscibilis.* Ut enim Fortitudo inest appetitui irascibili, ejusq; affectus & motiones moderatur; sic Temperantia dicitur inesse Appetitui Cognoscibili, ejusq; motiones regere. *Dixi notanter*, subjectum Informationis hîc esse appetitum cognoscibilem hominis, quia hîc cõsideratur appetitus sensitivus, prout substat rectæ rationis directioni ac regimini, quo cum appetitus in brutis caret bruta moraliter agere adeoq; peccare nõ dicuntur, licet quasvis delectationes expetant & sectentur. II. *Tractationis seu Occupationis,* circa quod Temperantia occupatur suo regimine, dicitur aliàs objectum. *Hoc* rursus *duplex* statuitur. 1. *Primarium.* 2. *Secundarium.*

(II.) *Tractationis, quod*

7. *Objectum Primarium & Principale* est, circa quod primariò & per se Temperantia versatur, *ut* est *VOLUPTAS*; circa quam moderandam, quoad decentem expetitionem vel aversationem, Temperantia primariò & per se occupatur. Est autem voluptas hîc civiliter, seu in foro soli, ut vocant, determinatè accipienda de certa voluptatis specie. Unde hic intelligitur voluptas, I. *Non ψυχικὴ seu Animi*, quia ex ea Voluptate seu delectatione nemo temperans dicitur, si moderatè eam expetat, neq; intemperans, si nimiùm, v. g. qui ob honorem, virtutis præmium, voluptate afficiuntur; intemperantes vocari non solent, neq; qui fabulis aut inutilibus narratiunculis tempus perdunt. Et licet non omnis voluptas animi bona sit, tamen inde intemperans nemo appellatur. Hinc nemo Julium Cæsarem & Pompejum, insatiabili honore flagrantes intemperantes dicet, sed ambitiosos potiùs; & Crassum, qui auri possessione summum bonum metiri volebat, avarum rectiùs quàm intemperantem nuncupabit. II. *Sed Σωματικὴ seu corporea & sensilis, quæ* corpori competit, juxta sensum aliquem exteriorem. *Intelligitur* autem hic rursus hæc corporea voluptas (1.) *non Absolutè*, juxta totum quinarium numerum sensuum, seu omnes quintuplices sensus exte-

I. Primarium *ut est Voluptas.*

Corporea considerata.

(1.) non absolutè.

exteriores, qvum illæ Voluptates sensiles, quæ ex jucundo aliquo *vel* Visus, *vel* Auditus, *vel* Olfactus, percipiuntur, huc *per se* non pertineant v. g. qui Voluptatem capiunt ex suavissimis carminibus, aut qui aspectu elegantiorum picturarum, aut odore rerum suaveolentium delectantur, *propriè & per se* intemperantes non dicentur. *Dixi notanter propriè & per se*, ab hisce tribus Voluptatibus sensibilibus non dici quendam Intemperantem, quia per accidens aliàs quis intemperans inde denominari potest, quatenus vid. illorum sensuum delectationes diriguntur ad Voluptates gustus & tactus, quarum fortè memoriam aut imaginationem continent, ita ut in nobis excitent pravum aliquem & inordinatum appetitum illarum rerum, quas *vel* audimus, *vel* videmus, *vel* olfacimus. *Vt* enim canis odore leporis, leo voce bovis capitur, non quod illi odor iste tã suavis sit, aut hic voce bovinâ adeò demulceatur, sed quod uterq; cibum ac prædam inhiet, quam in propinquo esse ex signis istis persentiscit; *sic & homo* odore vini delectatur, ut gutturi gaudium det, & sic ex illis intemperans dicitur per accidens, propter nimirum pravum appetitum inde excitatum. Similiter si quis picturis & cantilenis obscœnis delectatur, quia hujuscemodi delectationes excitant pravum in homine appetitum. (*II.*) *Sed determinatè, ratione certi saltem sensus exterioris, vid: gustus & tactus*, ita ut hic intelligatur ea voluptas, quæ percipitur ex gustu, & ex tactu *potissimum*; quippe quæ cum brutis nobis communis est, unde & Temperantiæ officium erit, hanc ita moderari, ne bestiis similes evadamus. *Dico notanter* ex tactu *potissimum*, quia Temperantia non est circa delectationes gustus, nisi in quantum gustus aliqualiter est tactus quidam. Quod ut percipias *notes* velim in *gustu duo spectari posse* (1.) *Nudam saporis discretionem*: v. g. cum quis pitissando explorat vinum, cujus sit notæ, vel obsonia condita gustat, ut extremâ linguâ sapores discriminet. Hic gustatus, seu saporum discretio in gustu aliàs potissimum spectatur, sed ad intemperantis cupiditatem explendam parùm facit, quippe qui non tam saporem, quàm ingluviem cibi ac potus spectat. (2.) *Solidam alimenti perceptionem, seu ingluviem,*

NB.

(2.) sed determinatè.

NB.

(1.)

(2.)

ingluviem, quæ ab intemperante potissimum hic attenditur, quippe qui non judicio nudo saporum, sed comestione ciborum delectatur, ita ut illam voluptatem maximè probet, cujus sensus diuturnior est, ceu patet exemplo Philoxeni, filij Eryxij, qui oblongum guttur instar Gruis sibi optabat, quò diutiùs voluptate ingesti cibi ac potus frui posset, vide Arist. 3. Ethic. c. 10. Hinc solida illa alimenti perceptio seu ingluvies ad Voluptatem tactus aliqualiter declinare videtur, & illi assimilari, ita ut ipse Aristoteles lib 2. de an. t. 101. dicat gustabile esse tangibile quiddam, & de sens. & sensil: c. 2. gustum esse tactum quendam: quorum enunciatorum explicationem vide apud Clariss. Scheibl. lib. de an: part. 2. disp. 8. th. 6. *Hæc* autem *Voluptas Corporea* hîc rursus intelligenda est.

(1.) non totaliter.

1. *Non Totaliter*, ratione totius corporis, & omnium ejus membrorum, quia certorum membrorum Voluptates ad Intemperantiam referri non possunt, cum instituantur alterius, & quidem honestioris, finis gratia, vid, quatenus conducunt sanitati *vel* recuperandæ *vel* conservandæ, v. g. vituperandæ non sunt lacertorum, scapularum, crurium q; frictiones in balneis, ut homines incalescant, & mundentur corpora, unde & ob Voluptates inde perceptas nemo Intemperans dicitur, cum sint res bonæ; Nam *Medici* inter sex res non Naturales (quas recenset Excell. Dn. D. Sennertus in Inst. Med. l. 2. par. 2. c. 2.) referunt & corporis frictionem atq; excreta, quia frictio, legitimo modo adhibita, vitale robur excitat & modicè calefacit, unde corpus mundatur, & nutritio promtior redditur. Quare cum Voluptates, ex frictione ortæ, bonum respiciant finem, vid. valetudinis curationem, Intemperantiæ Objectum esse nequeunt. Vide & Accoramb. p. 283.

(2.) sed Partialiter.

de Voluptate orta ex perfrictione membrorum in palæstra, cum invicem nudi luctantur. 2. *Partialiter*, *ratione certorum & determinatorum membrorum*, vid: *tum gulæ* seu Oris, quoad cibum & potum; *tum pudendorum s. Verecundorum*, (quibus sexus distinguuntur) quoad Venerea. *Hæc Partialis Voluptas seu Cupiditas*, determinata ad certum corporis membrum vid: Gulam & Verecunda, *rursus aliàs constituitur duplex.* (1.) *Generalis*

neralis & Communis, quæ est naturalis illa Cupiditas, qua omnes homines quotidiè cibum & potum, & convenienti ætate venerem appetunt simpliciter. *Dicitur* hæc cupiditas *communis, quia* non tantum omni homini, sed & reliquis animalibus *illam natura insevit, quoad conservationem* 1. *Individui*, seu suiipsius per alimenti assumptionem, quando videlicet defectum in stomacho persentiscit esuriens ac sitiens. 2. *Speciei, per similis procreationem & generationem. In Generali* & Communi hac *Cupiditate lapsus non est ita facilis, cum* natura contenta sit paucis Si tamen peccatum quoddam in illa contingit, id semper est uniforme, & fit *ratione (non objecti*, quippe quod bonum & licitum; *sed ratione annexæ quantitatis, ita ut contingat* illud vitium, *ratione excessus, non autem æquè ratione defectus*, v. g. licet assumptio cibi ac potus sit bona & utilis, tamen si quispiam comedens & bibens ea quæ oblata sunt, plus sumit quam natura permittit ac requirit, ipse sanè peccat simpliciter modum excedendo. Similiter consuetudo conjugalis, vel appetitio sexus ad sexum, per se mala non est, tamen quatenus quis accedentibus libidinibus nimium indulget, vitiosa fit, dum ipse homo modum excedit, & ad Venerem fertur largiore & concitatiore impetu, quam ipsa natura permittit. *Dixi notanter* in Generali hujusmodi cupiditate lapsum non æquè ratione defectus contingere, quia cum defectu vix aliquem delinquere animadvertes, cum omnes ex vehementi indigentiæ sensu ad depellendam famem à natura, quasi hortatrice, cogantur. *(2) Propria & Adscititia*, quæ est cupiditas peculiariter adscita, & quæ fertur in certum alimentum certamque Venerem, seu certæ fœminæ consortium aut conjugium. *Hæc* Cupiditas *Propria & Adscititia huc maxime & potissimùm spectat*, quia in ea lapsus est & facilior, & multiformis seu multiplex. *Peccari n. in hac speciali & propria Cupiditate potest* tripliciter. 1. *Ratione Objecti*, quando quis concupiscit objectum illicitum & prohibitum, seu rem quæ non decet, ceu patet de incestu, exemplo Semiramidis, Assyriorum Reginæ, quæ proprij tandem filij amore exarsit, à quo, maternum concubitum execrante, & ipsa interfecta est, vide Justin.

NB.

2.

1.

stin. l. 1. p. mihi 4. Idem judica de bestialitate & Sodomia.
2. *Ratione modi*, quando quis non eo modo, quo decet, etiam
2. legitima concupiscit, vid. quando modum, à recta ratione
præscriptum, excedit. Hujus exemplnm habemus in Proma-
cho, qui in meracæ potationis certamine, quod Alex. M. ami-
cis exhibuit, ventrem suum replere non desijt, donec omnium
bibacissimus palmam obtineret, & coronâ unius talenti do-
3. naretur. 3. *Ratione circumstantiarum, tum* loci *tum* temporis,
quando quis illegitimo & loco & tempore illa appetit. Vitij
hujus exemplum offert Claudius Cæsar, qui cibo vinoq; in-
hiabat quovis tempore & loco. Cum n. quondam in Augusti
foro cognosceret prandium, quod in Martis æde Salijs appa-
rabatur, ipse deserto tribunali ad sacerdotes descendit, unaq;
discubuit. Cum itaq; facilis sit lapsus in proprijs hisce Cupidi-
tatibus, Temperantia in ijs refrenandis operam maximè po-
nere debet.

(II Secundarium. 8. *Objectum secundarium & Minus principale* est, circa
quod Temperantia versatur secundariò saltem & per accidens
seu propter aliud, *ut est Dolor*, qui est privatio cupitæ Volu-
ptatis, seu detrectatio superflui nutrimenti & Veneris. *Circa*
hunc dolorem *versari videtur Temperantia per accidens*, propter
Voluptatem, vid. quatenus intemperans Voluptatem cupi-
tam consequi nequit, & inde molestiam quandam ex absentia
& privatione Voluptatis capit.

(III) Formalis ratio. 9. *Forma seu* potiùs *Formalis ratio* Temperantiæ *consistit in*
modo virtuosè versandi circa Voluptatem & Dolorem, h. e. in Vo-
ratione luptatum harum & Dolorum regimine decenti ad præscriptũ
1. Voluptatum 1. rectæ rationis. *Hoc a moderamen* distinctè *considerari potest ra-*
tione distincti objecti, & quidem *I. Voluptatum (I) Absentium*,
circa quas Temperantia versatur moderato desiderio, ita
2. ut moderatè Voluptates absentes expetat. *(II) Præsentium*,
circa quas versatur Temperantia honesto & moderato usu,
ita ut præsentibus Voluptatibus honestè utatur, videlicet
ne quid propter eas committat, quod lædere possit *vel* fa-
mam *vel* valetudinem ac vitam. Ut autem hæc duo ritè
observentur, vid. moderatum *tum* desiderium, *tum* usus, iisq;
B. [illegible], *ita attendenda erunt ad Temperantiæ faciliorem*
acqui-

acquisitionem. 1. *Recta rationis dictamen*, ita ut oblatis quibuscunq; voluptatibus non ilicò appetitui obsecundemus, sed priùs attendamus, quid recta jubeat ratio. 2. *Appetitus nostri obsequium* ita ut quod ratio suadet, ipse appetitus expetat, atq; hoc modo perpetuus consensus servetur inter appetitum obsequentem & rationem dictantem seu præscribentem, quid agendum quid ve fugiendum sit. 3. *Oculata oppositorum exemplorum, seu Intemperantium, observatio & inspectio*, cum sapientis sit ex alio judicium capere, sibi quid ex usu siet. Imò nulla res hominem ad Virtutis studium magis fermè excitat, quàm aliorum exempla, quæ cum vehementer in sensus incurrant, vehementer simul concitant intellectum & appetitum, *quod patet* (1) *ex testimonio Anacharsis* Philosophi, qui dicere solitus fuit: hominem, qui Temperantiæ extrema rectè cognoscere cuperet, turpes ebriorum mores inspicere debere. (2.) *Ex Praxi Lacedæmoniorum*, qui servos rusticos multo mero ingurgitatos in juvenum adducebant convivia, ut hi temulentorum istorum obscœnas gesticulationes intuentes Temperantiæ diligentius studerent. Nam oppositа juxta se posita magis eluceſcunt. II. *Dolorum*, qui ex voluptatum absentia oriuntur. Circa hos temperans versetur *vel* totali contemptu, ut planè eos negligat, *vel* moderatâ motione, ut ultra honestatem iis non moveatur.

(1.)
(2.)
(3.)
2. *Dolorum.*

10. *Effecta* Temperantiæ *considerari possunt* ratione duplicis partis essentialis hominis, ita ut *I. RATIONE CORPORIS* effectus Temperantiæ sit *I. Sanitas*, quam Temperantia tuetur, dum ad calidi nativi & humidi radicalis temperaturam, in qua vita hominis consistit, conservandam facit, quia temperans in restaurationem partium absumptarum tantum alimenti assumit, quantum ipsi supposito seu homini conducibili est, ceu patet 1. *Exemplo Essæorum*, qui peculiarem sectam in populo Iudaico habebant, & ut plurimum centesimum annum attingebant ex eo, quod temperanter vivebant, teste Iosepho l. 2 de bello Iudaico c. 12. 2. *Atestimonio Medicorum*, quorum hæc Communissima lex est de tuenda sanitate: *Mediocritatem semper esse tutissimam.* Unde & illud

(IV) Effecta *ratione. I. Corporis, ut est 1. Sanitas.*
1.
2.

Hippocratis 3. aphor. 25. πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, *Omne nimium naturæ inimicum.* 3. *Ab Oppoſito*, vid. Intemperantia, quæ ſanitatem deſtruit, dum conturbat calidi nativi & humidi radicalis temperaturam, ceu patet *de Intemperantia* (1.) *circa alimentum* vid. Voracitate & ebrietate. quæ ſanitatem conturbant & deſtruunt, *quod probatur* 1. *Ratione*, quia (1.) alimentum copioſè ingeſtum concoctrice virtute ventriculi digeri nequit, ſed ad venas meſaraicas ſ. meſenterii adhuc crudum transfunditur, in quibus priori vitio non exuitur, juxta regulam Phyſicorum: *Vitium primæ concoctionis non corrigitur in ſecunda & tertia.* Unde poſtea non tantum humidum nutrimentale vitioſum, additum radicali, illud debilitat, ſed & calor aſcititius humidum primigenium corrumpit, tandemq; abſumit, ceu ex Phyſica & Medicina fuſius patet. (2.) cibi craſſiores, invenis meſaraicis aliisq; diutius commorantes, putredinem contrahunt, & obſtructiones periculoſas gignunt. Hinc ex nimia cibi repletione hecticæ febres oriri dicuntur. (3.) Potus copioſè ſumptus venas incoctus ſubit, inq; cerebrum crudis vaporibus exhalat, atq; adeò cerebri ventriculos nerovrumq; propagines valdè lędunt. Hinc poſtea capitis vertigines, catarrhi, & oculi cōtinuis lachrymis ſtillantes, mania, apoplexia &c. de quibus conſule Medicos 2. *Teſtificatione ſeu à teſtimonio* (1.) *Sacro.* Eccl. 31. v. 22. *Laborioſa vigiliæ & cholera, torminaq; adſunt viro inſatiabili.* & c. 37. v. 32. ſeq. *Multis cibis adhæret morbus, & inſatiabilis voracitas proximè accedit choleram. Voracitate inſatiabili multi ſunt mortui; ſed qui attendit ſibi, vitam propagaturus eſt.* (2.) *Profano*, vid. Platonis, qui 2. de ll. ob hanc cauſam ſapienter vetuit, ne adoleſcentes ad annum usq; 12. vinum biberent. vide Coll. Conim. in Ariſt. de long. & brevit. vit. c. 2. q. 2. 3. *Exemplificatione*, (ut loquuntur Scholaſtici) *ſeu ab exemplo Promachi*, qui cum immeracæ potationis certamine palmam obtinuiſſet, morbo præ ingluvie ac ingurgitatione ſubitò correptus, & tertio die poſt extinctus eſt; imò compotatorum 41. mortuos teſtatur Charas Mytilenæus. (II.) *Circa Venerem, cujus nimius uſus producit.* 1. *Calvitium*, cum n. Veneris uſu calor debilitetur,

juxta.

3. *de intemperantia circa.* (1.) *Alimentum.*

(2) *Venerem.*

juxta Scal. ex. 277. capillorum radices exaresçunt, atq; sic deficiente humore calido calvitium inducitur. 2. *Morbos alios & vitæ brevitatem.* Nam quia semen pars est superflua, decisa à nutrimento, sequitur quòd ubi omne illud superfluum humidum intemperantia coitus egestum est, id demum emittatur, quod nutrimento à natura est destinatum, unde postea exsiccatio inducitur. Hinc *passeres* vitæ breviores sunt ob salacitatem, quam vide ap. Scalig. ex 269. adde Clarisſ. Scheibl. de an. par. 1. disp. 10. th. 9. Hinc *quia Intemperantia producit morbum, temperantia producet sanitatem*, quia *Oppositorum opposita sunt consequentia.* Ex hisce patet *error* duplex. 1. *Eorum*, qui ebrietatem ebrietate curare intendunt, cum tamen contraria contrariis curentur, non similibus. Sic calida curantur non calidis sed refrigerantibus, ceu Medicina te docebit. 2. Eorum qui pocula soterica seu sanitatis exhauriunt, dum inde sibi non levem morbum quandoq; conscisçunt, ita ut verè dictum sit: Et res absurda est, & talis forma loquendi, Credere pro alterius posse salute bibi. II. *Vitæ prolongatio.* Cum n. Temperantia conservet calidi nativi & humidi radicalis temperaturam, consequenter & vitam prolongabit, quia vita in illa temperatura consistit. Hinc tempore Patriarcharum homines vivaciores & longæviores censentur ptopter frugalitatem ac temperantiam, quam adhibuerunt. Sic memoria prodita sunt Athletarum nomina, qui in abstinentia libidinis, ut valentiores essent, spem victoriæ posuerunt. Scal. lib. 2. de Plan. p. 418. *Contrà* animalia πολύγονα & πολύσπερμα minus sunt valentia & vivacia, quia magna spirituum vitalium pars deperditur, quos copiosos ex omnibus partibus natura ad similis generationem relegat, unde tandem ex caloris & humidi necessarij defectu corpora exsiccantur, & ad senium maturè perducuntur vide Keck. curs. Phil. disp. 12. q. 3. *II. RATIONE ANIMI.*

Error. (1.) (2.)

2. Vitæ prolongatio.

II. Animi est.

II. Potest autem *ratione animi Effectus Temperantiæ duplex* statui. 1. *Conservatio ac confirmatio ingenii & memoriæ*, dum & judicium corroborat, & memoriam confirmat, retinendo utrumq; in sua integritate, *quod patet* 1. *à testimonio* (1)

1 Corroboratio ingenij ac memoriæ, ceu patet.

(1.) *à Testimonio.*

Veterum, qui subinde ingeminabant: *Anima sicca sapientissima*, quia temperantis cerebrum crudorum humorum copia non perturbatur. Et Sophocles in Electra: Frugalitas est magistra sapientium optimorumq; consiliorum. Hinc ab eisdem *Temperantia* dicta est σωφροσυνη, quasi mentis & intelligentiæ conservatrix. (2) *Medicorum*, qui docent, memoriæ inter alia vehementer nocere *tum* cruditates omnes, quæ universo corpori incommodant, *tum* plurimam vini potentis potionem, quæ cerebrum humectat, & consequenter hac humiditate oblivionem inducit, quia humido impressa imago, ut aquæ, facilè perimitur, unde pueri non sunt memorativi propter humiditatis excessum vide Cæl. Rhodig. l. 10. lect. Antiq. c. 15. Unde Medi modetatum vini usum suadent. *2. Ab Oppositio* vid. *Intemperantia & ebrietate*, quæ judicium obscurat, & memoriam obliterat per humores crudos ascendentes; *quod patet (1.) de apprehensione*, cum enim Intellectus noster agat per phantasmata, tota autem vis in ebrietate sit perturbata, nec quicquam in phantasmatum *vel* asservatione *vel* depromptione ritè potest. Hinc ebriis omnia moveri videntur, non quod ipsa objecta visa moveantur, sed quod Spiritus in capite agitati formas motas discretivæ potentiæ secus quã est repræsentent. Imò ebriis quandoq; objectum geminatur, quia in iis spiritus optici seu visivi crassioribus exhalationibus infestantur, ut axis coni seu pyramidis visivæ firmari nequeat in Objecto (2.) *Retentione memoriali*, dum Intemperantia s. Voluptas & dolor notitias illas practicas, quas quisquè de vita rectè instituenda habet, corrumpit ac tandem planè abolet. *Contrà* Temperantia vi oppositionis easdem conservat e. g. qui sobriè & temperanter vivit, is quotidie se magis magisq; confirmat in ea sententia. *Non semper indulgendum esse aut dolori, aut ei quod volupe est, sed utrumq; animo ejiciendum, ubi honestati adversetur.* Ast qui luxu & delitiis jam perditus est, ut ipse non cogitat *vel* unquam *vel* rarò admodum de honestate, & iis quæ decent, sic & paulatim ex animo ejus omnis recta de rebus opinio Practica tandem deletur. *Dixi notanter* notitias Practicas ex animo Intemperantis deleri, cum

Theo-

(2.) *ab oppositio.*

1.

NB.

NB.

2.

Theoreticæ notitiæ dissolutâ vitâ non æquè labefactentur, v. g. triangulum habere tres angulos, duobus rectis æquales, scire & retinere etiam Intemperantissimus mortalium potest. Ex hisce patet *error quadruplex* (1) *Eorum*, qui feliciùs tractari studia literarum putant ab ebrijs vel ebriosis, quàm à sobrijs, cujus falsitas non tantum patet ex præcedentibus, sed & hoc argumento. *Si homo statim à prandio vel cœnâ minus aptus est ad Musas & Studia, multò minùs in ebrietate & temulentia profunda ad ea appositus erit.* Atqui Verum priùs. E. & posterius. *Major* patet ex Canone Logico: *Si id, quod verisimilius videtur, non est, nec illud erit, quod minùs videtur verisimile.* Nam magis verisimile est sobrium à sumpto cibo Musis ritè invigilare posse, quam ebrium planè. *Nec est ut objiciant* nobis experientiam quorundam, qui ubi vino incaluere, feliciter literas tractarunt, carmina scripserunt & consilia ceperunt: *Committunt* enim *apertam fallaciam causæ non causæ, quod enim hujusmodi excellentia ingenia præstare id potuerint, causa fuit non ebrietas, sed* (1) *Ingenij præstantia*, & ignea vis, quæ tam facilè vino obrui non potuit. Hinc si ingenia ista sobrietati consecrata fuissent, longè majora certè effeciissent, atque effecere. (2) *Diuturna consuetudo*, quæ altera quasi natura vide Coroll. 2. dis. 9. *Minor* probatur ex eo, quod contemplantibus à sumpto cibo subinde somnus obrepat, *tum* quia motu illo cerebri & cogitationum profundarum spiritus undiq; & calor ex ventriculo in caput attrahitur, calore autem evocato ventriculus ob concoctionem crudam crassos vapores in caput evomit, ubi sensus anterioris meatus obstruuntur ut somnus inducatur *tum* quia calore ad interiora revocato palpebræ frigescunt, & refrigeratæ comprimuntur, ut ita connivendo quasi contemplator obdormiscat. 2. *Persarum*, qui de gravissimis rebus inter pocula consilia sociârunt & instituerunt. 3. *Eorum*, qui madidâ delectantur fraternitate, & ubi hominem, etiam incognitum, in conviviis advertunt, statim per fraterni poculi cuniculos in illius amicitiam irrepere cupiunt, cum tamen neque in præsenti conventu intellectus prudenter judicet, quid decorum & utile, neque memoria sæpè postero die ex

Error. (1)

Objectio. *NB.*

NB.

(2) (3)

ex hesterna crapula madidam istam fraternitatem recolere possit. Unde certè amicitia, inter vitra contracta, verè vitrea est, & fragilis. 4. *Eorum*, qui putant ebrietatem excusare delicta, cum tamen ebrij voluntariè delinquant, ita ut ebrietas sit voluntaria corporis insania, & licet imprudenter agant, & quandoque ignoranter, tamen illa ignorantia est contracta scienter & vitio proprio, vide tamen disp. 6. th. 7. & disp. 4. th. 38. *II. Alacritas & idoneitas ad reliquas virtutes exercendas, aliaq; munia exequenda*, ita ut homo per Temperantiam aptus reddatur, *tum* ad reliquarum virtutum exercitium, *tum* ad aliorū munerum executionem; *quod patet*. *(1) Ab Exemplis*, 1. *Sacris*, & quidē *(1) Danielis*, qui cum sociis in captivitate Babylonica victu tenuiori ali voluit, & regios cibos contemsit, quò melius precationi & studiis vacare posset. Dan. 1. v. 8. *(2) Johannis Baptistæ*, qui eandem ob causam locustas ex sylvestri melle vescebatur Matth 3. v. 4. 2. *Profanis*, & quidem *(1) Domesthenis*, qui sobrius & aquam potans, Æschinem adversarium suum benè potum vicit. Athenæus lib. 7. c. 7. *(2) Romanorum*, quos Temperantia primis seculis fortissimos, & ad præclara gerenda aptissimos reddidit. Idem Romani non patebantur generos cum soceris, aut filios unà cum parentibus balneum ingredi, quod membrorum nudationem illis spectantibus cum decore fieri non posse judicarent. Plutarch. in vita Caton. Major. Quanta apud eosdem fœminarum abstinentia fuerit, ex Plinio cognosce, qui lib. 14 c. 13 ait. Non licebat vinum Romæ fœminis bibere. Inventimus inter exempla Egnatij Mecennij uxorem, quod vinum è dolio bibisset, interfectam esse à marito, eumq; cædis à Romulo absolutum. Fabius pictor in annalibus suis scripsit, matronam, quod loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ, resignavisset, à suis inedià mori coactam. Cato, ideo propinquos fœminis osculum dare, ut scirent, an temetum olerent: hoc tum nomen vino erat, unde & temulentia appellata. *(II) ab Oppositio*, vid. *Intemperantia & ebrietate*, quæ hominem effœminat, & ad munia præclara ineptum reddit, *quod patet*. *1. Generaliter*, dum monstratur hominem ad præclara gerenda minimè

(4)

2. *Alacritas ad munia exequenda*, ceu patet (1) *ab Exemplis*.

1.

2.

(2) *ab oppositio*.

1.

minimè appositum fieri per intemperantiam & potentia vina. 1. *Ateſtimonio (1) Sacro*, ut Eph. 5. v. 18. *Paulus* prohibet inebriari vino, quippe in quo ἀσωτία &inordinata vita. Hinc Deus Aaroni & reliquis Sacerdotalis ordinis viris vino interdicit, ut Levit. 10. v. 9. *Vinum aut potum inebriantem ne bibito, tu aut filij tui tecum, quando ingreſſuri eſtis tentorium conventus, ut non moriamini.* Et Ezech. 44. v. 21. *Et vinum non bibet ullus Sacerdos, quando ingreſſurus eſt atrium interius.* Item 1. Tim. 3. v. 3. & Tit. 1. v. 7. Hinc & Miniſtris templi vinum prohibitum eſt in Canonicis decretis diſtinct. 35. *(2) Profano.* Sic apud Carthaginenſes lex quædam vetabat vinum guſtare ijs, qui in caſtris eſſent, Unde Plato 2. de ll. ait. Nec magiſtratui id concedi debere, dum ad clavum ſedet, nec ei qui conſulere quicquam Reipubl. velit. *Hinc* ſi temulentum regem mulier apud Indos occidiſſet, hoc donabatur munere, ut ſucceſſori nuberet. Cæl. Rhodius lib. 18. cap. 31. 2. *Ab Exemplo.* (1) *Romanorum.* Poſtquam n. Romæ luxus & Intemperantia in locum prioris abſtinentiæ ſucceſſerat, paulatim etiam fortuna & felicitas in contrarium vertit, & bella civilia infinita orta ſunt. Vide Salluſt. Jugurt. (2) *Alexandri M.* quem cùm vis Martis fortiſſima vincere non putuerit, Bacchi poculum ſuperavit, eò enim ebrietate prolapſus eſt, ut ijs, quibus familiariſſimè uteretur, interfectis, & per hoc procerum ſuorum animis à ſe alienatis, veneno tandem extingueretur. Vide Q. Curtium l. 10. (3) *Lydiorum*, quos rebellantes ubi ſecunda vice Cyrus debellaſſet, juſſit eos cauponias, ludicras artes & lenocinia exercere. Et ſic quos ante Cyrum invictos bella præſtiterant, in luxuriam lapſos otium ac deſidia ſuperavit. Juſtin: l. 2. p. mihi. 11. *II Specialiter*, enumerando vitia quæ ſpecialiter ex ebrietate oriuntur, & hominem ad munia ſua exequenda, ut & converſationem, planè ineptum reddunt, de quibus vide th. 14.

(1)

NB.

(2)

2.

12, *Diviſio enodat Species* Temperantiæ, *quæ* reſpectu diſtinctarum Voluptatum guſtus & tactus *duplices* ſtatuuntur. *I. Frugalitas*, quæ eſt Temperantia in moderanda gula & nutrimento ſumendo. *II. Caſtitas*, quæ eſt Temperantia in moderanda Venere.

(V) Diviſio, *in quæ*

1. Frugalitas, quæ (I.) Abstinentia, de qua notentur
1. Effecta.

13. *Frugalitas* pro alimenti duplicatione *rursus* statuitur *duplex. I. Abstinentia*, quæ est frugalitas, in cibo capiendo tenens modum, naturæ & rectæ rationi convenientem. Hujus exemplum habemus in *Numa Pompilio*, secundo Rege Romanorum, qui referente Plutarcho vitam egit frugalissimam. *De hac* Abstinentia hic breviter *notentur (I) Effecta*, quæ sunt *tum* sanitas *tum* somni salubritas, ceu patet. 1. *à testimonio Ecclesiastici* c. 31, 21. *Quam sufficit homini erudito res modica? nam in cubili suo non anhelat, somnus sanus est, cum intestino mediocri surgit manè, compos animæ suæ. 2. Ab Opposito vid. Voracitate*, cu-
2. Objectū. NB.
jus effecta opposita lege in c. 37, 32. *(II) Objectum*, circa quod Abstinentia versatur, quod est omnis generis cibus licitus, moderatè & temperanter sumptus, cum in Temperantia non tam cibus ipse, ejusq; qualitas præcisè attendatur, quàm refrenatio delectationis & Voluptatis circa illum cibum. Unde merito intemperans dicitur, qui esculenta dulciora & suaviora præponit sanioribus, quum ipse delectationem potissimum intendat, & gulæ suæ consulat. Ex hisce *patet (1) Error Pontificiorum*, qui præcisè & absolutè ex abstinentia ab esu carnium
NB. (1) de Errore Pōtificiorum
Temperantiam colligunt, cum tamen non tantum vinum bibant tempore istius jejunij, sed & quibusdam hominibus pisces lautiores in majoribus sint delitijs quam carnes, undè & avidiùs eos deglutiunt. Ast in tali gulæ delectatione, & cibi lautioris assumptione, quomodo Temperantia adsit non video, multò minùs advertere possum, quomodo in Pontificia illa comestione lautiorum piscium & vini, verum adsit jejunium, quippe quod propriè notat vacuitatem seu abstinentiam ab omni cibo, qui aliàs suo tempore assumi solet. De quo gratiâ brevitatis plura vide apud Dn. D. Meisn. in 3. part. Phil. sob. s. 1. c. 5. q. 2. (2) *Quid de ciborum delectu statuendum sit*, cum
(2) delectu ciborum.
in omni cibo usus moderatus observari possit. Unde *ille delectus jam retineri potest (non ex necessitate* cum non tantum Gen. 9, 3. Deus Noæ omnis viventis esum concesserit, sed & in N. T. Paulus 1. Cor. 10, 25. omnium, quæ in macello venēt, esum permittat, *sed) ex dispositione œconomica*, libera tamen, ita ut liberè certis diebus carnē, aliis pisces magis apponam9, *tum* propter varietatē, *tum* bonam œconomicam dispensationē, in qua tamen

men semper modicǫ ciborum usus attendatur. An a. humana etiã carne vesci liceat tẽpore extremæ necessitatis alibi proceditur (III) *Extrema. quæ* dupliciter *peccant.* 1. *In excessu* ut *Voracitas*, quæ est nimia gulositas, qua immoderatè cibũ deglutiunt homines vitio hoc infecti. *Hujus* Voracitatis hîc *notetur modus*, vid. quod contingere illa possit. (1) *ratione nimiæ quantitatis*, quando plus assumitur, quàm necesse est, & natura requirit. Hoc modo Intemperans fuit Mimus Phago apud Imperatorem Aurelianum, de quo Fl. Vopiscus refert, quod ad mensam imperatoris unâ die ederit aprum integrum, centum panes, vervecem & porcellum; biberit autem fundibulo ori appositio plus orcâ. *Hinc Temperans quis dici nequit ex eo quod semel duntaxat per diem comedat*, quia plus aliquis semel vorare potest, quam alius vicibus duabus. Unde *non tam ex numero comestionis, quam ex quantitate: & modo de Temperantia judicari potest & debet.* Ex eo patet *error* eorum *in Papatu*, qui Temperantiam & jejunium ex eo præcisè metiri cupiunt, quod semel duntaxat per diem comedant (2) *ratione qualitatis seu nimiæ festinationis*, quando præproperè & certatim cibus deglutitur, quod antiqui tuburcinari vocabant, & propriè nomen Voracitatis mereri dicitur. Nam *Vorax* propriè intelligitur, qui *vel* nunc in dextram nunc in sinistram partem cibum linguâ convolvit, *vel* simul utraq; oris parte cibaria conterit. (3.) *Ratione Intentionis & delectationis*, quando gulæ delectationem potissimùm quis intendit, ita ut esculenta suaviora sanioribus præferat (4) *Ratione circumstantiarum*, *tum* loci *tum* temporis, quando quis intempestivè & loco incongruenti cibum deglutit. Sic de Vitellio Imperatore Suetonius refert, quod non profundæ modò, sed & Intempestivæ ac sordidæ gulæ fuerit. 2. *In Defectu*, ut *nimia Abstinentia â cibo* seu Affectata corporis maceratio, de qua non multum hîc laborabo, cum non facilè inveniatur. *II. Sobrietatis*, quæ est frugalitas in moderato potus usu consistens.

3. *Extrema quæ* (1) *voracitas, cujus modus.*

1.

2.

3.

4.

2. *Affectata macceratio.*

(II. *Sobrietas cujus extremũ,* 1. *in excessu, ut Bibacitas, de qua*

XIII. *Extrema Sobrietatis* sunt *duplicia. I. In Excessu, ut* est *Bibacitas seu Ebrietas*, quæ est Intemperantia in potu modum excedens. *De hac tria* hæc breviter *notentur I. Distinctio*

(1) *Distinctio.*

ctio seu Æquivocatio, juxta quam Philosophi distingunt, inter Ebrietatem, quæ præcisè aliàs notat repletionem potus ultra modum & convenientiam. Hæc contingere potest etiam *vel* semel saltem, ut Noæ Gen. 9. 21. *vel* bis ut Lotho Gen. 19. *& inter Ebriositatem*, quæ ultra illam inconvenientem repletionem adhuc notat consuetudinem inebriandi, ita ut homo ebriosus laboret pernicioſissimo consuetæ ebrietatis morbo. Germani vocant, die gewöhnliche Sauffseuche. Hæc ebriositas primariò hic intenditur, tanquam vitiosus habitus, cum altera ebrietas etiam ignoranter contingere possit. (II) *Modus*, quo contingere solet Bibacitas, vid. 1. *Ratione quantitatis*, quãdo plus bibitur quam necesse est. Hinc *Aristippus* jactanti quod multum biberet nec inebriaretur, rectè respondit, quid magni narras? cum idem quoq; mulus faciat. Similiter *Demosthenes* Philocrati & Æschini, Philippum laudantibus quod strenuè biberet, respondit: Idem & Spongia facere potest, Ratione quantitatis & mirè hodiè Germani nostri peccant, qui ne abitum quidem quandoq; hospiti concedunt, nisi priùs quod propinatum fuerit evacuaverit. Unde & ipsos Græcos superare videntur, qui hanc urgebant legem: *Aut bibe, aut abi* 2. *Ratione qualitatis seu celeritatis*, quando pocula portentosa quis evacuat &absorbet modo specialiori *vel ἀπνδί*, sine respiratione & flatu, *vel ἀμυδί*, hiante & patente ore, vel *ἀθρόως*, confertim & raptim. Hujusmodi bibax fuit *Novellius Tricongius*, sic appellatus, quod tres vini congios uno spiritu hauriebat. Reliquos abusivos bibendi modos facilè quis in ebriosis advertet. 3. *Ratione Intentionis*, quando quis potissimùm gulæ delectationem, & superfluam ingurgitationem intendit v.g. quando quis sibi sapidas magis potiones, quam convivantibus, apponit, aut quando quis ad nauseã usq; bibere cupit, ut neq; pes, neq; manꝰ, neq; mens officium suum faciat. *Dixi notanter Ebrietatem* vitiosam *committi, quando quis præcisè gulæ delectationem* & superfluam ingurgitationem *intendit, quia alias conceditur poculum* (1.) *Necessitatis*, quod siti restinguendæ inservit. Hoc poculum animalis natura hominis poscit. (2) *Salubritatis* quod inservit sanitati. Hoc poculum con-

(2) *Modus* 1.

2.

3.

(1)

(2)

conceditur à Paulo 1. Tim. 5. 23. ubi ait. *Et post-hac aquas ne bibas, sed vino modico utere, propter stomachum tuum & morbos tuos assiduos.* (3) *Hilaritatis*, quod hilaritati, & spirituum excitationi atq; recreationi inservit. *Hoc* poculum *concessum esse patet* (1) *Generaliter*, quod Deus ad cordis humani exhilarationem vinum condiderit Ps. 104. v. 15. (2.) *Specialiter, ratione tum morientium* refocillandorum, juxta Prov. 31. v. 6. ubi dicitur. Date ciceram morientibus, & vinum his, qui amaro sunt animo. Bibat ut obliviscatur paupertatis suæ, & molestiæ suæ non sit memor amplius; *tum convivantium*, ita ut in honesto conventu hilaritatis gratiâ pocula quædam evacuare liceat; quod nonnulli probant ex historia Ioh. 2. Ubi in recreationem hospitum nuptialium Christo miraculosè aquam in vinum convertit. Hic tamen probè notes velim, ne, dum in honesto conventu hilaritatem intendis, simul & gulæ tuæ consulas modum excedendo, quia hoc modo Intemperantiæ notam incurres, vide plura ap. Rev. & Exc. D. Chr. Mat. Coll. 2. Eth. disp. 3. q. 4. (*III*) *Effecta, quæ* ex th. 10. Jam aliqualiter innotuerunt: *Possunt* autem *hic considerari.* 1. *Ratione animi*, & quidem *respectu* (1.) *Intellectus*, quem Ebrietas perturbat, & ad meditationes subtiles ac prudentes ineptum reddit. Unde rectè Basilius Magnus: Sicut aqua repugnat igni, sic immoderatio vini mentem sobriam ac prudentem extinguit. Hinc de rebus gravissimis & subtilibus inter pocula non facilè disputandum censent eruditi ac prudentes. (2.) *Appetitus, cujus respectu triplicia vitia ex ebrietate pro pullulant* 1. *Audacia, & litigandi cupiditas*, qua ebrii inermes quandoq; pericula adeunt furiosi instar, & à verbis ad verbera descendunt, quod patet non tantum ex quotidiana experientia, sed & Turcarum exemplo, qui, cum vinum ipsis interdixerit Mahometh, hodiè utuntur pulvere suo Maslac ad animositatem in præliis conciliandam, dum n. temulentiam pulvis ille efficit, homines ad pugnam magis excitat & incendit, ut non horreant pericula, vide Camer. op. sub. cent. 1. c. 93. ubi & varios inebriandi modos invenies, & Excell. Dn. D. Sennertum epit. nat. scient. p. 471. 2. *Secretorum apertio & reclusio*:

(3.)

(3) *Effecta*

1.

2.
(1)

(2)

Nam quicquid est in corde Sobriorum, hoc est in lingua ebriorum. Unde quidam negavit tormentis esse opus ad exquirendum verum, cum vino id rectiùs elici possit. Observant hoc Principes, qui, ut Consiliariorum suorum ingenia & animum erga se explorent, ad compotationem largiorem illos invitant. Exemplum hujusmodi explorationis de Bonoso Hispanienſe recenset Aventinus l. 2. Annal. Bojor. qui à Germanorum legatis per vinum cuncta secreta cognoscere intendit. (3.) 3. *Libido* exemplo Centaurorum, qui cum in nuptiis Hippodamiæ filiæ Pirithoi vino ebrii essent, fœminis, quæ nuptiis intererant, vim afferre conati sunt, undè Theseus & Lapithæ injuriam illam ulturi, ingentem Centaurorum multitudinem trucidarunt. 2. *Ratione Corporis, & tunc effectus Ebrietatis* plerumq; duplex esse solet. *II.* *(1) Linguæ ligatio*, unde & temetum dictum putant vinum, quod, si quis profundè ebrius est, tentet ac labefactet mentem ac linguam. Quò respicit Poeta: *Tentatura pedes olim, vincturaq; linguam.* (2.) *Aliorum membrorum labefactatio & ægritudo*, quam vide ap. Christ. Matt. Col. Eth. 2. disp. 3. q. 4. *II. In Defectu*, ut *Nimia Abstinentia à potu*, quod vitium inventu rarissimum est. 2. *2. in Defectu.*

14 *De Castitate*, quæ in moderanda Venere consistit, hic *duo* breviter *notentur. I. Distinctio, ratione status, quod* vid. Castitas *contingat in vita. 1. Conjugali*, quæ consistit in ordine, mirando Dei consilio instituto. Hujus exemplum habemus, *tùm* in Susanna, *tùm* Penelope, quæ integros annos 20. amorem suum erga Ulyssem absentem castè & integrè conservavit, ceu testantur Homerus & Ovidius. *II. Castitas de qua (I.) Distinctio.* *1.* *2. Cœlibe*, quæ est mundities animi extra Conjugium, sine ullo libidinis æstu, cujus exemplum insigne habemus in Iosepho Gen. 39. v. 8. & 12. *II. Extrema*, quæ *duplicia. 1. In Defectu, ut Affectata omnis Veneris detestatio. Hoc Vitium* proprio nomine caret, cũ rarissimi sint, qui hîc peccent. Potest a. hoc vitium constitui *triplex* (1.) *Odiosa muliebris sexus Vituperatio*, cujus exemplũ in Diogene habem⁹, qui optavit ut omnes mulieres de arboribꝰ *(II) Extrema 1. in Defectu.* *1.*

ſuſpenderentur (2) *Conjugij prohibitio*, quam 1. Tim. 4. Paulus à Diabolo proficiſci expreſsè affirmat. (3) *Voluntaria Caſtratio*, qua quis vim corpori ſuo infert, ut ab omni voluptatum uſu & incitamento immunis ſit, cujus Exemplum de Origine refert Euſeb. l. 6. c. 8. Hujuſmodi enim Caſtitas eſt violenta, & vim infert humano corpori. De hac vide Danæum Ethic. Chr. p. 195. 2. *in Exceſſu, ut Salacitas ſeu libido*, quæ eſt intemperantia in Venere.

3.

2. *In exceſſu, ut Salacitas, quæ*

15. *Species Salacitatis ſeu Libidinis multiplices* ſunt *ratione diverſorum & objectorum & actuum, juxta quorum diverſitatem Libido* conſtitui poteſt *duplex. I. Interna*, cujus actus manent intra ipſum hominem libidinoſum, *quales ſunt (I) Spurcæ cogitationes*, quæ ex corde impuro proveniunt, juxta 1. Cor. 10, 9. & hominem coinquinant juxta effatum Chriſti Matth. 5, v. 27. Unde non tantum factis, ſed & cogitationibus contra caſtitatem peccatur. *(II) Libidinoſi affectus*, quando quis in incendijs libidinum vivit, & flammis illicitis. Hi interni affectus libidinoſi omnium impudicorum actuum exteriorum cauſa & radix moraliter cenſentur, juxta regulam Ethicem: *Non ſimpliciter rei effectus, ſed efficientis affectus in crimine eſt.* Hinc 1. *Impudicæ illæ fœminæ non cenſentur, quæ vim ſunt paſſæ*, cum caſtos poſſederint affectus, & fœmineæ caſtitatis flore violenter privatæ ſint. Unde & ipſe DEUS hoc modo ſtupratam in agro puellam excuſat, & peccato eximit, ſed ſtupratorem pœnæ adjudicat. Deut. 22. v. 25, ſeq. 2. *Involuntarium planè ſeminis profluvium*, quod nocturno tempore in ſomno contingit, *Ethicè & moraliter Salacitas ſeu peccatum non eſt, ſi vid. abſolutè & præcisè conſideretur*, extra libidinoſos affectus, quia tunc nulla adeſt ratio voluntatis, quæ in Ethicis & moralibus hic maximè ſpectatur. *Dixi notanter*, Profluvium involuntarium planè & abſolutè conſideratum, quia *aliàs ille fluxus ſeminalis vitioſus reddi poteſt per delectationem vel antegredientem*, quando quis per crapulam vel aliam occaſionem delectabilem in hanc ſorditiem delabitur, *vel concomitantem vel conſequentem*, quando quis pollutionem in ſomno cæptam expergiſcens malè conſummat, complacendo ſibi in tali voluptate

(1) *Interna*

1.

2.

NB.

(1)

(2)

NB.

luptate probrosa, quam habuit. Hinc & ob delectationem, quam ex abusu spermatis percipiebat, Onan à Domino interficitur Gen. 38, 9. Quia autem ille seminifluus jam *vel* rarissimè *vel* nunquam sit absq; aliqua delectatione vitiosa, lex Ceremonialis illum immundum judicat. Lev. 15, 16. ex qua tamẽ lege Ceremoniali seminifluum, absolutè consideratum extra conjunctam delectationem, peccaminosum moraliter & Ethicè non vocabis, cum eadem lege ceremonialiter immundi habiti fuerint, & qui mortuum tangebant, & menstruatæ mulieres v. 19. quæ tamen omnia, si in se & absolutè considerentur, sunt indifferentia, & absq; vitioso affectu esse possunt.

NB.

(3) 3. *Contrà Pudici & casti satis illi dicendi non sunt*, qui licent nullã attingant mulierem, interim *Ætnæis intra uruntur cupiditatum ignibus*, & suis cogitationibus obscœnis mirum in modum rapiuntur & distorquentur. Nam *nulli cupiditati serviendum.* Imò quando impuberes lascivis delectantur cogitationibus & affectibus, tunc *malitia ætatem supplere* rectè dicitur. *II. Externa*, cujus actus extrinsecè sese produnt sensibiliter, ita ut in sensus alterius incurrant. *Hæc ratione modi exerendi sese duplex* statui potest. *(I) Verbalis*, quæ in spurcis & obscœnis sermonibus consistit. Huic vitio maximè dediti fuerunt Osci, Italiæ antiqui populi in Campania, qui & inde nomen sortiti sunt ab oris fœditate. Hinc Osce loqui vetusto proverbio dicebantur, qui turpiter parumq; pudicè loquerentur. Huc pertinent lasciva scripta, picturæ & Comœdiæ, quæ impudicarum historiarum sunt repræsentationes, & maxima irritamenta vitiorum. Unde hujusmodi obscœnæ repræsentationes *tum* verbales *tum* reales vitari debent. Vide Danæum Eth. Christ. p. 221. De hoc Vitio notetur monitum Pauli. Ephes. 5. v. 3. 4. *(II) Realis*, quæ in impudico aliquo opere consistit, & exeri potest *ratione* 1. *Gestus*, quando oculi, manus, totusq; corporis habitus & status ad lasciviam compositus est, quippe qui ad Venerem excitandam multum facit. Ubi tamen *notes velim, oscula, amplexus, aliosque gestus ac tactus considerari posse dupliciter.* (1) *Absolutè, & in se*, & sic ex objecto & natura sua non sunt vitia & peccata, sed

(2) *Externa.*

1.

2.

(1)

sed potius secundum se sunt indifferentia & licita, cum inter homines esse possint signa mutuæ benevolentiæ, familiaritatis, pacis & obsequij debiti, secundum provinciæ consuetudinem. Hoc modo oscula concedit & Paulus Roman. 16. v. 16. (2) *Determinatè ratione finis & intentionis lascivæ*, & tunc illa non amplius manent indifferentia, sed fiunt vitiosa. Hinc rectè Ecclesiast. 26. v. 12. dicitur: *Scortatio mulieris in elatis oculis atque in palpebris ejus cognoscitur.* De Pompejo M. referunt quod militem occiderit, qui sub veste manum corpori muliebri admoverat. Ob eandem causam & choreæ lascivæ prohibitæ sunt, quia respiciunt intentionem incitandi hominem ad lasciviam. 2. *Concubitus*, quando quis lascivo modo cum objecto illegitimo concumbit. (2)

17. Potest a. *lascivus* ille & *illegitimus concubitus* pro objecti, cum quo quis concumbit, diversitate diversimodè considerari, ita ut *instituì* possit. *I. Cum Dæmone*, quando Sagæ cum Dœmone, formam incubi ad tempus fingente & assumente, coëunt, & ex coitu illo voluptatem sentiunt secundum propriam ipsarum confessionem. Hic concubitus maximè fœdus est, cum ex libidine æstuante proveniat, unde & homo maximè puniri solet, cum objectum istius concubitus, quod aliàs horrere debemus, voluntarium augeat in concumbente. An autem Dœmon sub forma incubi vel succubi congredi possit cum hominibus, in mea disp. 12. Pneumatica agetur. I.

II. Cum Bestia, ut *Bestialitas*, quando *vel* mas *vel* fœmina cum bestia concumbit, quod omninò contra naturam, cum naturalem rerum usum prorsus pervertat. Unde *hoc Vitium morte punitur juxta legem* 1. *Divinam*, Exod. 22. v. 19. Levit. 20. v. 15. 18. vide & cap. 18. v. 32. 2. *Politicam & Civilem*, quæ in quibusdam provinciis hujus criminis reum una cum belua ipsa igni adjudicat, in detestationem tam horrendi & nefandi delicti. II.

III. Cum Homine, & quidem *Sexus*. III.

(1) Ejusdem, ut *Sodomia*, quæ est concubitus maris cum maribus, qui Sodomis usitatus fuit, unde & nomen sortitus est. Dicitur aliàs etiam παιδεραστία. h. e. amor in pueros, quem (1)

Græci usurparunt, à quibus & Persæ teste Herodoto didicerũt pueris abuti. Simile fermè facinus detestandum ex Busbequio recenset Camerarius cen. 2. op. subc. c. 41. 42. de Turcica fœmina, quæ mentita virum mutato habitu nupsit puellæ Constantinopolitanæ formosissimæ, cujus amore ipsa flagrabat. Detestandum & horrendum hoc *Sodomiæ vitium*, quod similiter contra naturam fit, *morti adjudicatur â lege* 1. *Divina*, Levit. 18. v. 22. c. 20. v. 13. Unde & graviter eos infectatur Paulus 1. Corinth. 6. v. 9. 1. Tim. 1. v, 10. & Roman. 1. v. 26. 25. 2. *Politica & Civili*, vide Danæum Ethic. Christ. p 214. *De Androgynis* seu Hermaphroditis, qui utriusque sexus sunt participes, hic nota, quod *ejus tantum censeri sexus debeant, qui in ijs potentior est & prævalet*, non autem utriusq; , cum utroque sexu uti non tantum sit turpe, & contra naturam & castitatem, sed & turpis Metamorphosis seu mutatio inde metuenda, qualem recenset Ovid. l. 9. Metamor. *Vota puer solvit quæ fœmina voverat Iphis.* Similis mutationis turpissimæ exemplum de milite quodam invenies apud Keckerm. syst. Phys. l. 5 c. 3. De hisce Androgynis in Physicis fusiùs agitur. *(II) Diversi*, quando concumbit mas cum fœmina, vel fœmina cum mare. *Et tunc libidinosus* ac illegitimus *concubitus committi potest cum persona.* 1. *Consanguinea*, & tunc committitur *Incestus*, qui est concubitus inter consanguineos in gradu prohibito lege. Ad quotum autem cognationis gradum Incestus se extendat, alibi docetur. Incestum commisit Lothus Gen. 19. v. 33. Ruben c. 35. v. 22. Amnon cũ Thamar sorore Absolonis 2. Sam. 13. v. 14. Omnium autem Incestuosissimus fuit Pontifex R. Alexander, qui ex se genitam Lucretiam uxorem duxit, eandemq; filio suo Borgiæ despondit, ceu ex epitaphio patet, conscripto à Sannazario Poëta Neapolitano:

Hoc jacet in tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais Alexandri filia, Sponsa, nurus.

Vitium hoc Incestus detestandum est, & pugnans cum lege.

NB.

(II)

1.

NB.

(1) *Divina*, Ezech. 18. v. 6. 7. c. 20. v. 11. 14. Deuter. 22. v. 30.

Unde

Unde gravissimè in hoc sceleris genus invehuntur *tum* Prophetæ Ezech. 22. 11. Amos 2, 7. *tum* Apostolus Paulus 1. Cor. 5. v. 1. 2. *Naturali, & recta ratione*, quippe cui incestus inimicus est. Unde quæcunq; gens tantam vim naturæ inferre ausa est, maximo id ipsi datum est vitio. Cum Cambyses Consiliarios suos rogaret, nunquid jure sororem in matrimonio habere posset, non ausi fuerunt, quantumvis magni adulatores, asserere, sed aliam legem invenerunt: *Jus esse Regi quicquid placuerit.* Herod. l. 3. Et de Claudio Imperatore Suetonius refert, quod ipse, cum fœmina quædam filium agnoscere nollet, jusserit eos concumbere, sic cogitans, fœminam agnoscituram potius filium, quam tam detestandum quid scienter commissuram. Imò ipsa animalia bruta ab incestu abhorrere Historiographi testantur. (3) *Politica & Civili. Censet* autem *Thomas triplici de causa illicitum & prohibitum esse incestum.* (1) *ratione Objecti*, quia personis in linea ascendente honos debetur, unde ijs omnino abstinendum censet. (2) *ratione finis nuptiarum*, qui est auctio & *amplificatio necessitudinum.* Nam nuptijs necessitudines augere volebant homines, & ultrò citroque filias dando & accipiendo multos sibi propinquos adjungere, dum unius Nymphæ gratiâ integræ sæpè familiæ concilientur. Ast hæc necessitudinum multiplicatio per Incestum impeditur. Unde cuidam objicienti quod per nuptias cognatorum firmiores efficerentur amicitiæ, rectè respondit Chrysostomus. *Satis causæ sit cur illas ames, ex eodem te esse utero prognatum, aliter tibi aliæ competant.* (3) *ratione illiciti consequentis ex Incestu*, quia alias nimia peccandi occasio daretur, cum assiduè sint simul. De qua ratione Thomæ alibi agam, vide interim Clariss Arnisæum doct. Pol. p. 34. seq. Quomodo autem Adami filij consanguineas sibi duxerint, cum tamen alias ipsis Deus creare potuerit fœminas, scripturam & Theologos consule, qui te hac de re erudient. 2. *Extranea*, quæ consanguinitatis vinculo nobis juncta non est. 2.

18. *Et tunc illegitimus Concubitus* rursus *committi potest cum*

persona

(1.) *persona extranea. I. Ligata seu Conjugali*, & tunc suboritur *Adulterium*, quod est tori ac fidei conjugalis violatio, Si non ex parte utraq; saltem ex illius parte, qui conjunx est. Non enim viro licet quod mulieri non licet, eadem quippe à viro, quæ ab uxore debetur Castitas, nec alteri impuniùs licet scortari. *Fœdissimum adulterij vitium est*, quia *adulter peccat in fidem conjugalem, adeoq; in ipsum conjugium tanquam fœdifragus*, Cum vir non habeat potestatem sui corporis, nec mulier. 1. Cor. 7. v. 4. *Constituitur autem adulterium.* 1. *Simplex*, quando ex unâ saltem parte torus conjugalis violatur, v. g. quando Maritus rem habet cum soluta, vel solutus uxorem alterius polluit. Hujusmodi Adulterium commisit *Messalina* Claudii Imperatoris conjux, quæ ut ad satietatem se Venere expleret, Lycissæ prostitutæ mulieris nomen mentita, sæpè lupinar sub nocte adiit, & cum formosissimis meretricij quæstus scortis coitu certavit, & ex re fœdissima 25. virorum congressu palmam sibi quæsivit. 2. *Duplex*, quando ex utraq; parte torus conjugalis polluitur, utpote si uxoratus alterius torum corrumpat, vel maritata alteri marito sui potestatem faciat. Hujus exemplum habemus in Davide 2. Sam. 11. De Adulterio in Politicis fusiùs agetur. Referri huc possunt *vulgaria divortia*, quæ vide apud Clar. Arnisæum doct. Pol. p. 53.

(2.) seq. *II. Soluta*, seu quæ non est conjugata, *& tunc concubitus* illegitimus *committi potest. 1. Cum Virgine vel Vidua*, & tunc suboriri dicitur *stuprum.* 2. *Cum Meretrice*, & tunc specialiter committi dicitur scortatio. Ex hisce patet Lupanaria toleranda non esse, cum sint Scholæ omnis impuritatis & libidinis, unde & gravissima Dei prohibitio legitur Deut. 23. v. 17. 18. *Non sit ulla meretrix aut prostituta in Israel. Ne inferto mercedem scorti in domum Jehovæ Dei tui, quia abominatio Jehovæ est.*

II. Respectiva. 18. Sequitur jam ultimo loco *Respectiva Temperantiæ consideratio*, vid: *in collatione cum suo Opposito, quod* duplex statuitur. 1. *In Excessu ut* Ἀκολασία seu *Intemperantia*, quod est Vitium, per quod homo nimiùm appetens est alimenti & Veneris, ita ut omnis generis voluptates, ex gustu & tactu proveniens-

venientes immoderatè & sine discrimine expetat. *II. In Defectu, ut* Ἀναισθησία *seu stupiditas*, quæ est Vitium in aspernandis voluptatibus omnibus etiam honestis & necessariis. Hoc Vitium non facilè datur, cum quodlibet animal sui conservationem, specierumq; propagationem quàm diligentissimè attendat. Species utriusq; extremi in præcedentibus jam vidimus. 2.

Corollarium.

I. Αὐτοχειρία *seu* Αὐτοφονία, quâ quis sibi ipsi mortem conscisci, *est illicita, quia peccat contra I. legem divinam.* Exod. 20. v. 13. Non occides hominem. Qui a. se occidit, hominem occidit. *II. legem naturæ, & rectam rationem, quæ* 1. *Vitæ amorem & conservationem* cuiq; indidit, quippe quam & reliqua animantia habent. 2. *Dictitat vitæ nostræ dominos nos non esse*, unde pro lubitu nobis vitam eripere non possumus, quippe in quam dominium & potestatem non habemus. Sic a. *Socrates* apud Platonem in Phœdone ait: Sicut in hanc vitam sponte nostra non venimus, ita nec rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum à Deo est, ejusdem injussu recedendum, qui nos in hoc corpus induxit tam diu habitaturos, nec jubeat emitti. Unde & *Pytagoras* olim vetabat injussu Imperatoris de præsidio & statione vitæ discedere, quia in acie stamus. 3. *Prohibet sui ipsius odium.* E. multò magis occisionem & αὐτοχειρίαν. *III. Legem Positivam & Civilem*, quæ αὐτοχειρίαν notat infamiâ, cum inter alia incommoda tollat civem Reip. utilem, unde ipsi vim infert, 1. 2. NB. 3.

4. *IV. Præcepta moralia de fortitudine, quæ jubent respicere 1. Honestatem. 2. Media licita. 3. animum intrepidum,* quæ omnia in αὐτοχειρία violantur, ceu patet *exemplo (1.) Achitophelis* 2. Sam. 17. 23. *(2.) Saulis* 1. Sam. ult. v. 3. 4. *(3.) Iudæ.* Matt. 27. 5. Unde Arist. l. 3. Ethicor. c. 7. αὐτοφονίαν illam appellat animi mollitiem, & hujusmodi homines timidis ac mollibus accenset. Plura de αὐτοχειρία vide ap. Excell. Dn. D. Chemnit. p. m. par. 2. Loc. p. 76. Exempla a. si desideras lege Clarif. Horn. Eth. l. 3. c. 5. p. 376. *Nec obstat hic exemplum Raziæ* 2. Macc. 14. 37. quia *1. ille liber est Apocryphus. 2. ibi habetur (non facti approbatio,* q. factum illud ut generosum approbaretur, *sed) nuda historica narratio intentionis Raziæ,* quod vid: ipse ita mori mallet, quam contumeliis, sua nobilitate indignis, exponi. Vide August. l. 1. de Civ. Dei c. 70. & c. 21. de Simsone ait: *Nec Samson aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruinâ domus oppressit, nisi quia Spiritus hoc latenter jusserat, qui per illum miraculum faciebat. Ubi autem præceptum est ibi cessat peccatum.* Deus enim, qui vitam dedit, repetere, ubi vult, sive nostra, sive aliena manu potest. Reliqua in conflictu discutiam.

Objectionis solutio.

II. *Lis est cum forma magna Pudicitiæ.* Enunciatio hæc indefinita est, æquipollens non universali sed particulari, cum non semper sed plerumq; contingat. *Ratio* autem *enunciati* hujus *potest dari duplex. 1. Physica ratione nutritionis delicatæ & carnis mollioris.* Fœmellæ n. formosiores plerumq; sunt præditæ corporibus musculosis, spiritibus & sanguine perquam copiosè refertis. Ast hæc libidinem excitant,

1.

tant, ut patet ex doctrina Physica de Temperamento. 2. *Ethica ratione moralis educationis.* Dum enim matres sibi nimiûm in filiolis formosis placent, nimia illa indulgentia & neglecta educatio variam ad libidinem occasionem præbet. 2.

SOLI DEO SIT LAUS ET GLORIA.

Virtute & literis Ornatissimo Dn.
RESPONDENTI
CHRISTIANO DANTZMANNO,
de Temperantia dissertanti, populari & amico suo conjunctissimo.

ET te Pierio stimulat calor entheus æstro
Surgere ad astrigeræ templa beata Deæ,
Famæq; aucupio virtutem extendere factis,
Christjane ô animi dosq; decusq; mei.
Extollant alios alij qui castra secuti
Sublimi quærunt scandere ad astra via.
Tu mihi tergeminis cumulandus honoribus omni
ævo es, quo vivus Spiritus ossa reget.
Qui Parnassiacæ deserta per ardua vallis
ad famam magnis ausibus ire paras,
Suffusasq; animo nebulas abstergere luce

sanæ

ſanæ doctrinæ, laudis amore calens.
Feſta corymbifero celebrent convivia Baccho,
quos certare ſcyphis dulcis ineſcat amor.
Tu ſpretis illis Phœbo caſtæq; Minervæ
thure litas, memor his artibus aſtra peti.
Quare animo macte & felicibus auſibus iſtis
Dantzmanneô Clarij flos peramate ſoli.
Ulteriùs cœptum laudis decurrere campum
inſta, quo Sophici te vocat aura poli,
Et patriam ingenij clara face colluſtrare,
Sic te expectabit neſcia fama mori,
Atque in propoſito poteris conſiſtere portu,
diraq; fortunæ fulmina reprimere.

φιλοφροσύνης χάριν acclamat

GEORGIUS PANSOVIUS
Stralſundenſis.

COLLEGII PRACTICI GENERALIS
seu ETHICI
DISPUTATIO OCTAVA
DE
LIBERALITATE, MAGNIFICENTIA, MODESTIA & MAGNANIMITATE.

Quam
Auspicio Sacrosanctæ Trinitatis
Et
Consensu Amplissimi Senatus Philosophorum
In
Incluta ad VARNUM Academia
Sub Præsidio
M. JOHANNIS ELERI
Rigâ - Livoni.
Defendendam suscipiet
GEORGIUS PANSOVIUS
Stralsundensis Pomer.
Horis loco & consuetis die 17. Februarij.

Plato *conspicatus juvenem, qui amplum patrimonium abligurierat, & frustum panis in media platea sub vesperam comederet, ait illi:* Si moderatè prandisses, meliùs cœnasses.

Imperator Trojanus *dicere solitus fuit:*
Sicut crescente liene reliqui artus tabescunt; sic crescente fisco Tyranni debilitantur facultates subditorum, *quum has ille diripiat, ut suas augeat.*

ROSTOCHI
Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ. Anno 1627.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0209
DFG

THESIS I.

SEquitur jam *VIRTUS MORALIS respiciens ALIOS*, circa quos honestè nos gerimus seu honestatem exerimus, & quidem *I. In rebus externis*, de quibus præsens aget disputatio. *II. In conversatione*, de qua aget disputatio sequens.

VIRTUS Respiciens alios

I. In rebus Externis.

2. Sunt autem hic *Res Externæ duplices. I. Sumptus*, & quidem *(I.) Modici seu Mediocres & Parvi*, circa hos versatur LIBERALITAS. *(II) Magni seu Majores*, in quibus occupatur MAGNIFICENTIA. *II. Honores* & quidem similiter *(I) Modici seu Mediocres*, circa quos versatur MODESTIA. *(II) Magni seu Majores*, in quibus occupatur MAGNANIMITAS. De singulis breviter præsens disputatio aget.

(I.) Sumptibus.

I. Modica ut LIBERALITAS cujus consideratio.

3. Potest autem hic *LIBERALITATIS consideratio* institui *duplex. I. Nominalis* seu secundum nomen. *II Realis*, seu secundum rem, pro qua Vox Liberalitatis supponitur & accipitur.

4. *Nominalis* consideratio hic *duplex* esse potest. I. Ἐτυμολογία *seu Notatio*, quâ enodatur Liberalitatis *tum* origo, unde vid. deducta sit, *tum* impositionis ratio, cur videl. huic rei hæc vox sit imposita. *Notatio* Liberalitatis *dari solet triplex potissimùm. 1. à subjecto*, quod scil. homine libero dignissima sit, quippe quem maximè benefacere aliis decet, cum eundē à turpissima divitiarum servitute in jucundissimam asserat libertatē. *Hanc Notationem* liberalitatis deductam à libertate *nonnulli probare annituntur (1) ex testimonio Romanorum*, qui artes in liberales & illiberales dispescebant, illasq; liberis, hasce verò servis demandabant suis. *(2) ab æquipollente termino Græco.* Dicitur enim Liberalitas Græcis ἐλευθεριότης,

I. Nominalis, & quidem 1. *Notatio.*

1.

quæ vox deducitur ἀπὸ τῆς ἐλευθερίας seu libertate, quia vid. liberalitas ineſt homini libero & ingenuo. Hinc ἐλευθεριότης opponitur ab Ariſtotele ἀνελευθερία ſeu illiberalitas & avaritia, vide Lexicographos. (3) *ab oppoſito*, vid. avaro, qui divitias non habet, ſed ab eis habetur, neque hæ ipſi, ſed ipſe his inſervit. Unde quia avaritia inducit ſervitutem, liberalitas juxta ipſos reſpicit libertatem, quia oppoſitorum oppoſita ſunt ſtatuenda conſequentia. 2. 2. *ab effectu*, videlicet *a liberando*, quòd liberalis beneficiis ſuis collatis alios à neceſſitate liberet. In hoc enim Liberalitas natura ſua propendet, 3. ut aliorum neceſſitati ſuccurrat. 3. *à forma* ſeu modo, vid. à liberè dando, ita ut liberaliter dicamur dare, quod damus libenter & liberè, ita ut liberum ſit etiam non dare. Quò collineat & Germanica appellatio Freygebigkeit. Hac ratione Liberalitas differt à juſtitia, quæ debitum cuique reddit.

2. Æquivocatio. II. Ὁμωνυμία, *ſeu Æquivocatio, juxta quam liberalitas* bifariam *ſumitur.* 1. *Impropriè, latè & Synecdochicè*, per Synecdochen Speciei pro Genere, quat. Liberalitas ſumitur pro omni virtute, verſante in pecunia quacunq; *vel* eroganda *vel* accipienda. Juxta hanc acceptionem liberalitas includit Magnificentiam tanquam ſpeciem. 2. *Propriè & ſtrictè*, pro Virtute obſervante mediocritatem in opibus & pecuniis (non omnibus, ſed) duntaxat mediocribus. Hoc modo Liberalitas Magnificentiæ contradiſtinguitur, quippe quã exeludit, unde & hîc in ſtricta ſignificatione Liberalitas nunc ſumitur.

II. Realis. *I Abſoluta in qua.* 5. *Realis conſideratio* ſimiliter *duplex* eſſe poteſt. *I Abſoluta*, qua Liberalitas in ſe & ſua natura conſideratur extra collationem cum alio. *II. Reſpectiva*, in qua comparatur cum alio. *Abſoluta* rurſus *triplex* eſt. *I. Definitiva*, qua definitio Liberalitatis explicatur. *II. Objectivá*, qua explicatur ejus objectum, circa quod liberalitas verſatur. *III. Formalis quaſi*, qua exponitur modus ritè circa objectum illud verſandi, qui conſiſtit in legitimis officiis ſeu actibus Liberalitatis.

I Definitio 6. *Definitio* Liberalitatis *hæc eſto: Liberalitas eſt Virtus Moralis ſervans mediocritatem in pecuniis modicis dandis accipiendúq;.* *Hæc* Definitio *reſolubilis eſt in conceptum* duplicem. *I. Latiorem ſeu Genericum*, qui eſt Virtus Moralis, de qua jam egit

egit disputatio §. *II. Strictiorem*, seu specificum quasi, qui *desumitur* 1. *ab Objecto*, vid. pecunia modica. 2. *à formali q. ratione*, vid. ab officiis seu actibus, quibus Liberalitas legitimè versatur circa modicam illam pecuniam, quales sunt mediocris *tum* datio, *tum* acceptio pecuniæ modicæ. De singulis seorsim breviter agam.

7. *Objectum*, circa quod versatur Liberalitas, *duplex* constitui potest. I. *Internum, quod est* intra hominem liberalem, estq. h. l. *Cupiditas seu amor nummi.* Versatur n. Liberalitas circa moderandas cupiditates & voluptates ex sumptibus mediocribus. II. *Externum, quod est* extra hominem liberalem, ut sunt τὰ χρήματα *seu opes*, *quæ considerari* hic dupliciter *possunt (I) Generaliter*, secundum generalia illa, quæ & in Magnificentia dari & considerari possunt. Et tunc absolutè consideratur quid nomine τῶν χρημάτων hîc veniat. *Intelliguntur a. hic per* χρήματα *seu pecunias* (non numi illi signati, quibus in emendo & vendendo utimur, sed) *generaliter omnes res & possessiones, quarum æstimatio & dignitas numo mensuratur ex hominum instituto.* vide Arist. l. 4. Eth. c. 1. Quia a. Numus mensura & norma est æstimationis rerum & possessionũ, *duo de numo hic breviter notentur. 1. Quidditas & Essentia.* Est a. Numus quidpiam rerum utilium, quod homines communi consensu amant, ut sit rerum æstimandarum & permutandarũ mensura quasi. v. g. Aurum & Argentũ sunt instrumenta utilia quibus vestes, cibum & alia vitæ necessaria commutare possumus. *Dixi notanter*, aurum & argentum æstimationem suam possidere (non tam ex substantiæ conditione & nobilitate cum aurum & argentum *vel* sitim *vel* famem sedare nequeant, *vel* cœli injuriam propulsare, ita ut vita sine utroque manere queat, sed) ex communi hominum consensu & opinione, quæ in precio illa habet, & instrumentum commutationum constituit, ceu inter alia patet de numis succedaneis, qui ex aliis metallis cuduntur urgente obsidionis necessitate. Cum enim hi ab omnibus in precio non habeantur, nec alio fine cudantur, quàm ut tam diu q. fidejubeant pro Magistratu, donec veri numi denuò suppetant, non tàm veri nummi sunt, quàm verorum succedanei. 2. *Finis*, ob quem

II. Objectum.
(I) Internum.
(II) Externũ, *quod consideratur.*
(1) Generaliter.
1.
2.

numus est introductus, qui est *ut Numus esset instrumentum æstimationum & commutationum omnium inter cives* Reip. *vel* ejusdem *vel* diversæ præcipuè. Plura de Numo si expetis vide disp. 10. ubi de mensura & norma æstimationis rerum commutandarum agetur. (II.) *Specialiter secundum ea, quæ determinate in Liberalitate considerantur*, quippe *in quæ opes* intenduntur *non absolutè & quævis, sed solum mediocres & modicæ. Esse autem pecunias mediocres objectum legitimum Liberalitatis patet* dupliciter: 1. *ex effectu* vid. *actuum liberalium denominatione & specificatione.* Hinc ita: A quocunq; *tùm* actus liberalis, *tùm* habitus liberalitatis denominatur & specificatur, illud est legitimum formale Objectum Liberalitatis. Atqui à pecuniis mediocrib. honestè & legitimè tractatis, *tùm* actus liberalis, *tùm* habitus ille denominatur & specificatur. E. Pecuniæ mediocres honestè & legitimè tractatæ erunt objectum legitimum, liberalitatis. *Major* patet ex eo, quod habitus & actus habituales specificentur & denominationem suam habeant ab Objecto formali, circa quod formaliter & specialiter versantur, v.g. quia ex legitima tractatione Voluptatum corporearum, ex gustu & tactu provenientium, Temperans quis denominatur & constituitur. Voluptates illæ objectum Temperantiæ rectè dicuntur; Sic quia ex legitima tractatione terribilium fortis quis denominatur, illa Fortitudinis Objectum ritè dicuntur. *Minor* patet, quia nemo liberalis dicitur ex administratione *vel* rerum bellicarum, *vel* voluptatum Corporearum, *vel* honorum, sed duntaxat ex honesta *tùm* erogatione, *tùm* acceptione & conservatione pecuniarum mediocrium. *Dico notanter* liberalem denominari ex honesta usurpatione pecuniarum mediocrium, quia Magnorum sumptuum legitima tractatio ad Magnificentiã pertinet vide th. 15. seq. 2. *ex Opposito* h. m. Prodigalitas & Avaritia versantur circa pecuniam mediocrem. E. & Liberalitas. *Antecedens* patet, quia utrumq; extremum de malo pecuniarum usu accipitur, cum eas injustè *vel* corradimus, *vel* profundimus. *Consecutio* patet ex Canone Philosophico: *Habitus & Privatio sunt circa idem*, ita ut Medium & Extrema

versen-

(1) Specialiter.

1.

2.

versentur in eadem materia. Hinc & alia Regula: *Oppositorum eadem est ratio.* De quo Canone alibi Deo volente fusius agam. Ex hisce patet. Opes & divitias per se malas non esse, cum sint objectum liberalitatis, circa quod Vir Liberalis versatur moderamine prudenti & decenti, de quo thesin seq. vide. NB.

9. *Formalis Ratio* Liberalitatis *consistit in modo legitimè & prudenter versandi circa Mediocres sumtus & Pecunias. Consistit* autem *hic Modus in duplici actu seu Actione* & quidem I. *in DATIONE seu EROGATIONE principaliter. Ut autem hæc Datio seu EROGATIO* legitimè & *prudenter instituatur quatuor* potissimùm hic *attendantur* (I.) *Persona duplex* (I.) *Dantis* h. e. *Principium seu persona illa quæ dat, in qua potissimum animus respiciendus est*, qui sit propendens ad dationem, ita ut liberalis det libentèr & cum animi jucunditate quadam & absq; molestia, *ceu patet* 1. *à testimonio* (1.) *Sacro* 2. Cor. 9. v. 7. Unusquisq; benefactat secundum cordis sui propositum, non ex molestia aut necessitate, nam hilarem datorem diligit Deus, vide & Syrac. 35. v. 11. 12. (2.) *Profano.* Sic enim Xenophon l. 7. ait: Multum & parum in liberalitate non definitur numero, sed facultate dantis & accipientis, itemq; ex animo. Hinc & Philosophorum regula: *Liberalitas non mensuratur* donorum *magnitudine & multitudine, sed habitu animi ejus, qui dat.* 2. *ab exemplo viduæ* Lucæ 21. v. 2. 3. quæ licet duo minuta in gazophylacium injecerit, tamen à Christo præ reliquis omnibus commendatur, quia illa numos istos ex omni penuria sua dedit animo lubenti & hilari. 3. *ab oppositò*, qui enim cum molestia dat videtur invitus dare, unde hujusmodi objectum non censetur liberale sed omnem suam gratiam amittit. Hinc rectè Seneca lib. 2. de Benef. Beneficium ab homine invito & duro profectum est instar panis lapidosi, quem esurienti quidem accipere necessum sit, edere autem acerbum & molestum. Ubi *notes velim*, quod juxta Aristotelem liberaliores illi esse soleant, qui opes suas ab aliis acceperunt, quia promptiori & lubentiori dant animo, quàm illi qui propriis laboribus acquisiverunt. Nam quæ proprio labore

III. Formalis ratio, quæ consistit in legitima. (I.) Dationе *principaliter in qua attendatur.* (I.) *Persona.* 1. Dantis 1. (1.) (2.) 2. NB. NB.

labore & opera molesta acquiruntur, cariora esse solent, unde & majori diligentiâ custodiuntur & conservantur. (II.) *Accipientis* h. e. *Subjectum seu Persona, quæ accipit beneficium.* *Hoc subjectum recipiens* rursus *considerari potest* dupliciter. *1. Generaliter, secundum generales proprietates* requisitas ad receptionem dignam Ethicè, seu moralitèr, *juxta quas persona recipiens sit* (1.) *Indiga*, quæ indiget nostro auxilio & ope. Nam in beneficiorum collatione non tam respiciendum est ad recipientis dignitatem, quàm indigentiam & necessitatem. Hinc nonnulli Ethici censent, *& improbis succurrendum* ac aliquid dandum esse, *si vid. 1. sint indigentes* & magnis cum calamitatibus conflictentur, quia tunc indigentia supplet vicem dignitatis, quod probant exemplo Aristotelis, qui cum aliquando homini egenti sed improbo eleemosynam dedisset, & ab alio reprehensus esset, quod Canonem Liberalitatis violâsset, respondit φιλανθρώπως: se eleemosynam dare non ἀνθρώπῳ, sed ἀνθρωπότητι, h. e. non homini sed humanæ sorti. 2. *Spes emendationis in illis eluceſcat* 3. *Si absq; Reip. exitio & detrimento fieri possit. Aliis improbis ne demus ratio suadet, si vid. sint 1. validi* mendici non ita indigentes ope nostra, cum ignavia servitutis ignominiosæ causa sit. 2. *contumaces* ut de emendatione haud cogitent. 3. *Exitiosi Reipublicæ.* Hinc Aristoteles negat, quod dandum sit plebeis & gregariis passim obviis. vide & Camer. oper. subcis. cent. 1. c. 16. de validis mendicantibus. (2.) *Digna*, Unde potissimum probis, amicis & bene meritis succurrendum est. Hinc illud Senecæ: *Beneficium dando recipit, qui digno dedit.* Ob quam causam pauper probus improbo præferendus est, si utrumq; Liberalitatis dextra provehere non possumus. 2. *Specialiter, quatenus* certi *constitui possunt gradu ratione* determinati *status* specialioris (1.) *Ecclesiastici*, in quo Liberalitatis nostræ subjectum recipiens sunt Ecclesia Dei, & ministerium verbi. Hinc Deus vult homines pro facultatibus aliquid operæ & pecuniæ ad pium conferre usum, ceu patet exemplo Israëlitarum, qui offerebant. 1. pecuniam sacram seu semicyclum sacrum, quem pendebant viritim templo pro animab. suis, Exod. 30.

v. 12.

2. Accipientis. *Hæc persona consideretur.*
1. Generaliter prout est.
(1) Indiga
NB.
NB.
(2) Digna
2. Specialiter.
1.

v. 12. 2. primitias, decimas & alia munera *tùm* legalia seu mandata, *tùm* votiva. (2.) *Politici, in quo ratio* est *habenda. 1. Patriæ & Reipub.* cui quilibet consulat aliquid conferendo ad defensionē pacis, Iudiciorum, Legum & honestæ disciplinæ. Debet enim civis omnia sua civitati, quia quò communior parens est civitas, eò plus colenda est. Hinc tributa detrectare subditi non possunt, cum ejus sit sentire incommodum, qui sentit commodum, oporteatq; sumtus eum facere prius, qui quærit lucrum. De quo in Politicis fusiùs agitur. 2. *Amicorum,* qui maximè juvandi sunt juxta proverbialem regulam: *Amicorum omnia sunt communia:* scil. quoad bona justa, honesta & licita, seu quæ jure & legibus communia esse possunt. Nam *gratificandum* quidem *amicis, sed usq; ad aras.* h. e. quantum sine impietate & scelere possumus, ceu rectè Pericles amico cuidam roganti, ut falsam ejus causam perjurio confirmaret, respondit. Plura de regula hac Practica si expetis, lege disp. 13. 3. *Egenorum,* qui nobis conjuncti sunt societate ejusdem *vel* civitatis, *vel* studii &c. (3.) *Oeconomici,* in quo parentum & liberorum ratio habenda est, quam suadent innatæ storgæ, quarum efficacia vix adumbrari potest, ceu patet ex testimonio Timantis, qui cum in Iphigeniæ immolatione pinxisset tristem Chalcantem, tristiorem Ulyssem, non reperiens quo digno modo patris vultum exprimere posset, velavit ejus caput, & suo cujusq; animo dedit æstimandum. Quintil. 2. Inst. c. 12. Hinc gravitèr D. Paulus 1. Tim. 5. v. 8. ait: *Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem abnegavit, & est infideli deterior.* Nam hujusmodi homo innatas storgas delet, quas non tantum hominum, sed & brutorum animis insculpsit natura. II. *Objectum seu Materia* & Res, *quæ datur & erogatur. Hoc Objectum* hìc *considerari potest* dupliciter (*I.*) *ratione Quantitatis, juxta quam benignitas* non *sit* major justo, sed *proportionalis, ita ut* in datione *adsit proportio determinata* & restricta *ad facultatem dantis,* ne vid. liberalitas excedat facultatem dantis, *ceu patet* (1.) *ab oppositio* vid. excessu, quo aliàs dator, dum aliis est relaxatio, sibi erit oppressio, quod contra & Pauli monitum 2. Cor. 8. vers. 13.

2.

NB.

NB.

3.

NB.

(II.) Objectū, quod consideratur ratione.

1. Quantitatis.

1.

verſ. 3. & Rationem, ſecundum quam *Charitas à ſemetipſa incipit*, quæ hic violaretur, ſi quis plus ac facultates permittunt, erogaret, quia hoc modo opes facilè exhaurirentur. (2) *à teſtimonio* Tob. 4. v. 8. 9. *Prout tibi aderunt in multitudine, facito eis eleemoſynam. Sin parum tibi fuerit, pro paucitate ne metuas facere eleemoſynam.* Ex hiſce patet *error Platonis & Anabaptiſtarum*, qui neceſſariam ſtatuunt in benè conſtituta Reipubl. bonorum communionem, ſeu communem poſſeſſionem. Nam *hujusmodi communio repugnat* (1.) *Ethicæ*, dum tollit liberalitatem Moralem. Ubi enim communis poſſeſſio, ibi nulla indigentia, & per C. nulla liberalis datio & erogatio, quia hæc requirit *tùm* facultatem in dante, *tùm* neceſſitatem & indigentiam in accipiente. (2.) *Politicæ & Reipubl.* quippe cui nociva eſt. Publica enim ferè quisq; curamus propter privata, ut hæc ſalva habere liceat. Aſt in Rep. Platonica cum nemo quicquam privatim poſſideat, nemo quoq; magnâ contentione publica tuebitur, quod ex horum jactura parum ſuis deceſſurum ſciat, ceu illud in Politicis fuſiùs monſtratur. *Addo* litigia & rixas, quæ ex diverſis communicantium ingeniis facilè ſuboriuntur. (3.) *Scripturæ ſeu Salomoni*, qui Prov. 5. v. 16, 17. ait: Spargant ſe fontes tui foràs, in plateis rivi aquarum. *Sint tibi ſoli*, ac non extraneis tecum. Nec *obſtat* communio bonorum in primitiva Eccleſia. Act. 4. v. 32. ubi non quiſq; aliquid eorum, quæ habebat, ſuum eſſe dicebat, ſed erant eis omnia communia. Nam *hæc communio fuit* (1.) *non abſoluta ratione κτήσεως & poſſeſſionis*, quaſi bona illa tranſirent in mancipium alterius; *ſed determinata ratione χρήσεως & nudæ uſurpationis*, quia non tantum venditorum bonorum jus & proprietas manebat penes dominum & poſſidentem, ceu patet ex Actor. 5. verſ. 4. ſed & delectus habitus eſt in diſtributione, c. 4. v. 35. c. 2. v. 44. (2) *Voluntaria & reſtricta ad iſtius temporis ſtatum & conditionem.* Unde & temporaria iſta communio paulatim immutata eſt. Reliqua quæ de jure naturali, quo omnia fuerunt communia antequã jus gentium rerum diviſionem & proprietatem introduxit, objici poſſunt in ipſo conflictu & alibi diſcutiam. 2. *ad neceſſitatem*

2.

Error Platonis.

(1.)

(2.)

(3.)

NB. Objectionis.

Solutio.

2.

fitatem accipientis, ut ei succurratur pro necessitate & indigentia. v. g. Egenus qui magis est, huic plus det præ alio egeno, plus afflicto, quam felici. Hinc Syracides c. 12. v. 1. seq. monet: *Quando benefacis cognosce cui facias, & referetur gratia tuis beneficiis.* Ex hisce patet *error Gnosticorum & aliorum*, qui ex illo Christi Luc. 6. v. 30. *Cuivis* autem *petenti abs te da*, colligebant, cuivis petenti, quicquid etiam à nobis postulet, dandum esse, etiam proximi uxorem de stupro sollicitanti. *Hujusmodi enim absoluta datio* & concessio *adversatur rectæ rationi, honestati & morali bonitati. Unde rectè alij dictum Christi restringunt, tum* ad facultatem porrigentis, scil. ut quis det pro ratione suarum facultatum, *tum* ad necessitatem & indigentiam accipientis, scil. si in licitis petito indigeat accipiens. Unde juxta Ethicos hac in parte Liberalitas justitiæ ministra & observatrix est. *(II) ratione Qualitatis, juxta quam data beneficia sint tum honesta & bona propria*, ne quicquam contra honestatem committatur; *tum accipienti conducibilia*, non noxia, ita ut beneficia accipienti prosint, non obsint. Sic Liberalitas non est, si luxurioso aliquid largiaris ad ingurgitationem; aut si quis adulteræ quid donat ob flagitium committendum, quia hujusmodi beneficentia est inhonesta & accipienti nociva. *Similiter* liberalis non est, si quis de suo non largitur, sed de alieno. v. g. Licet L. Sylla post devictum C. Marium gregarijs etiam militibus maxima dona obtulerit, ut ipsius beneficentia regio victu & cultu ætatem egerint, Salust. in Catil. c. 37. tamen liberalis vel magnificus inde propriè non censetur, quia ea, quæ suis dabat, aliis eripuerat, unde non liberalitas hæc erat, sed saltem pecuniarum translatio à justis dominis ad alienos, ut loquitur Cic. *1.* de Officijs. *III. Circumstantia (I) Loci*, qui honestati in datione correspondeat, ita ut in loco præstentur beneficia, ubi est honestum. *Unde beneficiorum datio institui potest in loco.* 1. *Publico*, si vid. honoris causâ quædâ dantur, ut illa sint quasi testimonia nostræ erga illum propendentis benevolentiæ. 2. *Privato & secretiori*, si vid. gratiâ egestatis sublevandæ quædam exhibentur. Nam *alias parum gratia promereberis* (1) *ratione tui, ut dantis*, quia

Error Gnosticorum.

2. *Qualitatis.*

NB.

(III.) Circumstãtia 1. Loci.

(1) Publici.

(2) Priva.

1.

insolens haberis, & ostentationis gratiâ omnia agis, ceu de Pharisaicâ datione eleemosynarum Christus pronunciat Matth. 6. v. 2. *(2) ratione proximi, ut accipientis*, cui ruborem aliàs & pudorem incutis. *(II) Temporis*, ita *ut datio instituatur.* 1. *tempore justo*, h. e. cum res exigit. 2. *Citò*, absq; procrastinatione & dubitatione, quia tarda beneficia ab invitis proficisci videntur, ideoq; minus grata existunt, ceu testatur Seneca l. 2 de benef c. 1. *Omnis benignitas properat, & proprium est libentis facere citò facere. Tarde velle nolentis est.* Hinc illud proverbiale: Bis dat, qui citò dat, nil dat, qui munera tardat. Et Salomon Proverb. 3. v. 27. 28. ait: Ne cohibeto bonum ab eis, qui opus habent, cum est in potestate manus tuæ efficere illud. *Ne dicito proximo tuo, abi & deinde revertere, cras enim daturus sum.* Quin & liberalis etiam non rogatus beneficium obtrudit pauperi, paupertatem suam dissimulanti, exemplo Arcesilai, qui invisens Ctesibium ægrotantem cùm videret illum in egestate esse, clam cervicali crumenam nummis plenam suppositit. *IV. Finis*, cujus gratiâ datio illa liberalis instituitur, quæ est sola honestas & τὸ ἀγαθὸν, quia id pulcrum & homine ingenuo dignum est. Nam ad honestatem ut cæteræ virtutes omnes, sic & liberalitas tendit. Hinc *liberalis non est, qui beneficia exhibet* & munera largitur. *1. ob spem lucri*, ut, vid. alterum majori dono emungat, *vel* causam in judicio obtineat. *2. ob amorem honoris & gloriæ*, ut videlicet laudetur exemplo Pharisæorum Matth. 6. v. 2. *vel* ad summos honorum gradus evehatur, ceu de Tiberio Graccho legimus. *3. ob metum alicujus damni.* 4. *ob liberationem ab importuna flagitatione*, vid. ut quis ab importunitate flagitantium imposterum sit immunis, *vel* ne nomen avari sortiatur. *5. ob voluptatem*, exemplo Tiberij, qui potatorem reliquos superantem, & totam vini amphoram propinantem, summis beneficijs affecit. II. IN ACCEPTIONE & CONSERVATIONE minus principaliter & secundariò.

2. *2. Temporis.*

(IV) *Finis.*

NB. 1. 2. 3. 4. 5.

(II) Acceptione & conservatione, *de qua* 1. *Modus.*

10. *De hac Acceptione* Viri Liberalis hic *duo* breviter *notentur. I. Modus, juxta quem accipere debet.* 1. *Unde oportet, ut* vid. habeat, quando erogandum est. Hinc non sit procax in

poscendo

poſcendo ab aliis. 2. *Sicut oportet*, ut vid honeſtis & licitis artibus opes ſibi comparet, & rem ſuam familiarem non neglegat, quò virtutem ſuam neceſſitate poſtulante exercere queat. Nam ut vulgò dicitur: *Bonus Servatius præſtare poteſt Bonifacium.* *II. Comparatio cum datione quoad prærogativam & præſtantiam, juxta quam liberalitas magis in dando conſiſtit, quam in accipiendo, ceu patet 1. ex notatione Græca* χρήματων. Cum n. χρήματα ab utendo Græcè vocentur, uſus eorum in dando potiùs & ſumtus faciendo conſiſtet, quam in accipiendo & conſervando, quia accipere & cuſtodire poſſidentis magis eſt quam utentis. *2. ab adjuncta difficultate & laudabilitate.* Quod enim difficilius & laudabilius, illud certè virtuti magis proprium. Jam datio & difficilior & laudabilior eſt ipſa acceptione. E. & virtuti magis propria. 3. *à teſtimonio (1) ſacro*, Act. 12. v. 35. Beetius eſt dare quam accipere. *(2) profano*, Nam Ptolomæus Lagi, Rex Ægypti, dicere ſolitus fuit: Regium magis eſſe divitem facere, quam diteſcere, vide Plutar. in apophth. Ex hiſce ſequitur, *Liberalem non facilè diteſcere*, quia propendet magis ad dandum quàm accipiendum. Quod tamen enunciatum intelligendum eſt *civiliter.*

2. *Comparatio.*

NB.

1.

2.

II. Sequitur jam *Reſpectiva* Liberalitatis *conſideratio, in qua Liberalitas comparatur cum aliis.* *I. Magnificentia, quoad diſcrepantiam mutuam*, vid. *an Liberalitas à Magnificentia differat ſpecie, an verò ſaltem gradualiter* ſecundum magis & minus. *Prius* Aff. Clariſs. Arniſ. lib. 2. Polit. p. 499. & M. Gutk. diſp. Eth. 7. q. 1. ubi tamen *notes* velim, *Specificam hanc diſtinctionem*, (ut fatetur ipſe Gutkius d. l.) *non eſſe exactiſſimam, ſeu in omni rigore termini ſumendam, & Phyſicè intelligendam* de objectis harum virtutum, *ſed Ethicè & moraliter, ita ut major adſit diſtinctio, quam nuda gradualis*, ſeu ſecundum magis & minus, *quod probatur* hoc argumento: *Quæcunq; differunt 1. objecto formali. 2. extremis & vitiis. 3. fine, illa magis quàm gradualiter differunt, adeoq; ſpecie differre videntur.* Atqui Liberalitas & Magnificentia differunt, 1. objecto formali. 2. extremis & vitiis. 3. Fine. E. illa magis differunt quàm gradualiter ſeu ſecundum magis & minus. *Major* probatur (1.) quia ad diſcrimen

II. Reſpectiva, in qua inſtituitur collatio

1. Cum Magnificentia.

ſcrimen ſecundum magis & minus requiritur unitas objecti *tàm* quoad materiale, *quàm* quoad formale ſeu modum conſiderandi, v. g. Scientia eſt habitus per demonſtrationem acquiſitus, ut ſcientia Phyſica, quæ pro ſubjecto habet corpus naturale, quat. tale, & reperitur *tùm* in Ariſtotele, ſed quoad gradum excellentem, *tùm* in ſtudioſo quodam, quoad gradum minorem ſeu minimum. Quia autem utrobiq; datur unum idemq; objectum tam quoad materiale, quam quoad formale, ſeu conſiderandi modum, certè graduale hic adeſt diſcrimen ſcientiæ Phyſicæ, non ſpecificum. (2.) quia ubi diverſa planè extrema & finis, ibi nuda gradualis diſcrepantia adeſſe nequit, *Minor* probatur *membratim*. 1. *de objecto formali* quod in Liberalitate ſunt divitiæ mediocres & privatæ, quibus ſufficit & perſona privata; in Magnificentia autem ſunt divitiæ majores & publicæ, quæ requirunt & perſonã publicam potiſſimùm juxta Ariſt. 4. Pol. c. 2. Iam verò *publica & privata differunt ſpecie, etſi non Phyſicè* & in ſua natura, *tamen Ethicè & moraliter*, dum *Ethici* in hiſce objectis *non tàm attendunt magnum & Parvum*, quod materiale ſaltem hic eſt, & Phyſicam conſiderationem gignit, *quàm Publicum & privatum, quod formale Ethicè conſtituit.* Hinc quia Liberalitas & Magnificentia habent diverſa objecta formalitèr, diverſos actus & perſonas ſeu ſubjecta Ethicè, ſaltem gradualitèr differre non poterunt, cum diverſa interna q. principia hoc modo habeant. Sic *ſimilitèr* Modeſtia & Magnanimitas ſpecie differre dicuntur, non præciſe propter Magnum & Parvum (quia aliàs & in Temperantia hæc diverſitas dari poteſt, ut alia Voluptas ſit magna & parva, neq; tamen inde duæ diſtinctæ ſpecies Temperantiæ dantur) ſed quia honores magni & Mediocres ob rationem publici & privati, quam reſpiciunt formalitèr, in cujuſvis conditionis homines non cadunt; contrà Voluptates magnæ in cujusq, conditionis homines, & quidem κ τὴν ἐνέργειαν, cadere poſſunt. *Dixi notantèr* ſuperiùs de Objecto formali, quia *in Objecto duo conſiderari poſſunt* (1) *Materiale ſeu res ipſa*, & hæc communis eſſe poteſt. Unde ex hoc materiali propter ejus communitatem non ſumitur

NB.

NB.

NB.

sumitur distinctio. (2.) *Formale, seu modus versandi circa illam rem,* qui ubi distinctus est, distinctos gignit habitus & potentias, v. g. licet circa res externas versetur & justitia & liberalitas, tamen propter diversum operandi modum inter se distinguuntur, quum justitia intendat rectam permutationem & distributionem, Liberalitas autem legitimam largitionem. 2. *de Extremis*, quæ in Liberalitate sunt Prodigalitas & Avaritia, in Magnificentia autem Luxus & Sordes, ceu patet ex inferiorib. 3. *de Fine.* Nam Liberalis id unicè spectat, ut prosit & opituletur ijs singulis, quos & egere & dignos esse, quibus succurrat, videt. Magnificus verò non tantum erga alios, & quipem splendidè magis, suam exercet Magnificentiam, verùm etiam erga seipsum, dum magnifica extruit ædificia. Similitèr & magnanimus omnia refert non solùm ad honestatem, sed & ad publicum splendorem, dignitatem ac majestatem tuendam, quod & ipsum simpliciter affirmari de Modesto nequit. Ex hisce patet *error* M. Hermanni *Heltbergij*, qui dis. Eth. 5. cor. 3. nudam gradualem discrepantiam, seu secundum magis & minus saltem, agnoscit inter Liberalitatem & Magnificentiam. II. *Cognatis seu Affinibus*, quæ ex Liberalitate tanquam propagines derivantur, de quibus th. 12. aget. III. Extremis seu *Oppositis*, de quibus th 13.

2. *Error Heltbergij*

12. *Cognata*, quæ ex Liberalitate fluunt, & cum illa cognationem & similitudinem quandam habent, constituuntur ab aliis *duplicia*, ita ut *quædam respiciant πρῶτως.* I. *Dationem, seu Largitionem, qualia* sunt (1.) *Beneficentia*, quæ strictè sumta est Virtus, commovens animum hominis ad benefaciendum cuivis, maledicendum autem nemini. Cum Liberalitate hæc ferè coincidit, differre tamen ab ea dicitur in eo, quod *Beneficentia consistat in operum Collatione. Liberalitas autem in pecuniæ potissimùm usu.* Unde à Rev. & Cla. Dn. D. Jac. Martini præc. meo hon. Eth. lib. 2, c. 8. p. 274. objectum Speciale Beneficentiæ constituuntur bona & officia, quæ aliis communicantur, vide d. l. *Extrema Beneficentiæ* constituuntur *duplicia*, quæ peccant. 1. *In Excessu*, ut *Nimia profusio.* 2. *in defectu*, ut *Malevo-*

2. Cum Cognatis *quæ respiciunt πρῶτως. I. Dationē (1) Beneficentia.*

1.
2.

Malevolentia seu Maleficentia, quæ non tantum nihil aliis largitur, sed illorum quoque commodis obest, ea impediendo, conturbando & destruendo, imò conjunctam habet invidiam, quæ est tristitia de felicitate & bonis alienis. *(II) Hospitalitas*, quæ est Virtus, qua peregrinos & hospites verâ benevolentia & officijs hospitalibus complectimur. Dicitur autem *hospes*, qui est extraneus à domo, sicut advena à civitate, juxta Thomam. Ab hospite hujusmodi dicitur *Hospitalitas*, *de qua* hic tria breviter *notentur*. 1. *Causa Impulsiva, quæ* duplex. (1) *Mandatum* Pauli Rom. 12. 13. Hospitalitatem colite. Hebr. 13: v. 2. Hospitalitatis ne sitis immemores. & Petri 1. epist. c. 4. v. 9. Hospitales sitis erga vos mutuo sine murmure. (2) *Utilitas*, præsertim in excipiendis illustribus hospitibus. Conciliat enim nobis amicitiam exterorum populorum, quæ in casu necessitatis negligenda non est. Hinc Alphonsus Rex eos, qui apud se divertissent, & splendidè excipiebat, & donis magnis prosequebatur pro cujusq; dignitate. 2. *Officia hospitalia*, quæ *triplicia*. (1) *Comis exceptio*, qua comiter hospitem excipimus. (2) *liberalis tractatio*. (3) *tempestiva & amica dimissio*, qua hospitem *nec* intempestivè detinemus, *nec* manere cupientem molestè rejicimus. Hujusmodi actus hospitales habemus in vidua Sareptana, quæ præbet hospitium & victum Prophetæ Eliæ. 1. Reg. 17. Sunamitide, quæ Elisæum Prophetam hospitio excipit. 2. Reg. 4. v. 3. 3. *Extrema*, *quæ peccant* duplicite. (1.) *in Excessu*, ut φιλοξενία *s. Nimia propensio in hospites*, qua promiscuè omnes excipimus, aut sæpius ac necesse est. (2) *in Defectu*, ut Ἀξενία *s. Inhospitalitas*, quæ negat hospitalitatem. Hujus exempla habemus in Succothanis Jud. 8. v. 5. in Nabale. 1. Sam. 25. v. 10. An autem Jahel. Jud. 4, 21. interficiendo Siseram, Principem exercitus Jabin, jura hospitalia violârit, acriter controvertitur. *Verum in decisione rei factum Jahelis considerari debet (non absolutè & præcisè*, sic enim peccasse videretur, sed) *determinatè ratione certi*. 1. *Objecti interfecti*, vid. Siseræ, *qui fuit bannitus Domini*, proscriptus à Deo per Deboram Prophetissam Lapidothanam. c. 4. v. 6. seqq. Unde & contra eum ipsa sidera è suis aggeribus pugnaverunt.

(2) *Hospitalitas.*

1.

2.

3.

(1)

(2)

NB.

c. 5. v. 20. Quando autem Banniti omnium violentiæ expositi sint, nec quisquam amplius fœderibus aut juramentis teneatur eorum defensionem suscipere, in politicis fusiùs docetur. 2 *Efficientis*, vid. *Jahelis, quæ intrinseco & occulto instinctu divino ad hoc factum*, vid. banniti trucidationem, *mota præsumitur, ex subsequenti facti illius approbatione*, facta à Spiritu S. per Prophetam Deboram c. 5. v. 24. & seq. Ex qua consequenti laudatione, tanquam à priori, Theologi colligunt occultum illum impulsum, addunt Jahelem inde astutè sponsionem reticuisse ad stipulationem & postulatum Siseræ. c. 4. v. 20. Plura si expetis ipsos Theologos consule. *II. Acceptionem, qualia* sunt (1.) *Parsimonia*, quæ est virtus res proprias custodiens, & utiliter collocans, vitando sumtus non necessarios, & expendendo tamen, ubi & quantum ratio postulat. *De hac* Parsimonia hic breviter notetur. 1. *Notatio*, juxta quam dicitur *à parcendo*, quia parcens pecuniæ abstinet ab expensione pecuniæ immoderata. Unde *parcus* dicitur, qui frugi est & sumptibus parcit; & *parcitas* idem est quod Parsimonia. 2. *Adjuncta* (1) *Necessitas.* Non enim suppetere possunt facultates, nisi Parsimoniâ asserventur. Hinc rectè Liberalis rem suam familiarem custodit & conservet, quia in civitate & societate humana vivit, ubi rationem habere debet bonæ famæ & familiæ. (2) *Difficultas*, juxta illud Ovid. lib. 2.

Non minor est Virtus, quam quærere, parta tueri,
Casus inest illis, hic erit artis opus.

3. *Oppositio*, juxta quam habet ferè eadem cum Liberalitate extrema, nisi quod Prodigalitati magis adversetur. (II) Αὐτάρκεια, quæ est *virtus* moderans desiderium opum & possessionum, facultatumq; externarum, ut nimirum præsentibus bonis contenti acquiescamus, nec plura quàm pro temporis occasione possidere licet, anxiè desideremus. Keck. syst. Eth. l. 2. c. 3. *De hac* breviter *notetur*. 1. *Adjuncta Necessitas* ob vitiosum desiderium, honoribus plerisq; innatum, per quod semper plura desiderant in fortunæ bonis, quàm in præsenti possident. Hinc rectè Justinianus Imperator dixit: *Multi vitium, nemo satis habet.* Unde certè necessariò Virtus inculcanda

2 *Acceptionem, ut* (1) *Parsimonia, de qua*

1.

2.

3.

(2) Αὐτάρκεια, *de qua.*

1.

culcanda est, quæ hoc desiderium refrenet & moderetur, ut homo præsentibus bonis sit contentus, & placidè paupertatem aliaq; incommoda ferat. *Causam* verò vitiosi hujus affectus in homine *duplicem assignat Keckerm. d. l.* (1) *externorum bonorum naturam & conditionem*, quæ cum secundaria saltem sint bona, sufficienter ac ultimò appetitum humanum non explent atq; terminant. (2) *Exempla divitum hominum*, quæ cum sint sensibilia, vehementer alios incitant ad similis fortunæ possessionum. 2. *Officia, sive partiales actus, qui duplices* constituuntur. (1.) *Opum*, quæ nobis contingunt, *grata acceptatio & usurpatio*, ne dum cum Æsopico cane ampliora & majora captamus, præsentes etiam possessiones amittamus. Nam juxta Democritum: Cupiditate plurium rerum amittuntur præsentes. (2) *Acquiescentia sive quies in facultatibus nostris, tanquam sufficientibus.* Sic *Phocion* acquiescere voluit suis bonis, tanquam sufficientibus. Cum n. centum talenta ab Alexandro ipsi dono mitterentur, Alexandro illa remisit, eoq; demonstrare voluit, se qui tantis non indigeret opibus, opulentiorem esse Alexandro, qui dederat. Nam dives est, qui non indiget superfluis, & homo moderatus paucis est contentus, juxta Syrac. c. 21. Similiter *uxor* hujus *Phocionis*, cum ipsi ornamenta muliebria dono offerrentur, respondit: Ἐμὸν κοσμός ἐστι Φωκίων. Meum ornamentum est Phocion maritus. Vide & scripturam de hac Virtute 1. Tim. 6, 6. 7. 9. Prov. 16, 8. 3. *Extrema, quæ peccant* (1) *in Excessu*, ut πλεονεξία, seu *nimia cupiditas habendi*, qua quis rapitur ut semper plus appetat, quam habet. (2) *in Defectu*, ut *omnis sufficientia neglectus & ignavia.* De hisce Extremis vide Rev. & Exc. Dn. D. J. Mart. Eth. l. 2. p. 283. Keck. sy. Eth l. 2. c. 3. p. 200.

2.

3. Cum Extremis *quæ considerentur* (1) *Absolutè*, 1.

13. *Extrema Liberalitatis considerari possunt dupliciter. I. Absolutè in se & sua natura*, vid. quid & quotuplicia sint. *Sunt* autem *Extrema* tunc *duplicia, quæ peccant* (1) *in Excessu*, ut ἀσωτία s. *Prodigalitas & Profusio*, si scil. *usum opum spectemus*, quod probè nota. Ut enim ipsa Liberalitas consistit in opum legitima usurpatione s. usu, & possessione; Sic excessus

& de-

& defectus in extremis considerari possunt ratione illegitimæ & usurpationis & possessionis. Unde in quantum possessio opum spectatur, excessus est Avaritia, defectus autem Prodigalitas: Contrà si usum divitiarum spectamus, excessus est Prodigalitas, defectus v. Avaritia. Quia autem Liberalitas magis in datione, quam in acceptione & possessione consistit juxta th. 11. & hic Extrema ab Ethicis ratione dationis & usurpationis attenduntur. *Notentur* autem hic *de Prodigalitate tria* breviter. 1. *Definitio*, juxta quam *Prodigalitas est Vitium opes temerè profundens modum excedendo in datione cum impendit ubi & quando non decet, & plura quam decet.* Hinc Prodigalitas ipsi possessori maximè nocet, unde & ἀσωτία dicitur, quia qui hoc vitio laborat, seipsum perdit, dum facultates, quæ instrumenta sunt vitæ sustentandæ, sibi eripit, exemplo filij prodigi, Luc. 15. & Glauci, qui omnes suas facultates exhausit. 2. *Subjectum Frequentius*, in quo hoc vitium frequentius datur, *ut* est *Juvenis.* Est enim *Prodigalitas juvenili ætati per frequens (1) ob judicij imbecillitatem. (2) ob affectuum tumultuantium intemperiem.* 3. *Divisio juxta quam Prodigalitas statuitur (1) Simplex*, quo quis in dando modum excedit, facultates suas in res quasvis etiam futiles & inutiles profundendo sine ullo receptionis desiderio, ita ut nihil recipere velit. *(2) Mixta*, quæ ex aliis vitiis etiam miscetur, ut injuria & aliis, vid. qua quis non solum omnia consumit, sed & aliorum opes suppilat ac suffuratur, ut habeat, quod immoderatè aliis largiatur. Hoc vitium est pessimum. *(II) in Defectu ratione usurpationis opum, ut Avaritia*, quæ est Vitium, deficiens in dando, sed modum excedens in accipiendo & retinendo, nullâ habitâ ratione justitiæ aut æquitatis. Constituitur autem *Avaritia aliàs triplex.* 1. *Tenacitas*, quæ deficit tantum in dando, in accipiendo verò se moderatè habet, dum aliorum divitias non rapit per vim & injuriam. Dicitur hoc Vitium *Tenacitas* per metaphoram mutuatam à rebus viscosis, videl. quod instar rei conglutinatæ pecunia manibus eorum adhæreat, ita ut summa cum difficultate extorqueri queat.

NA

(1)

(2)

(3)

2.

(1.)

(2.) 2. *Turpis quæstus*, qui tantum in accipiendo modum excedit, co- lendo divitias & nummos, per fas nefasq;. Quò referun- (3.) urarios & fœneratores &c. 3. *Illiberalitas strictè & propriè dicta*, quæ in utroq; peccat, & deficiendo in datione, & modum excedendo in acceptione. Ultimum hoc genus avarorum turpissimum est. *II. Respectivè in collatione mutua ad se invicem, quoad pejoritatem, juxta quam Avaritia* (scil. sumta pro illiberalitate strictè accepta) *pejor & deterior est prodigalitate simplici.* (2) *Respectivè* 1. *propter majorem recessum à medio*, à quo magis recedit avaritia, quia nil dat, omnia verò accipit: *Adde* quod illiberalitas cum injustitia sit maximè conjuncta, per- fas nefasq; alterius opes corradens. 2. *propter difficiliorem correctionem* (1.) quia Avaritia plerumq; est senum; vitia autem 2. senum difficultèr corriguntur; contrà Prodigalitas est ætatis juvenilis, quæ, ubi fervor deferbuit & consilium accedit, vitium hoc deponere potest, nec ita alterius opes Prodigalitas simplex concupiscit. (2.) quia homines naturâ ad tenacem- possessionem & retentionem magis propendent. 3. *propter majorem incommoditatem & periculositatem.* (1.) *privatam*, dum 3. avarus multorum opes suppilat, nec tamen sibi vel alii cuiquam benefacit, ita ut rectè dictum sit. Avarum nunquam- benefacere nisi quando moritur, tunc enim hæredib. suis utilis esse incipit, nec tamen quandoq; revera, quia de malè quæsitis non gaudet tertius hæres. *Contrà* Prodigus profusione- sua multos juvat. (2.) *publicam*, Ubi enim Avaritia Remp. occupavit, & eos qui ipsi præsunt, ibi necesse est, & judicia corrumpi & omnia tandem venalia fieri, ut maturè etiam ipsa- Resp. pereat, si emptorem inveniat, sicut de Romana dixerat Jugurtha teste Salustio in Jugurth.

MAGNIFICENTIÆ consideratio. I. Nominalis, *quæ* I. *Notatio.*

14. Sequitur jam *Magnificentia, cujus consideratio similitèr duplex* esse potest. *I. Nominalis* seu secundum nomen. *II. Realis seu* secundum rem, pro qua vox magnificentiæ supponi- tur.

15. *Nominalis* consideratio *duplex* esse potest. *I. Notatio*, qua investigatur vocis istius *tùm* origo, *tùm* impositionis ratio. *Constituitur* autem *Notatio* ejus aliàs secundum duplicem

linguam

linguam *duplex* 1. *Latina*, secundum quam dicitur Magnificentia, ceu cuivis patet, à Magnifaciendo, quia magnos facit sumtus. Unde *ab objecto* hæc Notatio desumta videtur. 2. *Græca*, secundum quam dicitur μεγαλοπρέπεια, ἀπὸ τοῦ μεγάλου καὶ πρέποντος h. e. magno decore, quasi dicas τὸ πρεπὸν ἐν μεγάλοις σώζουσα. Hinc Germani vocant Herrligkeit *II. Æquivocatio, juxta quam Magnificentia sumitur* (I.) *Popularitèr seu generalitèr, & sic transfertur* 1. *ad dignitatem s. honorem*, ut quando Comites & Barones dicuntur magnifici, 2. *ad sermonem*, ut Magnifica oratione persuadere. 3. *ad quodvis autoritatem concilians*, ut magnificꝰ incessus, magnifica facies. (II.) *Habitualitèr & propriè magis*, ut quando sumitur pro virtute decorum in Magnitudine sumtum servante. Et sic nunc sumitur.

1.
2.
2. *Æquivocatio.*
1.
2.

16. *Realis* consideratio rursus *duplex* esse potest. 1. *Absoluta*, qua Magnificentia in se præcisè consideratur extra collationem cum alio. 2. *Respectiva*, qua ipsa consideratur in collatione cum suis extremis.

II. Realis.
I. Absoluta in qua.

17. *In Absoluta* Magnificentiæ *consideratione enodatur* ejus. *I. Definitio*, quæ hæc esto: *Magnificentia est Virtus in magnitudine sumtuum servans decorum honestatis gratia. Hæc* Definitio *Resolubilis* est *in conceptum* (1.) *Latiorem*, qui est Virtus. (*II.*) *Strictiorem*, qui desumitur. 1. *ab objecto*, vid. sumtuum Magnitudine. 2. *à modo*, vid. decori observatione. 3. *à fine*, vid. honestate. Magnificus enim cum maxima animi voluptate unicè cogitat, qua ratione pulcerrimum decorè efficiatur opus, non tàm intendit, quanto sumtu indigeat. Unde nominis famæ prospicit, ut vivat post funera virtus. *II. Modus qui consistit in decoro, continente normam prudentiæ*, quæ cum imperium tenet in omnes virtutes, maximè in hanc ipsam, *dum monstrat, quo animo & quib. circumstantiis sumtus magni decorè sint, faciendi, ut respondeant.* 1. *Personæ*, quæ sumtus facit. *Hæc considerari debet ratione* (1.) *Fortunæ*, ut vid. sit dives non pauper, (2.) *status conditionis* ac dignitatis, ut vid. *persona magnifica* sit *generis splendore, excellens & in dignitate constituta*; Unde hæc Virtus principib. & Magnatib. cum primis digna, quippe qui

1. *Definitio.*
1.
2.
2. *Modus.*
1.
(1.)
(2)

ideò in imperio sunt & inter mortales eminent, ut multis benefaciant, sicut Aristoteles ad Alexandrum scripsit, unde & *hîc gloriari solebat â nullo se beneficiis victum*. Hinc licet idiotis & plebeis amplæ sæpè non desint opes, tamen cum in ipsis desideretur & animus & dignitas status, hoc titulo nequaquá

2. insigniuntur. 2. *Operibus*. Nam Magnificus sumtum magnum concinnè & decorè facit in res illas, quæ magno sumtu indigent. Unde non temerè in res quasvis impendit sumtus, sed in res honestas, utiles & diuturnas. Hinc in magnis sumtib. modis observetur ratione tum personarum, tum operum in quæ fiunt. III. *Objectum*, circa quod versatur Magnificus, sta-

3. *Objectũ quod* tuitur *duplex (I.) Sumptus ipsi* qui rei vel operi impenduntur, & hi magni sint. *(II) Opus sumtuosum & Magnificum, quod & personæ & sumtuum magnitudini respondeat*, adeò ut, nemo

(1) *Sumptꝰ* (2) *Opus.* ijsdem sumtib perfectius & splendidius opus efficere possit. Si enim in alterutro hîc peccatum fuerit, neq; opus propriè magnificum, dici meretur, neq; persona, quia decorum non servat. Constituitur autem *Opus Magnificum duplex, 1. Publicum, quod* publicum respicit commodum. Estq, (1.) *Ecclesiasticum s. sacrum*, quod in honorem rerum divinarum impenditur, ut sunt templorum exstructiones, anathemata sive donaria templis consecrata, collegia &c. Hujusmodi Magnificentia fuit *Salomonis* in templi Hierosolymitani exstructione 1. Reg. 6. & *Constantini* Imperatoris apud Nicephorum, l. 7. c. 49. seq. Sic & excellentiores stipendiorum largitores Ma-

(1.) (2.) gnifici dicuntur. (2.) *Politicum s. Civile & Profanum*, quod in Reip. utilitatem impenditur, ut sunt exstructiones, Civitatum, & publicorum ædificiorum, theatra, portus & viæ publicæ, aut quæ aliis usus publicus requirit, ut sunt epulæ universo olim populo datæ, aut pecuniæ, viritim divisæ, aut cum paupertas hominum tenuis fortunæ sublevatur. Hoc nomine commendatur *Augustus* Imperator, qui Romam usq; adeò totâ vitâ sua ornavit, & inundationib. & incendijs obnoxiam excoluit, ut gloriaretur marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset. Suet. in Aug. c. 28. Sic *Cimonem*, Athenien sem Miltiadis filium semper pedissequi cum nummis

seque-

sequebantur, ut si quis opis ejus indigeret, haberet quò statim daret, ne differendo negare videretur, vide Æmil. Probum in vita ejus. 2. *Privatum*, quod ipsum Magnificum & suos spectat, ut sunt Nuptiæ, splendida convivia & propriarum ædium splendidarum exstructiones. Ubi tamen *nota* Magnificum non tàm in se quàm in alios, & quæ ad communionem pertinent, sumtus facere. 2.

18. *Respectiva* Magnificentiæ *consideratio respicit ejusdem collationem cum suis oppositis, quæ peccant* dupliciter *1. in Excessu, ut* βαναυσία *seu LUXUS & inepta Magnificentia, quâ modus* in sumtu faciendo *exceditur*, quod contingere potest *triplicitèr, vid. ratione. 1. formæ & modi*, quando sumtus magni fiunt contra decorum, v. g. si Nosocomium marmore quis sternat, aut equis induat aureas soleas, aut coquos purpura vestiat. Sic *Nero* aurato reti piscabatur purpura coccoq; funib. nexis, & nunquam minus carucis mille iter faciebat. Dio lib. 6. 2. *Materiæ & objecti*, quando res & facultates magnæ impenduntur in res inutiles, futiles & lubricas. Sic C. *Caligula* Imperator in histriones, gladiatores & res similes non toto vertente anno omne illud absumsit, quod moriens in thesauris reliquerat Tiberius, sive ad vicies septies millies H. S. h. e. ineunte rationes Lipsio ultra sexaginta sex milliones & quinquaginta millia Philippicorum, ut tradit Suetonius in vit. ejus c. 37. *vel* ut vult Dio Cassius l. 59. ad ter & tricies millies, h. e. octoginta milliones vide Cl. Horn. Eth. l. 3. c. 7. p. 402. ubi & plura exempla luxus invenies. 3. *Finis* quando solius ostentationis gratia sumtus magni profunduntur. *II. In Defectu ut* μικροπρέπεια, *seu sordities*, quando *vel* in res magnas minimus sumtus impenditur, *vel* etiam ex re turpi lucrum percipitur. Hoc nomine malè audijt Fl. Vespasianus Imperator qui non tantum nova & gravia tributa provincijs addidit, sed & negociationes, etiam privato pudendas, propalàm exercuit. Sueton. in vit. ejus c. 16. & 23. *II. Respectiva, in collatione cum oppositis.* I. (1.) (2.) (3.) 2.

19. Sequuntur jam *Virtutes Morales moderantes motus affectuum circa honores*. 1. *Mediocres* seu Modicos ut MODESTIA. 11. *Magnos* seu Majores ut MAGNANIMITAS. *MODESTIÆ consideratio.*

20. MODE-

I. Nominalis, quæ

1. Notatio.

1.

2.

2. Æquivocatio 1.

2.

(1)

(2)

II. Realis.

(1) Absoluta, in qua

1 Definitio

2 Subjectum

(1) inhæsionis.

(2) Tractationis seu objectum.

1.

(1)

20. *MODESTIÆ Consideratio* duplex esse potest. *I. Nominalis*, seu secundum nomen ac vocem. *II. Realis*, seu secundum rem, pro qua vox Modestiæ supponitur.

21. *Nominalis* consideratio hic esse potest *duplex*. *I. Notatio*, in qua vocis istius *tum* origo, *tum* impositionis ratio declaratur. *Derivatur autem Modestia* juxta nonnullos *dupliciter*. 1. *à modo*, quam in honoribus statuit Modestia. 2 *à modico*, juxta Varronem, quia circa Modicos honores versatur. *II. Æquivocatio, juxta quam Modestia sumitur. 1 Naturaliter seu Dispositivè* pro naturali pudore seu Verecundia, insita homini circa honores. Et sic sumit Cic. 2. offic. 2. *Habitualiter* pro habitu quodam moderante appetitum. *Et sic* Modestia *rursus supponitur* dupliciter (1) *Impropriè & Synecdochicè*, per Synecdochen speciei pro genere, quat. Modestia sumitur generaliter pro habitu moderante appetitum circa res jucundas & lætas, præsertim gestum & vestitum corporis. (2) *Propriè & strictè magis pro habitu* moderante appetitum circa honores mediocres. Et sic h. l. sumitur.

22. *Realis* consideratio *duplex* esse potest. *I. Absolnta*, qua Modestia præcisè in se & sua natura consideratur, extra collationem cum alio. *II. Respectiva*, qua comparatur cum aliis.

23. *In Absoluta* consideratione *notetur Modestia. I. Definitio*, quæ hæc esto: *Modestia est Virtus in modicis & debitis honoribus mediocritatem servans honestatis gratiâ.* Hujus definitionis explicatio ex sequentibus patebit. *II. Subjectum* (1) *inhæsionis*, ut Appetitus. Hinc Modestia dicitur esse in appetitu inhæsivè, in verbis autem & factis συμβολικῶς seu Repræsentativè. *(II) Tractationis seu objectum ut Honor, qui considerari hic dupliciter potest. 1. Generaliter* secundum communia ea, quæ & in Magnanimitate de ea considerantur. *Et tunc Honor considerari potest in duplici sensu comparativo, vid. in collatione* (1) *cum Gloria, quoad majoritatem.* Nam licet Gloria magna sit, tamen honor major dicitur, quia *Gloria* solùm est opinio concepta de aliquo, quod sit vir præstans virtute; *Honor* vero est signum hujus opinionis, erumpens ad extra, ita ut differant

rant tanquam signum & signatum. Quare qui honorem habet, gloriam quoq; habet, h. e. opinionem aliorum; non verò contrà, qui gloriam habet, necessariò habet & honorem, quia ego intrinsecè opinari possum virum aliquem esse præstantem, ut tamen hanc meam opinionem extrinsecè non ostendam signo aliquo exteriori. Unde licet ejusmodi homo sit gloriosus in opinione mea, tamen non habet apud me honorem vide Accoramb. p. 285. *(II) Cum Virtute cum qua Honor comparari potest dupliciter* (1) *objectivè*, quatenus est objectum, circa quod Virtus quædam occupatur moderando affectus, ut legitimè honorem concupiscant. Cum enim appetitus honores affectare potest plus vel minus justo, certa requiritur Virtus, quæ illum mediocritatem servare doceat. Hoc modo honor hic intelligitur. 2. *Effectivè*, *quatenus à virtute ut causa fundamentali sua provenit*, & sic Honor Virtutis præmium dicitur ideò, quia est signum benefactricis opinionis, quo homines se opinari ostendūt, quod ille, qui honoratur, possit benefacere, adeoq; Virtute præditus sit, *Ratio* est, quia qui aliis benefacit re vera, virtute præditus est, cum virtus versetur potius in benefaciendo alij quam sibi. *Erit* itaque *Honor præmium Virtutis eatenus, quat. homines honore tanquam signo ostendunt se hunc vel illum honorare propter opinionem, quam fovent de ipsius Virtute, & consequenter de vi ipsius benefactrice.* Ex hisce patet etiam *limitatio* triti Canonis: *Honor est honorantis, non honorati, 1.* Eth. c. 5. *ita ut Canon intelligendus sit* (1) *significativè & testificativè*, ita ut in honorantis potestate sit & opinio benefactrix, seu affectus interior, quat. opinatur hunc Virum esse virtuosum seu præstantem & propterea honore dignum; & exterior testatio seu significatio suæ interioris opinionis s. affectus, quem extrinsecè declarare potest *vel* verbis *vel* gestibus. Cum autem hanc externam significationem honorans liberè *vel* exhibere potest, *vel* omittere propter invidiam seu periculum, rectè ipsius honorantis honor dicitur non honorati. Unde minus honoratio ista est in potestate honorantis quam honorati, quippe cui debitū honorē pro lubitu ille denegare potest, ceu

(2)

NB.

NB.

patet ex querela Christi Matth. 13, 57. *Non est Propheta inhonoratus nisi in sua patria & domo sua.* Unde virtuosus licet sit semper honorabilis, non tamen honoratur semper. *Addo* honorē quandoq; immerito & indigno tribui. (2) *non a. objectivè seu terminativè & fundamentaliter,* quia illa honoratio inhonorato terminatur, tanquam in legitimo suo objecto propter virtutem quam possidet, quippe quæ causa est, cur hæc persona honoretur, cum Honor Virtutis præmium sit. Hinc Ethici dicunt. quod is, qui denegat virtuoso debitum honorem, illum ipsum injuriâ aliquâ afficiat, quia qui honorē, tanquam virtutis præmium denegat, negat etiam virtute præditū esse, & consequenter eundem aliqualiter inhonestatis arguit.

NB.

2. 2. *Specialiter*, prout Objectum est Modestiæ, *& sic* specialiter hic *requiritur Honor* (non quivis absolutè consideratus, sed) *Mediocris & Modicus.* III. *Modus seu Partiales actus*, quibus Modestia circa Mediocres honores legitimè versatur, *qui quadruplices* constituuntur, *videlicet legitima.* I. *Appetitio, quæ respiciat* (1) *causæ dignitatem*, videlicet ut honorem appetamus ex re, quæ digna judicatur honore, ut sunt benè administratata Resp. honestæ militiæ, virtutis bonarumq; artium studium, &c. (2) *Objecti* h. e. *ipsius honoris petiti proportionem, seu proportionalem quantitatem,* videlicet ut ejusmodi saltem expetamus honores, quos Virtus, doctrina & facta nostra exigunt. Sic Bias cum ipsi piscatores tripodem aureum offerrent, cum hac inscriptione: *Sapienti deferetur,* eum admittere detrectavit, solum dicens Apollinem esse sapientem. (3) *qualitem ipsius actus appetendi*, videlicet ut modestè non ambitiosè honores appetamus. Etenim qui invitis defertur honos, is demum solidus & perpetuus censetur, ast qui se ipsos ingerunt ut creentur, suspectæ fidei sunt. Quæ tamen verba ita intelligenda sunt, ne moderata honoris cupiditas excludatur. Ubi *notes* velim axioma Ethicum: *Honorare est melius, quam honorari, quod* scilicet *intelligendum de honorum distributione*, qua superior dicitur honorare inferiorem, ipsi tribuendo honores & privilegia, *non a. de virtutis testificatione*, qua inferior superiorē honore afficit.

3. *Modus ut legitima.*

[1] *Appetitio 1.*

2.

3.

NB.

2. *Acqui-*

2. *Acquisitio, quæ respiciat media legitima, non illegitima.* Non enim per mala licet ire ad bonum finem. Unde modesti non sunt, qui vi, fraude, metu, crudelitate, largitionib. aut calumnijs honorem consequuntur· *3. Terminatio appetitus, seu Acquiescentia*, vid. ut acquisitis contenti simus, nec nobis altiora quæramus, migrantes ex vocationis nostræ cancellis, & stulta sapientiæ persuasione supra vires nos efferamus. Hinc rectè Apost. Paulus monet Rom. 12. Nemo sapiat supra quam oportet, sed sapiat ad modestiam. 4. *Conservatio & defensio legitima honorum adversus sycophantarum morsus.* Defensio enim sui est naturalis. Unde quemadmodum vim vi repellere licet legitimis modis & rationib. sic & injuriam propulsare licitum est. Cur autem Honoris comes invidia sit, rationem desumunt ex ejus præstantia, quam invidia arrodere cupit.

(1) *Acquisitio.*

(3) *Appetitus terminatio.*

(4) *Defensio.*

24. *Respectiva* Modestiæ *consideratio* est, *qua ipsa comparatur cum aliis* & quidem *1. Cum Magnanimitate, quoad mutuam discrepantiam*, secundum quam Modestia à Magnanimitate differt plus quàm gradualitèr, ad modum specifici discriminis, *Dico* notanter ad modum specifici discriminis, quia terminus specificæ discrepantiæ in summo rigore urgeri hic non potest, vid. & thes. 11. & Rev. atq; Cl. Dn. M. Keslerum, Amicum meum honor. in disp. de Magnanim. mem. 3. q. 7. ubi ex Thoma secundæ 2 q. 129. ar. 2. aliam adhuc adfert rationem. *II. Cum Oppositis seu Extremis quæ peccant.* 1. *in Excessu, ut* Φιλοτιμία *seu Ambitio*, qua homines, omni carentes Virtute, honorari volunt, & ubivis partes tenere primas. 2. *in Defectu, ut* Ἀφιλοτιμία *s. Honorum Abjectio*, qua honores debiti contra rectam rationem repudiantur. *Hæc* esse potest *duplex* (1.) *Pura* ut Levitas. (2.) *Affectata*, quæ consistit in nimia donorum suorum extenuatione & honorum detestatione. Hoc modo *Carolostadius* honore & titulo Doctorio, quem meruerat & impetraverat, se postmodum abdicavit. Sic & honores omnes rejiciunt *Anabaptistæ*, quæ omnes homines eodem censu haberi volunt, ideoq; Magistratus & Academicos honores contemnunt. Contra hos hic brevitèr

(II) *Respectiva, qua Modestia comparatur.*

1. *Cum Magnanimitate.*

2. *Cum Oppositis.*

1.

2.

(1.)

(2.)

NB. notetur illud, quod *æqualitas honoris non possit introduci ideò*, quia alias æqualis deberet esse virtus, quod tamen ob diversitatem ingeniorum humanorum fieri non poterit; *Ratio* patet, quia ubi æqualis effectus, h. e. honoratio, ibi & eadem causa. h. e. Virtus, quia Virtutis præminm est Honor. *Adde* & ipsam *scripturam* honorum distinctionem laudantem 1. Tim. 5. 3. 17. c. 3. 2.

MAGNANIMITATIS consideratio.

25. De MAGNIMITATE breviter *duplex* instituatur *consideratio*, *I. Nominalis. II. Realis.*

I Nominalis quæ.

26. *Nominalis* rursus *duplex* sit. *1. Notatio*, *juxta quam Magnanimitas deduci solet à triplici magnitudine.* 1. *Subjecti*, vid. *animi*, quoniam ad illam magnus requiritur animus & Cor excelsum plenumq; spiritus ac caloris. Hinc & ab Aristotele dicitur 4. Eth. c. 7. μεγαλοψυχία. 2. *Objecti*, vid. honoris, quia versatur circa honorem magnum, qui bonorum omnium est maximum. Unde Magnanimitas ex suo nomine importat quandam animi extensionem ad magna. 3. *Effecti seu actus*, qui exercetur. Nam Virtus hæc excellens quid habet, & reliquas virtutes splendidiores reddit, vid th. 29. Unde in magnanimitate concurrit triplex magnitudo, vid. animi, objecti & actionis. *II. Æquivocatio, juxta quam* Magnanimitas *sumitur 1. Generaliter*, pro quavis excellente virtute circa magna & ardua versante. Hoc modo Magnanimitas sumitur *tùm* pro fortitudine, quia in summus periculis magnus requiritur animus, *tùm* pro Magnificentia, quia & magnus animus in gratificando requiritur. 2. *Specialiter & strictè* ex mente Aristotelis pro spicialiori Virtute, circa honores magnos versante. Et sic nunc sumitur.

1. Notatio.

2. Æquivocatio.

1.

2.

II. Realis.

27. *Realis* Consideratio *duplex* esse potest. *I. Absoluta*, qua Magnanimitas in se absolutè consideratur. *II. Respectiva*, qua comparatur cum suis Oppositis.

[1] Absoluta in qua

28. *In Absoluta* Consideratione *notetur Magnanimitatis.* I. *Definitio*, quæ hæc esto: *Magnanimitas est Virtus, quæ mediocritatem respicit in magnis & debitis honorib. moderatè expetendis. II. Objectum*, circa quod magnanimitas versatur. Hoc *duplex* alias constituitur, 1. *Generale*, quod est omne magnum in-

1. Definitio.

2. Objectū *quod*

[1.] *Generale.*

in reb. & actionib humanis, quodq; animũ requirit magnũ, & constituitur ab Ethicis quod in unaquaq; virtute est magnũ & excellens. Generale hoc objectũ ideò constituitur, quia Magnanimus in genere circa quævis magna rectè se gerit. 2. *Speciale*, circa quod Magnanimitas specialitèr versatur, ut *Honor magnus*, qui ideò specialitèr Magnanimitatis objectum dicitur, quia inter externa bona censetur maximum. (1.) *quia ille tribuitur ipsi Deo* & qui Dei vicẽ gerunt. (2.) *quia honor optimum & præcipuum præmium Virtutis est*, quod optimè & præclariss. meritis in Rep. decerni solet. III. *Officia seu Actus* Magnanimitatis, qui pro duplici objecto *dupliciter considerantur*. (1.) *circa Honores Magnos. Et tunc triplices* ejus *actus constituuntur*, vid. *Honorum* illorum *legitima. I. Appetitio, quæ sit 1. moderata*, h. e. ut Magnanimus honores appetat moderatè, tanquã virtutis suæ debitum, non tanquam res planè novas & insolitas. 2. *Proportionata* (1.) *suis factis virtuosis*, h. e. *ut Magnanimus appetat honores magnos, factis suis proportionatos*, non majores quam quib. dignus est, *exemplo Pompeij*, qui cum in Lybiam adversus Domitium transiisset, eumq; ingenti prælio superasset, militib. Imperatoris titulo ipsum consalutantib. negavit se honorem eum admissurum, quam diu hostium vallũ staret erectum. Quo audito, licet ingens obstaret pluvia, summo impetu hostium castra adorti sunt & expugnârunt. (2.) *statui & bono publico*, h. e. *in quantum status & bonum publicum vel admittunt, vel exposcunt*. Magnanimus n. in postulandis istis honorib. bonum publicum, ut finem, respicit, ob quam causam non est æquo avidior, ne contra publicam utilitatem appetendo feratur. Imò pro ratione publicæ utilitatis neq; minores, ac par est, honores expetit. Ex hoc fundamento *Politici monent, Filium in publica dignitate & autoritate constitutũ Patri tanquam privato præferendum esse*, scil. *in locis & munerib. publicis*, quat. publicam personam, in qua volvitur autoritas totius Reip., repræsentat, *quod probatur argumento duplici*. 1. *Quicunq; præficitur toti secundum omnes partes, illi quælibet pars debet obedire*; Atqui Filius in dignitate constitutus præficitur toti Reip. secundum omnes partes, quæ sunt cives quilibet ex quibus Resp. est conflata. E. illi obedire debet quælibet pars istius,

(2.) *Speciale.*
NB.
1.
2.

3. Officia seu Actus.
1. *circa Honores magnos, ut est legitima.*
(1.) *Appetitio.*
1.
2.
(1)

(2)

NB.

(1.)
NB.

istius Reip. Et per C. etiam pater privatus præstare tenetur
(2.) quod alij. 2 *Personæ publicæ autoritas semper illibata esse debet.* Jam Filius est ejusmodi persona publica. E. *Major* patet ex opposito. Quando n. contrarium accidit, tum damnum & vis infertur isti Reip. Hinc rectè *Fabius Gurges* cum consul esset, & patrem Proconsulem sibi obvium haberet, jussit patrem equo descendere, & pro more peditem ad consulem venire. Plut. in Fab Max. Hunc postea laudavit optimus pater hortatus ut istac autoritate pergeret autoritatem populi Romani tueri. *Dixi notanter in locis & muneribus publicis* illud observandum esse, quia in privatis & domesticis contrarium valet, tunc n. filius quà talis parenti non præfertur, quippe qui ipsi tunc præest. Unde illud jus domesticum in privatis observari debet nõ negligi. *II. Acceptatio, qua Magnanimus accipiat honores* veros
(2.) *Acceptatio.* *à viris magnis & probis,* non a. à plebeis & improbis. Magnis n. se & sua probari cupit, quippe qui virtutem æstimare possunt; minutos contrà honores vel magnos à quibusvis hominib. delatos negligit, perinde atq; Alexander M. edixisse traditur, ne quis ipsum alius quàm Apelles pingeret, quàm Pyrgoteles sculperet, quam Lysippus ex ære duceret. Pli. l. 7. c. 37. Magnanimæ hujus Acceptationis exemplum celebre habemus *in Pompejo* apud Plutarchum in Apophtheg. cui cùm triumphus à Quintilio Servilio, inter optimates claro, & à militib pecuniam se direpturos minitantib. denegaretur, & Servilius Glauciaq; suaderent, ut eam potiùs inter milites divideret, quàm diripi sineret, respondit Pompejus, se citiùs omissurum triumphum, quã militib. blanditurum, simulq; laureatos fasces objecit, ut inde direptionẽ inciperent: Quo viso, inquit Servilius, te Ppmpei verè Magnum video, dignumq; triumpho.
(3) *Conservatio & Defensio.* *III. Conservatio & Defensio contra aliorum obtrectationes,* quas susq; deq; habeat, quoniam se omnib. calumnijs per virtutem superiorem judicat. Hinc *Magnanimus injuriarum recordari*
1. *non debet.* 1. *Levium,* quæ hominis famam aut existimationem non tollunt, seu imminuunt. *Harum n. recordari non*
(1) *debet, sed illud cogitare: Quid si etiam asinus me recalcitraret. Ratio* desumitur [1.] *ab officio viri prudentis & magnanimi,* quod est in rebus & secundis moderatè se gerere, ne animus efferatur, & adversis non frangi, seu animum abjicere.

Ast

Aſt qui injuriarum levium recordatur cum officio viri prudentis pugnat. (2.) *ab oppoſito* vid. imbecillitatis vitio, cujus propriū eſt ex privato odio injuriam ulciſci velle. E. Magnanimi erit ſeipſum vincere, & affectus cohibere in perferēda injuria. Laudabile eſt exemplum *Socratis*, cui cum quidā malè loqueretur, dixit: *quid mirum tum benè loqui non didicerit.* De hiſce injurijs non-famoſis notetur & tritum illud, *Conſcia mens recti ridet mendacia fama.* 2. *non a famoſarum*, quæ famam imminuunt, ejuſq; jugulum petunt. *Hujusmodi famoſas injurias vir Magnanimus ferre non debet*, ſed juſto & legitimo modo vindicare, juxta illud: *Omnia ſi perdas famam ſervare memento.* (1) quia fama cariſſima, juxta illud: *Vita & fama pari paſſu ambulant.* (2) quia alias homines eaſdem injurias inferentes confirmarentur in malitia ſua, & tandem nunquam maledicere deſinerent. *(II.) Circa alias Virtutes* in quarum cultura id, quod magnum eſt, magno animo verſetur.

(2)

2.

2. Circa alias virtutes.

29. Et tunc *Magnanimus*. 1. *in Fortudine* non niſi honeſtis & neceſſarijs periculis ſe objicit, & in quibus ſingulariter Virtus ejus ſplendeſcere poteſt. 2. *in Liberalitate* plura dat quàm accipit, in accipiendo tardus eſt, in renumerando magnificus & promtus. 3. *in Juſtitia* non eſt πλεονέκτης, nec bonorum fortunæ gratia cuiquam facit injuriam. 4. *in Humanitate & congreſſu familiari* perſonarum habet rationem. 5. *in Veritate* apertus eſt, nihil diſſimulans, ſed in amore & odio apertus eſt, metuere enim videtur, qui hæc diſſimulat.

(II) Reſpective, qua Magnanimitas comparatur cum oppoſito.

30. *Reſpectiva conſideratio* eſt *qua* Magnanimitas *comparatur cum oppoſito*. 1. *Opinativo ſaltem, & ex mente nonnullorum* eorum Politici ordinis, *qui ſtatuunt Magnanimitatem & Chriſtianam humilitatem pugnare tanquam* συναδύνατα, ſ. incompoſſibilia. Ut a. conſtet, quomodo Magnanimitas cum Chriſtiana Humilitate non pugnet, ſed potiūs conſpiret, *notetur quod Magnanimus conſiderari duplicitèr poſſit*, vid. *tanquā perſona* (1) *Privata*, h. e. prout Chriſtianus eſt, & reſpectu Dei atq; in foro ſpirituali conſideratur, & ſic ratione ſuorum defectuū humilis eſſe debet, & infirmitatem atq; indignitatem ſuam confiteri, juxta monitum Petri 1. ep. 5, v. 6. *Humiliamini vos ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet ſuo tempore. Ratio* deſumitur

1. Opinativo ſaltem.

ex

ex summa distantia finiti ab infinito, ob quam in collatione ad Deum nullus magnus s. magnanimus esse potest, ita ut qui in conspectu Dei sibi aliquid tribuere vellet, summè superbus dici deberet. *(II) Publica*, h. e. prout est Politicus, & in foro Politico consideratur respectu aliorum hominum. Et sic jure & meritò propter virtutis suæ excellentiam se dignum judicat magnis honoribus, eosq; tanquam benefactorum præmia moderatè appetit. Hoc modo considerata Magnanimitas non pugnat cum Humilitate Christiana, quia est Virtus, ceu probat Clar. Gutk. disp. 8. q. *1. II. Vero & legitimo*, quod ex rei veritate cum Magnanimitate pugnat.

2. *Vero & Genuino, quod consideratur*

31. *Verum & Genuinum hoc oppositum considerari potest* dupliciter. *I. Absolutè* vid. quid & quotuplex sit. *Est a. Oppositum illud Extremum duplex*, vid. *peccans* [I] *in Excessu, ut Fastus & Superbia*, quæ est vitium in magnis honoribus modum excedens, dum eo honore se reputat dignum, quo dignus non est. Exemplum superbiæ habemus in *Herode* Act. 12. Hujus superbiæ breviter hic notetur. 1. *Radix*, quæ est vana præsumtio de Virtute. 2. *Fructus, qui est (1) Ostentatio* & jactantia in verbis. *(2) Immoderatus gestuum habitus. (3) Vestitus ineptitudo. (4) Aliorum contemtus.* 3. *Adjuncta vitiositatis magnitudo* dum superbus peccat (1) *in se*, plus, quam par est, sibi tribuendo. *(2) In alios*, eos præ se contemnendo. 4. *Species. Est n. Superbia* (1.) *Stulta & Rustica seu Inepta*, quæ adjunctam habet incivilitatē, qua quis superbire conatur, destitutus omnibus donis corporis & animi. Dicitur *Germanis* Bawrstoltz/Grobstoltz. (2) *Jactabunda & Aulica*, quæ quodammodo adjunctum habet gestuum civilitatem, quæ in horam minitatur ruinam, quemadmodum solet fieri in aulis, unde & *Aulica* dicitur Hoffstoltz. [II.] *in Defectu ut Pusillanimitas seu Abjectio animi*, qua homines ijs honoribus se indignos judicant, qui tamen virtuti & meritis eorum debentur. *Pusillanimes* hujusmodi *peccant*, 1. *in ipsam virtutem*, quam debito præmio privant. 2. *in se ipsos*, dum malam de se suspicionem apud alios excitant. 3. *in Deum*, dum non agnoscunt dona à Deo concessa. *II Respectivè, quando* duo illa Extrema ad se invicem *comparantur, quoad prioritatem Et tunc Pusillanimitas censetur deterior ratione* 1. *finis Reip. quia ipsa reddit homines Reip. inutiles.* 2. *non a. causæ & effecti primi, quia superbia est à Diabolo, & protoplastas seduxit.*

[1] Absolutè *& tùc peccat.*

(1) in Excessu, ut Superbia,

(2) in Defectu, ut Pusillanimitas.

[2] Respectivè.

COLLEGII PRACTICI GENERALIS
seu ETHICI
DISPUTATIO NONA
DE
VIRTUTIBUS HOMILETICIS, vid. HUMANITATE, URBANITATE, VERACITATE,
Ut & De
MANSVETUDINE.

Quam
Auspicio Sacrosanctæ Trinitatis
Et
Consensu Amplissimi Senatus Philosophorum
In
Incluta ad VARNUM Academia
Sub Præsidio
M. JOHANNIS ELERI
Rigâ - Livoni.
Defendendam suscipiet
HEINRICUS VESTRINGIUS
Revaliâ - Livonus,
Horis locoq; consuetis die 14. Martij.

Seneca. Auribus frequentius quam linguâ utere: quicquid dicturus es, antequam aliis, tibi dixeris.

Hinc natura binas homini aures dedit, linguam saltem unam, eamq; duplici vallo, nimirum dentium & labiorum, coercitam, ne temerè exiret. Quare vectes & frenum ipsi injiciendum, *juxta monitum Eccles. c. 28. v. 28.*

ROSTOCHI
Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ. Anno 1627.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0241
DFG

THESIS I.

SEquitur jam *VIRTUS MORALIS, respiciens alios in conversatione* potissimum, in quâ honestatis munus quoad conversationem spectatur. *In hac conversatione* juxta Rev. & Excell. Dn. D. Jac. Martini, præc. meum hon. Eth. lib. 2. c. 12. *duo attendantur. I. Familiaritas, quam regunt Virtutes HOMILETICÆ*, quæ ex Græco quodam Scholaste communi nomine ἀρεταὶ ὁμιλητικαὶ nuncupantur, eò quod nos aptos reddant πρὸς τὴν ὁμιλίαν, h. e. ad conversationem familiarem seu in vita quotidiana, dum hæ Virtutes ostendunt, quo pacto in quotidiana vita possimus cum aliis honestè versari, *tam* quoad sermonem, *quàm* quoad mores. *In hac autem Familiaritate considerari potest. (I) Jucunditas* & quidem *1. Seria*, & tunc oritur *AFFABILITAS* seu *HUMANITAS. 2. Iocosa*, & tunc prodit *URBANITAS. (II.) Veritas*, & tunc promanat *VERACITAS.* De singulis ordine agam. *II. Actio, quæ* duplex à quibusdam statuitur, ut Actio sit, *(I.) Aliorum erga nos*, & tunc resultat *MANSVETUDO*, de qua hæc etiam aget disputatio. *(II.) Nostra erga alios*, & tunc prodit *JUSTITIA*, de quâ disputatio sequens aget.

2. *De Affabilitate duplex* hic institui potest *consideratio. I. Nominalis*, seu secundum nomen ac vocem. *II. Realis*, seu secundum rem, pro qua vox illa accipitur.

3. *Nominalis* consideratio hic *triplex* breviter *institui potest*, I. ἐτυμολογία *seu Notatio*, juxta quam Latinis *Affabilitas* dicitur *ab affari*, quia hac virtute præditi alios amicè alloquimur, & salutamus, ita ut sermone & confabulatione affabiles & jucundi simus. Græco nomine proprio Virtus hæc caret Aristotele teste Eth. Nicom. l. 4. c. 12. unde dubitationis

VIRTUS respiciens alios in conversatione, in qua attenditur

1. *FAMILIARITAS, quoad*

I. Jucunditatem, 1 *SERIAM & tunc oritur*

Affabilitas, *cujus consideratio.*

I. Nominalis, quæ (1.) Notatio.

tionis rationē desumserūt nonnulli, an hæc Virtus, latinè ita à nobis denominata & descripta, etiam detur. Verum realitas hujus Virtutis (quod vid. re vera detur) patet ex extremorum oppositorum positione, quia enim extrema ejus vitiosa inveniuntur, certè dandum erit aliquod Medium & Virtus, quæ sermonem & gestum in seria familiaritate refrenet, & ad mediocritatem redigat. II. ὁμωνυμία *seu Æquivocatio, juxta quam* Affabilitas *sumitur.* 1. *Potentialiter & Naturaliter*, pro naturali quadam inclinatione & promtitudine ad ea, quæ in seria familiaritate objiciuntur, observanda. Hæc hîc non intelligitur, cum non sit Virtus & habitus acquisitus, sed naturalis potentia & inclinatio. 2. *Actualiter*, pro actu secundo seu actuali communicatione decenti sermonis & gestus in seriis. Hæc suppositio & acceptio huc similiter non pertinet, quia saltem notat effectū istius Virtutis seu habitus, ita ut hic Metonymica sit suppositio, qua per Metonymiam causæ pro effecto nomen habitus sumitur pro actu & operatione, consequente istum habitum. 3. *Habitualiter & propriè*, pro ipso habitu, decenter occupato circa sermonis & gestus communicationem in seriis. Hæc h. l. intelligitur. III. Συνωνυμία *seu Æquipollentium terminorum collectio, qua exprimuntur Synonyma* & æquipollentia *vocabula.* (I.) *Latina, dum dicitur.* 1. *Humanitas*, quia hæc virtus hominis est propria, præcipua hominis officia in familiaritate complectens. Unde & Græcis dicitur ἀνθρωπότης ἢ ἀνθρωπισμός. Dum enim per hanc Virtutem ruditas illa animi, & agrestis quasi ferocitas exuitur, ne cum Diogene extra mundi consortium in dolio latitem9, redditur homini humanitas, h. e. amica & humana natura, benefaciens quibus potest, nemini verò nocens. 2. *Comitas*, quæ in omni sermone, gestu & officio, cum eleganti suavitate benevolentiam suam erga alios declarat. Quò collineāt & Germanorum nostrum voces Holdseligkeit / Freundligkeit / Leutseligkeit. 3. *Popularitas*, scilicet quatenus hæc virtus speciatim in Principibus & Reipubl. præfectis spectatur. (II.) *Græca, dum dicitur.* 1. εὐπροσηγορία, ab εὖ καὶ προσηγορέω seu προσαγορεύω juxta alios, ita ut notet affabilitatem & singulare

(II) Æquivocatio.
1.
2.
3.
(III) Synonymia.
1. *Latina.*
1.
2.
3.
2. *Græca.*
1.

gulare ſtudium ſalutandi & compellandi. Eadem ratione vocatur & Φιλοφρονησια. 2. Φιλια *Amicitia*, ſed *figuratè ſaltem* ita dicitur, *tùm* propter maximam affinitatem & ſimilitudinem, quam Affabilitas cum amicitia habet, dum æmula illa amicitiæ in cunctis candorem præſtat; *tùm* propter aliqualem dependentiam amicitiæ ab affabilitate, quippe quæ amicitiam conciliat, juxta Cicer. 2. off. dum ait. *Difficile dictu eſt, quantopere conciliet homines comitas affabilitasq; ſermonis.* Unde juxta hanc dependentiam Amicitia pro Affabilitate ſupponeretur metonymicè vid. per Metonymiam effecti pro cauſa. *Dixi* autem *notanter Affabilitatem figuratè ſaltem nominari* Φιλιαν *ſeu Amicitiam, quia aliàs in propria ſuppoſitione dupliciter ab eadem differt, vid. ratione* (1.) *Formæ*, quia vera amicitia requirit affectum amoris, quo amici ſe invicem proſequantur. Aſt ſine hoc affectu amoris affabilitas eſſe poteſt, dum Affabilis alteri, quem tamen non amat, benevolentiam exhibere poteſt, ſolius honeſtatis gratiâ. (2.) *Objecti*, dum Amicitia conſiſtit ſaltē inter paucos, eosq; notos & ſe mutuò amantes. Aſt Affabilitas verſatur circa multos & ignotos etiam, dum erga ignotos æquè ac notos talem ſe gerere conſuevit.

NB.

(1.)

(2)

6. *Realis* Conſideratio *duplex* eſſe poteſt. *I. Abſoluta*, in qua Affabilitas in ſe & ſua natura abſolutè conſideratur extra collationem cum alio. *II. Reſpectiva*, in quâ ipſa conſideratur in collatione cum ſuis oppoſitis.

II. Realis quæ.

5. *In Abſoluta* conſideratione *quatuor notari poſſunt vid. Affabilitatis I. Definitio. II. Subjectum. III. Requiſita ſeu Affectiones. IV. Officia ſeu Actus.*

(I.) Abſoluta. in qua.

6. *Definitio* hæc eſto: *Affabilitas eſt Virtus Moralis, in familiaritate & converſatione ſeria quoad ſermonem & geſtum ſervans mediocritatem, tum honeſtè oblectando, tum modeſtè reprehendendo vitium ſeu malum commiſſum.* Hæc Definitio *reſolubilis* eſt *in conceptum.* 1. *Latiorem* ſeu Genericum, qui eſt Virtus moralis, de qua diſp. 5. actum. 2. *ſtrictiorem ſeu ſpecificum, qui* deſumitur (1.) *ab objecto* vid. ſeria familiaritate & converſatione quoad decentem ſermonem & geſtum. In hoc Objecto

(I.) Definitio.

1.

2.

(1.)

Objecto distinguitur Affabilitas *tùm* à Veracitate, quæ respicit præcisè Veritatem, non seriæ familiaritatis jucunditatem; *tum* ab Urbanitate, quæ respicit jucunditatem familiaritatis jocosæ, non seriæ, (2) *á forma* seu actibus affabilitatis, vid. mediocri & honestâ *tum* oblectatione, *tum* correctione, de quibus actibus vide the. 9. In hisce Affabilitas contradistinguitur omni inhonestæ conversationi.

(2.)

(II.) *Subjectum.*

1. Inhæsionis.

7. *Subjectum duplex constitui potest* 1. *Inhæsionis seu subjectum. Quod & Denominationis, quod* est ipsum Compositum seu Suppositum, cui Affabilitas inest, quodq; affabile & humanum inde denominatur, estq *plerumq; homo doctus*, quia inter alias suavissimæ hujus virtutis causas potissimùm doctrina bonarum artium feritatem & barbariem ingeniorum corrigit, & ad affabilitatem comitatemq; humanæ naturæ convenientem, animos studiosorum expolit, ceu patet non tantum ex eleganti Ovidij effato:

Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Sed & proverbio trito. *Quò quis est doctior eò & humanior.*

NB.

Quod autem accurati rerum contemplatores, quales sunt *tùm* Philosophi, *tùm* alij, qui studiis & libris sunt assidui, morosi quandoq; alijs appareant, illud fit per accidens, dum saltem in speciem tales videntur ob profundas meditationes, Quando enim ipsi animo omnia contemplantur, & altiùs in sapientiæ adyta penetrant, sensus officium suum ritè exequi nequeunt, quippe qui avocantur, & ad intellectus nutum se componere coguntur, ut sæpè alterius hominis neq; vocem, neq; præsentiam advertant. Si itaq; fortè quispiam in media speculatione illos convenire non erubescit, ob sensuum distractionem, & improvisam interpellationem, moventur quidem quodammodo, sed non diutiùs, quia mens facilius ad se redit, & sensus ad officium. *Contrà inhumaniores & insolentiores plerumq; sunt,* 1. *Indocti & imperiti,* ita ut communiter torvitas & insolentia atq; impudentia inscitiæ & stultitiæ indicium statuatur, juxta illud tritum. *Quo quis indoctior, eo impudentior,* quia indocti, & qui parum virtutis in se habent,

2.

habent, impudentiâ suâ defectum illum compensare cupiunt, & vultus torvitate sibi autoritatem & doctrinæ existimationem conciliare stultè intendunt. vide Georg. Pachman. c. 1. q. Phil. q. *11.* Ob hanc causam, ut & sui similium defectum, Philosophi & sapientes literati solitudinem quandoq; amant, quia pertædiosum est, cum hujusmodi Idiotis & imperitis conversari; *Contrà* iidem Philosophi doctorum consortia cupidè quærunt, dum multi illorum, magnis exantlatis laboribus & peregrinationibus, ad viros doctos demigrârunt, ut cum illis sermones sererent, quorum libros domi habebant. 2. *Melancholici*, qui ad familiaritatem minùs appositi sunt, dum *solitudinem amant* & conversationem familiarem seu *hominum consortium detestantur.* [1.] *ob spiritus opacos, impuros & tenebricosos, tum animales tum etiam vitales;* quæ spirituum & humorum tenebricositas solitudinem & tenebrarum amorem ipsis ingenerat. [2.] *Ob inde resultans phantasma tenebricosum & depravatum,* quo Melancholici sibi imaginantur, se aliorum præsentiâ impediri. Unde cum existiment, se laxamenti quid consecuturos ex vita solitaria, in solitudine, quæ ipsorum naturæ conformis videtur, latibulum quærunt. *Verum* ut flammæ occlusæ plerunq; magis ardent, sic Melancholici isti humores in solitaria vita magis depascuntur & destruunt cerebri ac spirituum συμμετρίαν, ut Melancholici isti quandoq; in graves admodum & phreneticas incidant imaginationes, queis se omnium commiserationi exponunt. *Exempla* si expetis, vide gratiâ brevitatis Excel. & Exper. Dn. D. Sennert. Inst. Med. l. 2. par. 3. s. 1. c. 7. p. 295. *II. Tractationis seu Occupationis,* quod *alias objectum* dicitur, *est*q; h. l. *duplex.* [1.] *Internum, quod* est *tum* affectus seu appetitio irascibilis, quam Affabilitas moderatur; *tum* Voluptas & tristitia, pro ut in usu sermonis & gestus, seu quotidiana conversatione utraq; reperitur. [2.] *Externum quod est* serium quoddam negotium, seu in quotidianis congressibus seriis *honestus & decens.* [1.] *Sermo, qui, honestatis habitâ ratione in conversatione seria, aliis sit gratus & jucundus non molestus.* Cum enim LINGVA in civili conversatione sit veluti

2.

[1.]

[2.]

2. Occupationis.
1. *Internũ.*

2. *Externũ quod est decens.*
[1. Sermo *qui consideretur ratione.*

veluti ſpeculum & effigies animi noſtri, præcipuè ejus ratio habenda erit, ne perſonæ noſtræ ſtatum ac conditionem deformet. Nam ſicuti numi bonitatem aut falſitatem ex ſono

NB. dignoſcimus, ita ex ſermonis noſtri ſono alij intrinſecam noſtram qualitatem & mores dijudicant. *Ut autem ſermo noſter in familiari converſatione ſeria ſit decens & conveniens, moderata prudentia in eo obſervetur.* 1. *ratione temporis, juxta quam*

[1.] *Temporis.* *ſermo noſter ſit tempeſtivus*, ita ut tempori convenientia proferamus, adeoq; in converſatione & conviviis *nec* ſtatuâ taciturniores ſedeamus, cum pertinax hujusmodi ſilentium pariat ſuſpicionem *vel* odij *vel* ſuperbiæ, *vel* inſcitiæ ac ſtultitiæ; *nec* nimis loquaces ſimus, ut præpropere aliorum ſermones interrumpamus, quia *hujusmodi præpropera interpellatio & interruptio in converſatione eſt.* [1.] *Odioſa*, offendens eum valdè, qui loquitur, dum hujusmodi interloquens præveniendo

1. oſtendere vult, melius ſe illa, quam commemorantem, ſcire.

2. [2] *contentioſa ſæpè, & temeraria*, dum hujusmodi auſcultandi impatiens verba loquentis in alium detorquet ſenſum, &

NB. qui à loquente nondum etiam expreſſus ſit; unde iniquæ contentioni & confuſioni ipſe interloquens occaſionem præbet, imitatus canem, qui dum oſtium aperire ſentit, licet nondum

[2.] *modi.* 1. intelligat, utrum amicus adſit, an inimicus, latrat tamen. 2. *ratione modi proferendi, juxta quem ſermo* noſter *ſit.* [1.] *Conſideratus*, ut præmeditatione quadam examinetur, ne juxta Chilonis præceptum lingua mentem præcedat. Unde mulieres imitemur, quæ antequam ornatæ conſpiciantur ſpeculum, à quo conſilium petunt & auxilium, intuentur; ita &

2. priusquam verba protrudantur, ad interius ſpeculum mentis recurrendum eſt, ne auſcultantes verba fortuitò magis, quam cum ratione, prolata judicent. [2.] *Clarus & diſtinctus*, ne *vel* vox deprimatur, ut catarrho quaſi ſuffocati videamur,

3. *vel* verba feſtinanter præcipitentur inſtar cibi ab eſurientibus abſq; ruminatione devorati. [3.] *Modeſtus, non affectatus*, ne vid. gratiâ affectatæ oſtentationis lingua peregrina & inſueta utamur, & ſermone uſitato nos abdicemus, quia hujus-

4. modi affectatio irriſionem facilè incurrit. [4.] *Gravis & Sententio-*

tentiosus, ita ut in civili & familiari conversatione plus studij in sententiis, quam verbis, collocetur, quia verba absque omnibus sententiis non tam verba sunt, quam nugæ, nec auscultanti satisfaciunt. Nam ut *hospes* eduliorum odore non pascitur aut saturatur, nec cauponi quoquè sono numismatis solutio fit; sic nec prudenti auditori in convivio solo verborum ornamento satisfacies. Quare pro locorum, temporum & personarum conditione gravia & decentia proferantur. 3. *ratione materiæ, juxta quam* in familiari conversatione *sermo* noster *instituatur de re* (1) *Cognita*, ita ut de re saltem cognitâ, & quam optimè intelligimus, judicium feramus, quia aliàs temerarius imperitus impertinenti suo judicio risui prudentiorum se exponit, ceu patet exemplo. 1. *Alexandri M.* qui in Apellis ædibus de pictura judicium ferens, cum impertinentia atq; arti contraria proferret, discretus pictor in aures ipsi insusurrando, monuit, ut à discursu isto cessaret, aut submissè loqueretur, alioquin suos eum discipulos derisuros esse. 2. *Ptolomei*, cui Musicus quidam, cum quo de Musica disputare volebat, respondit: *Alia res est sceptrum, alia plectrum.* Vide Steph. Guazzum dis. 3. de civil. conversat. pag. 165. Unde Democritus, cum advertisset quendam multa imperitè disputantem, rectè dixit: *Hic non dicendi peritus mihi videtur, sed omninò tacendi imperitus.* Ut enim vascula inania maximè tinniunt; ita in quibus minimum est eruditionis semper plus loqui cupiunt. (2) *Licita & utili*, ne vid. sermo incommodum afferat, & proferenti & auscultanti. Quare in conversatione familiari verba proferenda non sunt, quæ in alterius vituperium redundant. Ut enim *clavus navis*, licet ejus minima pars sit, eam tamen & salvat & deprimit: Sic & lingua, quæ licet parva sit, tamen si rectâ ratione gubernetur, plurimum adfert utilitatis, sin secus pestilens est, ceu patet *ex testimonio*. 1. *Jacobi* c. 3. v. 5. 6. Ecce exiguus ignis quantâ materiam incendit? Et lingua ignis est, & mundus iniquitatis: ita lingua constituta est inter membra nostra, maculans totum corpus, inflammans rotam genituræ nostræ 2. *Salomonis* Prov. c. 18. v. 21. Mors & vita in potestate linguæ,

(3) *materiæ.*

1.

2.

(2) Gestꝰ *cujus conformatio.*

prout amat quis uti ea, comedet fructum. *(II) Gestus*, qui ad sermonem componatur, veluti chorea aliàs ad instrumenti sonum. Unde in gestu dignitas quædam reluceat, quæ tacendo quasi loquatur, & in sui admirationem alios constringat. *Potest* a. hæc *gestus communicatio & conformatio decens considerari* dupliciter. *1 Generaliter*, prout in gestuum decore temperamentùm requiritur certum, ne quis *vel* in defectu, statuarum immobilitatem: *vel* in excessu simiarum instabilitatem repræsentet. Sicut enim ille retinaculo gravitatis laudem se acquirere posse credens, odiosæ prosopopœiæ suspicionē incurrit; ita hic gestuum frequentiâ nimiâ gratiam se conciliaturum sibi persuadens, vituperandæ levitatis & inconstantiæ signum præbere creditur. *2. Specialiter, ratione* certorū membrorum, & quidem (1) *Capitis*, quod erectum sit inter loquendum. (2) *Labiorum*, quæ lambi aut morderi non debent. (3) *Oculorum*, à quorum asperitate, & obliquo ac torvo dicentis intuitu abstinendum, cum oculi nostri vel invitis nobis id foris detegant, quod intrinsecùs absconditur, dum *aut* lætos nos demonstrant, *aut* mœstos, *aut* benignos, *aut* severos, *aut* lascivos, juxta Eccl. 26, 12. imò sæpè tanquam cordis pedissequi certissimum amoris aut odij præbent indicium, faciuntq; ut etiam non loquentes intelligamur. Undè rectè *Oculi cordis fenestræ* dicuntur, per quas animi secreta introspicere possumꝰ. Plura de singulorum membrorum decenti conformatione si expetis, vide Galatheum Joh. Casæ Itali, Steph. Gvazzi Politicas dissertationes de civili conversatione.

1. *Generalis.*

2. *Specialis.*

(III) *Affectio, quæ est.*

8. *Requisita s. Affectiones* Affabilitatis *duplices* aliàs *statuuntur.* 1. *Facilitas*, quâ faciles nos aliis exhibemus. Unde & φιλανθρωπία aliàs dicitur. *De hac facilitate* Affabilitatis *duo* hîc *notentur* 1. *Modus juxta quem hæc facilitas* statuitur duplex, vid. *ratione (1) Admissionis*, qua facilem accessum ad nos aliis præbemus. (2) *Visitationis*, quâ ægrotos & tristes visitamus & consolamur 2. *Adjuncta gravitas. Nisi in hac facilitas gravitate* quadam *temperata* & moderata *sit facile* (1) *in levitatem degenerat.* Nimiam n. familiaritatem sui similibus ostendere, & bonitatis suæ thesauros committere, est statum suum annihilare, & mentis impotentiam prodere, ita ut quis etiam invitus quandoq;

1 Facilitas *de qua 1. Modus.* 2. *Adjuncta gravitas.*

doq; is habeatur, qui non est. *(2) contemtum parit*, quia nimia familiaritas aliis occasionem præbet nimiùm sibi fidendi, & minus reverentiæ exhibendi. Hinc axioma tritum. *Omnibus affabilis, paucis familiaris*, quia vid. *nimia familiaritas parit contemtum*, & maximè quæ nobis intercedit cum inferioris sortis hominibus. Admirantur illi nostra, quæ quando explorârũt, tum reverentia cessat. Unde rectè Poeta: *Nulli te facias nimis sodalem. Gaudebis minus & minus dolebis.* *II. Suavitas*, quâ sine offensione & molestia cum aliis conversamur, ita ut conversatio nostra non molesta sit, sed grata & jucunda. *Hæc Suavitas* tria *aliàs complecti dicitur.* 1. *Beneficentiam*, quâ promptè alios consilio & operâ juvare cupimus, quantum sine insigni incommodo fieri potest. 2. *Æquabilitatem*, quâ communes aliorum nævos, infirmitates & statum s. conditionem humaniter toleramus. Unde neminem, præsertim ignotum, licet inciviliter quandoquè agat, aspernemur & irrideamus, *ob metuendũ periculum* (1) *iræ & contentionis*. Cum n. nemo sit, qui adeò vilis & abjectus videatur, ut contemtum mereri debeat, certè qui alteri illudit, ad iram ipsum concitabit, & juxta proverbium, *Vespas & crabrones irritabit.* *(2) Similis vel majoris contemtus*, cum metuendum sit, ne simili aut etiam majori contemtu excipiamur. *Asinus n. eodem, quo in parietem impetu fertur, inde rejicitur*, quod commonstravit pauperculus quidam rusticus, cui urbem cum mulierculis quibusdam intranti, cum audaculus quidam civis dixisset: Multas sanè capras ad forum nostrum egisti, respondit: paucas sane eô egi, ubi tot hirci vel capri sunt. Verbũ verbo hic sapienter reddidit, ut qui superbè ipsum impetierat, cum dedecore discederet. Quare nec vultu, nec linguâ vel alio signo ostendamus, aliquẽ à nobis irrideri. Si n. superior aut æqualis fuerit, non patietur hunc contemtũ; sin inferior, secessionem à conversatione nostra faciet. 3 *Conjunctã quandoq; Mansuetudinem*, quâ Affabilis ab omni inordinata ira sibi temperat, imò excitatã ritè refrenat, unde cũ homine contentioso nõ contendamus, sed *vel* ipsi *vel* humanitati & modestiæ nostræ id cõcedamus, modò nemini inde damnũ suboriatur. Quare observemus Epicteti regulã: *In conversatione familiari majori est cedendum: minori cum modestia persuadendum*

NB.

2. Suavitas, *quæ complectitur.*
1. *Beneficentiam.*
2. *Æquabilitatem.*

3. *Mansuetudinem.*

dendum; æquali assentiendũ; & hac viâ nunquã ad contentionẽ descendent homines. Quò respicit & Solominis Prov. c. 15. v. 1. *Responsio mollis avertit excandescentiam: verbum autem molestum excitat iram.*

(III.) *Actus seu Officia. vid.*

1. Externa benevolentiæ declaratio, *in qua*

1 signum

[1] Verbale.

[2.] Reale

1.

2.

3.

9. *Actus seu officia Affabilitatis duplicia* statuuntur, vid: *decens. I. Externa benevolentiæ declaratio*, quâ extrinseco aliquo signo interiorem benevolentiam testamur. *De hac* externa benevolentiæ declaratione duo hic breviter *notentur.* [1.] *Medium seu Externum signum*, quo benevolentia declaratur, *quod duplex* statui potest *1. Verbale*, quo verbaliter hominem salutamus & resalutamus- 2. *Reale*, quo realiter homini benevolentiam declaramus, *ut est* (1.) *Capitis apertio*, qua humaniter homines *vel* salutamus *vel* resalutamus. Memorabile recensetur exemplum Regis illius Galliæ, qui cum â meretrice publica in via salutatus capitis detectione humaniter eam vicissim salutâsset, & à suis compellaretur, quod honorem mulieri malæ vitæ exhibuisset, regessit: *Malle se impudicam salutando, quam pudicam & honestam insalutatam relinquendo falli*, (2.) *Cessio publica*, quâ quis humaniter alteri de viâ cedit. (3. *Osculatio*, quando certi populi osculo salutant advenientem puellam, vel alterius conjugem. Sic osculo se invicem salutare in more positum erat Medis teste Xenoph. lib. 5. Anglis teste Polyd. Virg. 4- de rer. inv. cap. 13. Hæc a. osculatio & salutandi ratio, licet â quibusdam observetur, *duplex* tamen *affert incommodum* (1.) *Physicum*, dum sæpè osculantis halitu vitioso & venenato quis corrumpitur & inficitur, ceu de lue Venerea patet. (2.) *Ethicum*, dum hujusmodi osculatio vel complexio nonnunquã *tùm* occasionem libidini offert, *tùm* sinistras suspiciones adulterij vel scortationis importat, vide & de osculis disp. 7. th 16. [II.] *Objectum personale*, seu persona, cui benevolentia exhibetur, quæ cum diversa sit, diversa etiam erit benevolentiæ declaratio, quâ humanus unicuiq; tribuit, quod ei competit, juxta illud Terentij: *Ut homo est, ita morem geras.* Ut autem Affabilis se decenter erga quemvis gerat, præcipuè personæ cujusq;, qua cum versatur, conditionem observet, *potest* autem *hoc objectum personale dupliciter considerari*, (1.) *ratione Dignitatis*

[1.]

[2.]

2. *Objectũ personale, quod consideratur.*

tatis & gravitatis, & tunc Humanus. 1. *Superiori cedat, auscultet & obtemperet,* ceu patet *exemplo juvenis, qui seni sapienti præstat* [1.] *observantiam,* imitatus juventutem Romanam, quæ senectutem adeò reverebatur, ut si quis ætate esset grandior, non secus eum ac patrem; si fœmina, ut matrem veneraretur: quemadmodum econtrà,

Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicunq; puer, ut est apud Juvenal. Satyr. 13.

Æquum enim est grandiores natu suspicere ob ætatem & experientiam. (2.) *Attentionem*, quâ senem tanquam vitæ ducem sequatur, & certò sibi polliceatur, eum sapientem fore, qui sapientum gaudet sodalitate. Ut enim dissitas & ignotas regiones petituri, ad viarum peritum accurrimus, ut quâ commodissimè eundem sit, informemur; ita & in incertæ hujus vitæ peregrinatione ipsi iter illud nobis describant, qui feliciter id confecerunt, quales sunt senes, qui non tantum prudentia & judicio pollent, sed & fide, quæ propterea à Poëtis cana appellatur, quod eam senes maturiori consideratione promittant, & majori firmitudine servent. 2. *Æquali & pari consentiat,* imò ceremonias amicorum ex urbanitate quadam magis, quam ex debito interpretetur, quia aliâs superbiæ argumentum præbebit, quæ conversationi inimica est. 3. *Inferiori modestè persuadeat, & benevolentiam gravitate temperatam exhibeat.* Unde in seria conversatione *superior erga inferiorem* [1.] *declaret benevolentiam & humanitatem*, quâ ipsum inferiorem invitet ad majorem honorem & reverentiam, juxta monitum Cicer. in officijs. *Quantò superiores sumus, tantò nos submissius geramus.* Sic Plutarchus de Alexandro M. refert, quod fuerit justus, beneficus, & suavissimus omnium regum in familiari consuetudine. Sic memorabile refertur exemplum de Volligiso, Ottonis III. Imperatoris præceptore, qui Anno Christi 997. primus fuisse perhibetur ex Diœcesi Moguntina septem vir. Hic ut suæ conditionis, qua natus erat patre Rhedario ex pago Saxoniæ Schoningen, memor esset, rotam multis in locis depictam sibi velut ima-

[1.] ratione dignitatis.

1.

NB.

2.

3.

[1.]

ginem modestiæ probandæ proposuit cum hac inscriptione: *Willigis recole, unde veneris, & prioris tuæ fortunæ memor, qui nunc sis considera* Unde etiamnum hodiè Archiepiscopatus
2. Moguntinensis insigne rota retinetur. (2.) *tueatur gravitatem personæ & statui suo convenientem, tàm* in verbis, *quàm* in gestibus. Hinc & Politici monent, Filium in publica dignitate & autoritate constitutum Patri tanquam privato præferendum esse, scil in locis & muneribus publicis, quibus publicam personam, in quâ volvitur autoritas Reipubl. repræsentat. vide dis 8. th 28. Unde errâsse dicetur Laurentij Celsi, Venetorum Ducis, pater, dum filio recens duci creato obviam ire recusavit, ne filio cogeretur caput aperire & patriam potestatem vilem facere Volat. 4. Geogr. (II.) *ratione specialioris status* Et tunc *Affabilitas triplex* statui potest. *I. Ecclesiastica*, quæ respicit Ecclesiasticam & spiritualem conversationem & familiaritatem & datur inter homines in Ecclesia degentes. Hæc hîc heterogenea est, & Theologica, ad Theologos pertinens, qui & te de hac erudient. *2 Politica*, quæ Politicam & publicam respicit conversationem & familiaritatem, *estq;* (1.) *Negotialis* in qua attenduntur negotiationes, commercia, contractus & obligationes, quas exercent cives tum inter se tum cum peregrinis. (2.) *Hospitalis*, qua *vel* peregrinus hospitem quærit & humaniter alloquitur, ne sub dio decumbat; *vel* incola advenis & peregrinis hospitibus omnia *humanitatis officia* præstat, quæ *consistunt* (1.) *in exceptione tum* libenti, qua libenter incola peregrinum excipiat. Nam quæ gratia sera venit, haud vera venit, & decus amittit omne, nisi oportuna; *tum* constanti. Nihil enim inhumanius, quam illum quem vix exceperis tuis è laribus expellere & præcipitem deturbare. (2.) *in præmonitione humana*, qua incola imminētia pericula advenæ amicè indicet, & bonis consilijs ipsū muniat & obfirmet ut nullo facto naufragio, salvis remis & velis, quod ajunt, suos ad penates deferri possit. *3. Oeconomica*, quæ respicit privatam & domesticam familiaritatem, *estq;* (1.) *conjugalis* quæ est inter maritùm & conjugem, inter quas personas præcipuè vigeat affabilitas & Humani-

2. ratione status, & 1. est Affabilitas.
(1.) Ecclesiastica.
(2) Politi.
1.
2.
(3.) Oeconomica.
1.

manitas, qua de re gratia brevitatis vid. Thom. Sagittarium dis. 1. de civili conversatione th. 59. seq. (2.) *Filialis & paterna*, quæ est inter parentes & liberos. Alia n. Humanitatis officia debet parens filio, quam filius patri. (3.) *Herilis*, quæ est inter dominum & servum, vide Sagittar. d. l. Hic *obiter & breviter notes* velim, *posse infideli Hæretico exhiberi Affabilitatem* & Humanitatem *in conversatione* 1. *Politica*, & quidem (1.) *Negottali*, quoad commercia, contractus & fœdera contrahenda de limitibus & finibus, ut finitimi pacem & tranquillitatem colant, exemplo. (1.) Abrahæ, qui fœdus inijt cum Escol, Ambre & Aner. Gen. 14. 13. [2.] Isaaci, qui fœdus pepigit cum Abimelecho Gen. 26. 28. seq. [2.] *Hospitali*, ceu patet exemplo *tum* Abrahæ tempore famis apud Ægyptios commorantis Gen. 12. *tùm* Isaaci, cum Philistæis familiariter viventis. Gen. 26. *tum* ipsius Christi capientis cibum cum Pharisæis Luc. 7. 39 2. *Oeconomica*, & quidem [1.] *Conjugali*, ceu patet ex 1. Cor. 7. 12. de quo tamen Theologos consule. [2.] *Servili*, exemplo Iacobi servientis idololatræ Labano Gen. 29. 18. Plura si expetis de conversatione fidelis cum infideli, vide Rev. & Excel. Dn. D. Meisn. præc. meum hon. par. 1. Phil. Sob. s. 2. c. 3. Christ. Matt. Eth. l. 2. p. 15. seq. 2.

2.

NB.

II. Admonitio alterius de errore & re aliqua turpi. Potest autem pro ipsius objecti, de quo aliquem admonemus, diversitate *duplex constitui admonitio* [I.] *Prophylactica*, h. e. *Præservativa quasi à lapsu & errore futuro*, seu quæ adhibetur ad præcavendum prudenter *futurum* & imminentem errorem seu lapsum alterius. Ut enim eum, qui ad lapidem pede impacto casurus est, retinendo sustinemus, nec expectamus, ut cadendo risum excitet, & rubore suffundatur; sic & amicum, quem in difficultatem quandam, ex quâ facilè se expedire nequeat, prolapsurum advertimus, discretè præveniamus, & judicij nostri, quod de ipso habemus, amicè & prudenter certum ipsum reddamus. Hoc enim modo non tantum honoris ipsius cupidos nos ostendemus, sed & nobis eum obligabimus. [II.] *Therapeutica*, h. e. *Curativa & Correctiva*, *quæ medetur errori & malo jam exorto seu infixo.* Ut autem Therapeuti-

2. Amica admonitio, *quæ* 1. *Prophylactica. seu Præservatoria* NB.

2. *Therapeutica seu sanatoria.*

peutica hæc admonitio ritè adhibeatur, *correctio* illa *sit.* 1.
1. (1) *Prudens, & determinata ad certam* (1.) *causam efficientem seu corrigentem*, ita ut qui corriget alterum *tum* autoritate polleat, unde juveni senem reprehendere non licet, plebeio civem primarium; *tum* vitio proprio careat, juxta proverbiū: *qui claudum subsannare vult, rectus incedat oportet.* Hinc Adulter alterī lasciviam exprobare nequit, nec ebriosus ebrioso.
(2.) (2) *Objectum personale*, adversus quod correctio instituitur & exercetur, quod sit persona, penes quam *vel* sanguinis necessitate *vel* diuturna familiaritate & amicitiā, *vel* alia ratione ac conditione autoritas & fides nostra valet. Non enim adversus quemvis humaniter judicium exercere possumus, nedum alteri vitium intempestivè exprobramus, ipse nobis reprehensionis vitium objiciat, quod minimè nobis liceat ipsum
(3) reprehendere. (3) *modum*, juxta quem pro conditione personæ & loci mitigatio quædam quandoq; adhibenda est, quà ostendimus *vel* alios nos culpare ob eosdem defectus, *vel* nos ipsos non omnis erroris expertes esse. Hæc enim correctio & grata ipsi erit, & magis magisq; eum nobis obligatum reddet.
2. 2. *Amica.* Nam facienti dedecus licet non sit applaudendum, amica tamen sit correctio, non morosa. Correctio enim morosa, quæ ab homine in dicendo nimis libero proficiscitur, non facilè admittitur, sed vitiatæ ipsius naturæ potiùs adscribitur. Aquam vino admiscemus, non ut planè naturam exuant suam & deponant, sed ut moderatiora evadant; sic & correctioni benevolentia & modestia adjungatur, ut facilius admittatur.
3. 3, *Tacita & privata, non publica*, juxta regulam: *Errantem clam arguat, publicè commendet.* Qui enim maledicum in ipso caloris impetu & præsentibus aliis corrigere cupit, sæpè majori errori causam præbet. Tacita autem & privata si est correctio, ostenditur finem ejus esse *tum* honestatem, *tum* utilitatem, unde clam arguens gratiam errantis meretur, juxta effatum Salomonis Proverb. cap. 28. v. 23. *Qui corripit hominem, ut sequatur, gratiam consequetur potiùs, quam qui blanditur linguâ*, Vide & Hebr. cap. 12. vers. 11.

10. Se-

10. Sequitur jam *Respectiva Affabilitatis consideratio*, quâ ipsa consideratur *in collatione cum suo opposito seu extremo, quod duplex*, vid. extremum *peccans*. *I in Excessu, ut studium placendi Vitiosum*, quo quis in conversatione seria modum excedit, dum nimis obsequens est aliis, neminiq; in ulla re adversatur. *Hoc placendi studium institui potest ob aucupium*, 1. *Nudæ gratiæ*, ut Ἀρέσκεια seu *Assentatio & Blanditia*, quâ quis solo placendi studio omnibus, quæ dicuntur & aguntur, applaudit. Hujusmodi ἀρέσκοι ad amicitiam & familiarem conversationem inepti sunt teste Cicerone in Lælio, ubi ait. Nulla in amicitijs major pestis est, quam assentatio, quæ est vitiorum adjutrix. 2. *Lucri & emolumenti alicujus, ut* κολακία *seu Adulatio*, qua quis se in omnibus alteri accommodare studet solius utilitatis & prævisi commodi gratia, seu ut utilitatem inde aliquam capiat. Unde κόλαξ seu Adulator cessante lucro & commodo amplius alteri placere non studet. *De hac* Adulatione hîc breviter *notetur*. (I.) *Modus*, quo contingat Adulatio. *Hic* modus *considerari potest ratione* (1.) *cognitionis nostræ*. *Et tunc Adulatio* dicitur *alia Manifesta*, quâ quis manifestiori modo potentibus sese lubenter applicat, & quidem potissimùm ut gulæ suæ consulat, unde specialiter *parasyti* nomen acquirit, v. g. si quis Principi persuadeat, se Cicindelas noctilucas per laternam videre. Hujusmodi manifestus adulator fuit *Nicesias* ille, qui videns muscas, modò manus, modò frontem Alexandri pungere, exclamavit: *O quanto aliis sunt feliciores muscæ illæ, quibus gratia facta est, regij tui sanguinis gustandi; alia Occulta*, quæ occultè & artificiosè amoris & charitatis prætextu alterius gratiam aucupatur. Hæc Adulatio sub specie amicitiæ latet, unde & facilius decipit. Hinc Seneca ep. 45. ait. Adulatio quam similis est amicitiæ? non imitatur tantum illam, sed vincit & præterit, apertis & propitiis auribus recipitur, & in præcordia ima descendit, eo ipso gratiosa, quo lædit. (2.) *Signi & medij*, quo Adulatio illa exeritur & exhibetur, *& tunc Adulatio alia est Verbalis*, quæ conspicitur in verbis v. g. si quis ad morem Gnathonis Terentiani alterum in faciem laudat, & majora quam res est de

(II.) Respectiva. *in collatione cum extremo peccante.*
1. *in Excessu ut studium placendi.*
1.
(1.)
(2.)

quopiam prædicat. Hoc vitium & frequens est, & pergratum hominibus, cum multi adeò gloriæ sint cupidi, ut cum vel nominari se laudabiliter audiunt, lætitia afficiantur singulari exemplo Demosthenis, qui duos bajulos prætergrediens, cum adverteret, eos submisse inter se dicere, Iste est Demosthenes, convertit sese, & in pedis digitos elevavit, ut major & grandius sui spectaculum exhiberet; *alia Realis*, quæ in factis & gestibus conspicitur, v. g. si quis contra jus & justitiam, humanitatem & æquitatem, alicui obediat adulandi gratiâ. (II.) *Periculositas, quæ duplex* aliàs, vid. *ex parte 1. Efficientis seu Adulantis*, qui mendacij & impostura labe se inficit ac inquinat, dum sub verborum dulcedine amarum & venenosum propinat sensum, imitatus laniones, qui manu porcum scalpunt, ut securi caput petant. *2. Objecti personalis seu personæ, cui adulatio exhibetur*, seu quæ adulando decipitur, *cujus respectu duplex incommodum* ex Adulatione resultat (*1.*) *Excæcatio ex parte intellectus*, dum hujusmodi persona, cui Gnatho blanditur, credit, se eum esse, qui tamen non est, exemplo Alexandri M. qui Adulatorum blandis excæcatus verbis, Iovis filius adeoq; Deus nuncupari voluit, ob quam superbiam mater indignata ipsi Iunonis odium minabatur. Ast hanc ipsius divinitatem Philosophus quidam, qui adulari nesciebat, & cum videbat Medicum ipsi ægrotanti jusculum quoddam præparare, ridens dicebat: *Deus noster salutis suæ spem in jusculo habet repositam*, teste Stephano Gvazzo de civ. conv. disser. 2. p. 80. De hac excæcatione egregia notetur sententia *Epicteti*, qui audiens quendam adulatoribus facilè suas aures præbentem dixit: Corvi mortuorum cadaveribus oculos evellunt; ast Adulatores viventium animos corrumpentes, omnem illis visum adimunt. Hinc sapientes non patiuntur auribus suis quidquam dari, cum *falsa laus nil aliud sit, quam deceptio & irrisio.* (2.) *Moralis corruptio* ex parte voluntatis & morum, dum n. Adulator alterius vitijs blanditur, eaq; laudat, hominem in vitiosis moribus confirmat, imò in alia vitia præcipitem dat. *II. In Defectu ut* Δυσκολία *seu Morositas*, quæ est Vitium in conversatione familiari seriâ desi-

2. (1.)

(2.)

NB.

2. In Defectu, ut Morositas.

deficiens, quo quis nemini placere non cupit, sed potiùs contentiosè in re omni, etiam honesta, alijs adversatur, parumq; pensi habet, si eos, quibus cum vivit, etiam ob rem non magni momenti gravissimè interdum offendit. Hujusmodi morositas fuit in Timone μισανθρώπῳ, qui omnium hominum congressus, præter unius Alcibiadis adolescentis, vitabat. Hunc v. amâsse dicitur, quod se scire putabat, ipsum aliquando Athenienſibus multorum malorum causam futurum. Tantum de Affabilitate.

2. JOCOSAM ut URBANITAS, cujus consideratio.

11. Sequitur jam *URBANITAS*, *cujus consideratio* hîc *duplex* institui potest. I. *Nominalis* seu secundum nomen ac vocem. II. *Realis* seu secundum rem, pro quâ Vox urbanitatis supponitur & accipitur.

I. Nominalis quæ.

12. *Nominalis consideratio* hîc *duplex* esse potest. I. ἐτυμολογία *seu Notatio* & quidem *(1.) Latina, juxta quam Urbanitas* Latinis dicta est *ab urbe, denominationis ratione tropologicè desumpta â moribus oppidinorum*, seu eorum qui in urbibus vivunt. Cum enim horum oratio vitaq; tota lepôre, salibus & venustate amœnius condita sit, quàm illorum, qui in agris & pagis degunt, civilitas in conversatione familiari jocosa dicta est Urbana seu Urbanitas, quia in urbe jucundiùs homines conversantur, quàm in pago. *(II.) Græca, juxta* quam Urbanitas Græcis dicitur εὐτραπελία & εὐτροπία, quasi morum quædam concinnitas seu volubilitas, quâ quis ad aliorum ingenia sese aptè vertere & accommodare novit. Dicitur n. εὐτράπελος quasi εὔτροπος, ab εὖ & τρέπειν quasi dicas *ad bonos mores flexibilis*. Ubi *notes* velim εὐτραπελίαν *considerari posse (1.) ratione primævæ impositionis*, & sic in bonam sumitur partem, notatq; virtutem, servantem mediocritatem in ludo & joco. Et sic sumitur apud Aristotelem lib. 4. Eth. Nicom. c. 14. *(2.) ratione abusivæ applicationis & inversionis*, qua propter nonnullorum abusum vox Urbanitatis in malam partem sumpta est, & translata ad oppositum hujus virtutis seu scurrilitatem, quæ non ad honestum refertur finem, perinde atq; vox Magi seu Sophistæ propter non-

(1) *Latina*

(2) *Græca*

1.

2.

nullorum abusum in malam hodiè sumitur partem. *In hac abusiva translatione, & significatione scurrilitatis, εὐτραπελία accipitur ab Apostolo Paulo Eph.* 5. *v.* 4. quia Apostoli tempore propter abusum jocorum Græci eos vocabant εὐτραπέλους, qui scurrilitati in conversationibus operam navabant, idq; unicè studebant, ut alios oblectarent & risum captarent. II.

NB.

2. Æquivocatio.

Æquivocatio juxta quam Urbanitas sumitur tripliciter (I.) Potentialiter, pro naturali & insita quadam inclinatione, quâ quis propendet ad jocos & ludus, seu jocosam conversationem. Hæc hîc non intelligitur, cum non sit habitus, sed naturalis saltem potentia. *(II.) Habitualiter*, pro ipso habitu, decenter occupato circa jocum & ludum in congressibus. Hæc suppositio hîc intelligitur. *(III.) Actualiter*, pro actuali civilitate jocosâ, seu actu secundo jocosæ conversationis, ut in hoc carmine:

Diceris Urbanus, sed non Urbanus haberis:
Dum ceu Vacca bibis, dum suis instar edis.

Hæc suppositio & acceptio huc non pertinet, quia saltem effectum istius habitus seu Virtutis notat, unde non nisi per Metonymiam causæ pro effectu nomen Urbanitatis ipsi actui secundo competit.

II. Realis quæ.

13. *Realis consideratio* potest esse *duplex. I. Absoluta*, in qua Urbanitas in se & sua natura consideratur absolutè, extra collationem cum alio. *II. Respectiva* in qua Urbanitas consideratur in respectiva collatione cum suis extremis seu Oppositis.

(I.) Absoluta, in qua.

14. *In absoluta consideratione consideretur* Urbanitatis. *I. Definitio. II. Objectum. III. Officia. f. Partes* quasi.

(I.) Definitio.

15. *Definitio* Urbanitatis *hæc esto: Urbanitas est virtus Moralis, in jocosa conversatione familiari, seu jocis & ludis, observans mediocritatem, ita ut & honestatis atq; decori ratio habeatur, & alterius offensio vitetur. Hæc* Definitio *resolubilis est in conceptum* duplicem. 1. *I. Genericum*, qui est virtus Moralis, de qua disp. 5. 2. *II. Specificum magis, qui desumitur ab objecto specialiori*, vid. ludo & joco vide th. 16. Per hoc objectum specialius Urbanitas distinguitur, *tùm* ab Affabilitate, quæ in congres-

congressibus respicit serium, non jocosum; *tùm* à Veracitate, quæ attendit verum; *tùm* & à reliquis virtutibus, quæ suum Objectum formale diversum obtinent. *2. à fine* (1) *Generaliori*, qui est honesti & decori ratio, in omni virtute observanda. (2) *Specialiori magis & Particulari*, qui est Vitatio offensionis alterius, quæ Specialiter, *tùm* in Affabilitate, *tùm* præcipuè hic in Vrbanitate intenditur, quippe in quâ specialiter jucunditas & delectatio respicitur, non offensio. Nam *hujus virtutis finis specialior est Recreatio*, quippe ob quam facetiæ & sales instituuntur, ut eos, quibus cum conversaris, recrees & exhilares.

16. *Objectum*, circa quod versatur Urbanitas, *est Iocus & Ludus in congressibus jocosis*, quat. vid. animus recreatur, & ad virtutem instauratur. Unde hic Objectivè intelliguntur omnia ea, quæ in jocosa conversatione animi relaxandi & recreandi gratiâ honestè & dicuntur, seu proferuntur, & recipiuntur. *Potest* autem *hoc objectum* Urbanitatis hîc *considerari* dupliciter *I. GENERALITER* & in genere. *II. SPECIALITER* & in specie. *(II.) Objectum, quod consideretur.*

17. *GENERALITER Objectum hoc* Urbanitatis *consideratur, quoad. I. NECESSITATEM, juxta quam opus est relaxatione* animi, *& consequenter virtute* moderante illam relaxationem, *quod probatur de necessitate. 1. Relaxationis jocosæ*, h. m. Ubicunq; animi defatigatio, ibi opus est ejusdem relaxatione per ludum & jocum. Atqui in vitâ attentè meditantis est animi defatigatio. E. in vitâ attentè meditantis opus est ejusdem relaxatione. *Major patet* ex opposito, quia alias ex intermissione relaxationis sequitur finalis tandem tum spirituum animalium ac vitalium, tum vitæ ipsius propter cordis exsiccationem, destructio & interitus; ubi enim continuata est absumptio, quam nulla excipit relaxatio & instauratio, ibi necessariô finalis destructio. Hinc rectè Poeta canit: I. Generaliter, *quoad. 1. Necessitatem. 1.*

Quod caret alterna requie durabile non est.

Chorda enim nimis intensa facilè rumpitur. Unde Camænæ alterna amare dicuntur. Maxima autem relaxatio & delectatio animi, in conversatione familiari jocosa, ex ludo &

joco provenit. Si itaq; ex relaxationis istius intermissione destructio spirituum & vitæ suboritur, certè ex ejusdem positione horum conservatio prodibit, quia Oppositorum opposita sunt consequentia. *Minor* patet, ex testimonio Physicorum asserentium spiritus attenta nimis meditatione & diffundi & debilitari, ceu patet ex subsequente Cephalalgia seu capitis dolore. Hinc Marsilius Ficinus l. 1. de sanitate studiosorum. c 8. ait: Per duas aut tres horas continuas cum magna intentione non est meditandum, sed ubi una hora attenta meditatione consumta est, avocari nonnihil mens debet, & respirare, sic ut surgamus & deambulemus nonnihil, donec spiritus, qui attentâ meditatione confusi erant, recolligantur. 2 *Urbanitatis, seu Virtutis, moderantis hujusmodi animi relaxationem, per jocum & ludum.* Quia enim in jocis & ludis facilè exorbitantia contingere potest, ceu experientia quotidiana testatur, necessariò requiritur, virtus aliqua ostendens medium in ijs observandum, quæ Virtus Urbanitatis nomine hîc venit. Hinc Arist. 8. Polit. c. 3 Non satis est posse rectè versari in negotio & officio expediundo: sed etiam oportet animo rectè posse indulgere. *II. AFFECTIONES seu Proprietates, quæ sunt.* 1. *Jucunditas,* juxta quam joci & ludi oblectent audientes, non offendant, quod inter alia *patet (I.) ex notatione joci,* quâ nonnulli jocum derivare cupiunt, *vel* à jucunditate (cum tamen alij jucundum deducant à joco, vide Becman. de orig. ling. lat. p. 416.) *vel* à juvando, quod sua jucunditate juvet & exhilaret audientes. (*II.*) *Ex Synonymia seu æquipollente appellatione, quâ joci dicuntur. 1. lepôres,* qui notant Sermonem elegantem, politum ac limatum, unde derivant nonnulli lepidum à λεπίζω seu λέπω polio, squamam seu corticem detraho. 2. *festivitates seu festiva,* quæ derivari solent à festis diebus & ludis, in quibus oblectatio & suavitas varietate quadam ludorum & jocorum quæsita est, vide Rev. & Excell. Dn. D. Jac. Martini præc. meum honor. Eth. l. 2 c. 13. 3. *Sales,* qui sunt sermones festivi, elegantia doctrinæ s. sapientiæ ita conditi, ut audienti sint grati, nec satietatem vel fastidium ullum pariant. Ut enim

Sal

NB.

2.

2. *Affectiones, quæ sunt.*

(1.) jucunditas.

1.

2.

(1.)

(2.)

(3.)

Sal cibis aſperſus palatum excitat, & voluptate afficit; Sic facetiæ & lepôres exhilarant, ſuntq; ſalitum & ſapidum quaſi condimentum converſationis. Cum autem quidam ſapores ſint ſuaves, quidam autem acres & aculeati quaſi, *Græci vetuſtiores duplicem finxerunt ſalem* (1.) *Candidum ſeu Mercurij*, ex quo Venus nata ſit, Per hunc intelligebant ſermonem conditum, qui figurarum quadam venuſtate admonitiones proponit, & altius animos penetrat, non ex vanitate, ambitione, aut nocendi cupiditate, ſed ut hominum utilitati inſerviat ſervato decoro & honeſto. Unde *Sal Mercurij notat ingenij celeritatem & lepôrem in oratione ſalſa*, ſine tamen amarulentia & ſcurrilitate. (2.) *Nigrum ſeu Momi*, per quem notabant ſermonem, profectum ex virulentia, maledicentia & inepta atq; intempeſtiva reprehenſione. *Denominabatur a hic Sal à Momo* ideò, quia hic Deus juxta Poëtarum commenta, nocte matre, ſomno patre progenitus, nil operis edebat, ſed aliorum Deorum opera curioſis oculis contemplabatur, & ſi quid omiſſum aut perperam factum, id carpebat ſumma cum libertate. Vnde hic notes velim regulam: *In conviviis ſeu jocoſa converſatione evitetur ſal Momi, & retineatur Sal Mercurij*, quia ſal Momi, non ſuavitatem, ſed amarulentiam inducit. Ex hiſce *patet eos, qui objiciendo vitia nationum jocari cupiunt peccare, ob metuendam inde* (1.) *iniquitatem & injuriam*, dum objiciens vitia nationum alicui illudit, & conſequenter obliquè quaſi famæ ipſius. Aſt boni viri non eſt alienæ famæ inſidias ſtruere, ſivè directè id contingat, ſivè obliquè (2.) *levitatem*, cujus omnino expers ille non cenſetur, qui ob incogitantiam unius perſonæ totum territorium ludibrio exponit. Vitium enim privati hominis toti cœtui ritè imputari non poteſt. (3.) *periculoſitatem*, dum ob vitia, talia objecta non ſolum diſſenſiones ſæpè ſunt exortæ, ſed & aliquot fœdè periere. Quare tutum hoc omnino evitare. *II. Utilitas*, juxta quam joci & ludi ſint non tantùm jucundi, ſed & utiles, ut nimirum alios erudiant, *tam* ratione intellectus, *quàm* Voluntatis & morum. *Hinc admittendi & tolerandi ſunt honeſti ludi ſcenici, continentes thema Comicum vel*

(1.) NB.

(2.)

NB.

(2.) Vtilitas.

NB.

quam habent honesti ludi scenici ex parte.

vel Biblicum, vel profanum honestum, ob insignem eorundem utilitatem, quam præter jucunditatem adferunt *ex parte* (1.) *Efficientis seu Agentis*, h. e. *personæ dicentis & ludentis*, ex cujus parte adest *informatio & correctio auctuum*. 1. *Internorum*, & quidem *ratione facultatis* (1.) *Cognoscentis* (h. e. *intellectus & memoriæ*) *cujus respectu adest tum* apprehensio & cognitio memorabilium rerum & historiarum; *tùm* eorundem diutina retentio & conservatio memoralis, quæ per externa ista spectacula sensibilia confirmatur. (2.) *Accipientis*, (h. e. *Voluntatis & Appetitus sensitivi*) cujus respectu adest, excitatio appetitus ad Virtutem, & per C. moralis informatio. Externa enim illa spectacula & exempla, quia sunt sensibilia & in sensus vehementer incurrunt, vehementer etiam *tùm* sensum & appetitum excitant, *tùm* inanem metum tollunt, ut quis animum recipiat, & παῤῥησίαν utatur. 2. *Externorum* & quidem *ratione* (1.) *Linguæ*, quæ in loquendo tum expedita redditur, tum quoad exilitatem & hæsitantiam corrigitur. (2.) *Gestus*, qui emendatur & informatur, ut comtè & ornatè adhibeatur. (II.) *Recipientis Subjecti*, h. e. *Aspicientis & audientis*, cujus respectu adest *informatio duplex*. 1. *Intellectus & memoriæ*, dum Vulgus imperitum & ignavum, tum in multarum antiquarum historiarum notitiam h. m. pervenire potest, tum earundem, per externa spectacula facilius reminisci potest. 2. *Voluntatis*, quæ per vivam repræsentationem virtutum & vitiorum facilius à Vitijs deducitur ad Virtutis tramitem, ceu patet *testimonio*. (1.) *Romanorum* sapientiorum, qui ut liberos à certis vitijs dehortarentur, in medium producebant vitiis ijsdem notatos servos, ut coram intuerentur, quanta sit turpitudo. Vt enim maculas in facie nostra magis detestamur, si in speculo eas conspexerimus, quàm si ex alio saltem inaudiverimus; sic & Vitia magis aversamur, quorum dedecus videmus, quam solum audimus (2.) *Horatij*, dum ait.

(1.) Agētis
1.
(1.)
(2.)
2.
(1.)
(2.)
(2.) Recipientis.
1.
2.
(1.)
[2.]

Segniùs irritant animos demissa per aures.
Quàm quæ sunt oculis commissa fidelibus.

Error. Ex hisce jam patet *error quorundam rigidiorum Calvinianorum*, qui

qui absolutè omnes Comicas & scenicas actiones proscribunt, cum tamen honesti ludi scenici maximam habeant, *tùm* utilitatem, *tùm* jucunditatem, dum homo aspiciens mirificè recreatur partim splendido isto ornatu, partim dulcissima Musica, partim sensili mirabilium historiarum repræsentatione. *In jocosâ* autem *conversatione jucunditas & utilitas maximè* inter alia *attenduntur. Unde in suis objectionibus hi Calviniani committere solent plerunq;* (1.) ἄγνοιαν ἐλέγχε, quâ illegitimè ex mutatione vestium muliebrium, *Deut.* 22. *v.* 5. prohibita, contra Comicas actiones argumentantur, quippe quæ sine illa non facilè institui poterunt. Nam *dictum* illud *loquitur, tùm* de mutatione vestium deceptoriâ & occultâ, facta ignaro proximo & quidem causa decipiendi, *tùm* de seria Politica conversatione, in quâ sexuum requiritur distinctio extrinseca, quæ maximè per vestimenta fit: *Nos autem loquimur, tùm* de mutatione honesta, aperta, & minus fraudulenta, *tùm* de conversatione jocosa non seria. Unde manifesta Ignoratio Elenchi committitur propter violationem tertiæ legis Oppositionis, vid. ὡταὼτως, dum Identitas respectuum hîc non attenditur. (2.) *fallacia Accidentis quâ actionibus theatralibus mendacia*, superbiam & intemperantiam *adscribunt, quæ* tamen *ipsis competunt non per se & ex* vi essentiæ, *sed* saltem *per accidens* ex abusu puerorum & agentium. Plura de hac materia in conflictu. *III. Proportionalitas, secundum quam Joci & Ludi Convenientes sint* (1.) *Personis* & quidem. 1. *Agentis*, ita ut joci & ludi convenientes sint, seu conformes personæ dicentis ac ludentis *quoad* 1. *Statum*: Alius enim jocus militem decet, alius Theologûm; & aliter jocari licet cum æqualibus, aliter cum inæqualibus, & ijs, qui in dignitate & eminentia sunt constituti, quum juxta Germanorum proverbium non sit tutum cum potentioribus cerasa commedere. *Hinc* (1.) *Parentes erga liberos in jocosa conversatione decenter se gerant, ne autoritatem suam amittant*, juxta monitum Ecclesiastici c. 30. v. 9. 10. *Blandè educa filium, & terrorem incutiet tibi, collude ipsi & tristitia afficiet te. Ne rideas*

(1.)

(2.)

(3.) Proportionalitas, *ut joci sint convenientes.*

(1.) *Personis.*

1.

(1.) NB.

cum ipso, ut non afficiaris dolore, & tandem collidas dentes. (2.) *Larvæ bacchantium, statui Christiani & virtuosi hominis sunt difformes & disconvenientes*, quia illa προσωπβαχχεῖα seu larvæ bacchanales pugnant *tùm* cum Ethica veritate & candore, quippe quem obnubilant adulterinis & fucatis coloribus solâ ingenij vanitate, animiq; levitate; *tùm* cum fine virtutum Moralium, vid. honestate, dum hujusmodi personalis simulatio suscipitur non decorè propter sui ac proximi salutem, sed leviter propter gulæ petulantiam & omnis quandoq; generis nequitiam exercendam, ceu patet *tùm* ex exemplis quibusdam modernis, *tùm* ex Veterum bacchantium sodalitiis, quæ execrabiles atq; nefarias utriusq; sexus libidines & crudelissima parricidia perpetrârunt, ob quæ perpetuo senatusconsulto Bacchanalia tum sublata sunt, eodemq; momento lex lata est, ne usquam deinceps nocturna sacrificia fierent, vide Livium dec 4. l. 39. 2. *Ætatem*, sic alij joci conveniunt pueris, alij gravibus senibus, unde choreæ jocosæ publicæ æquè senibus atq; juvenibus nō conceduntur, ceu ex inferioribus patet. (*II.*) *Recipientis*, ita ut joci & ludi convenientes sint personæ audienti & aspicienti. *Hinc Scommata mordacia & aculeata*, quæ aliorum corda plus, atq; sagittæ, feriunt, *vitanda* sunt, *ob metuendum periculum. 1. odij*, quod hujusmodi indiscretus & insolens maledicus incurrit, dum aculeatis suis verbis bilem movet, & ei, cui illudit, & assidentibus alijs prudentioribus, qui plerumq;, dum maledicus linguam suam ad alium feriendum acuit, oculorum supercilia demittunt, & nil voluptatis inde se capere ostendunt, *2. similis, imò majoris, reprehensionis scopticæ.* Nam *eum qui dicit, quæ vult, oportet audire, quæ non vult*, ceu patet ex Pythagora, qui maledico cuidam, à quo provocatus erat dicenti: Nimium mihi maledicis, & plus satis derides, jocosè respondit: *Atq; splenetici etiam acria & amara prosunt.* Quemadmodum enim sagittæ laxo non infiguntur, sic & aculeata verba à prudenti retunduntur. (*II.*) *Circumstantiis* & quidem *1. LOCI*, ita ut joci & ludi convenientes sint loco, quum non liceat jocari ubiq;, v. g. in templo, in curia, in Senatu, in Schola & alijs locis similibus,

NB.

(2.)

2.

(1.)

(2)

(2.) *Circumstantiis.*

1.

milibus, quippe qui loci serijs & gravioribus negotijs atque actionibus sunt destinati. 2. *TEMPORIS*, & quidem *ratione*, (1.) *Inchoationis* & *Prolationis*, juxta quam quis jocetur tempore lætitiæ & recreationis, non autem tempore tristitiæ & seriæ seu gravioris negotiationis. (2.) *Durationis & Continuationis* juxta quam joci non sint nimis frequentes & multi, quia aliàs amittunt gratiam, perinde ac mel, si nimium comedas. Hinc joci & ludi proponendi sunt non ut cibus, quo nutriamur; sed ut embamma seu oxybaphum, quo appetitus excitetur. Quò respiciens forte Philippus, qui Alexandrum M. filium reprehendens, dixit: *Erubescendum ipsi, qui tam bene cantaret.* Quibus verbis non tam Musicam reprehendisse creditur; quàm Alexandri immoderatum usum, qui huic studio nimium intentus alia preciosiora & convenientiora neglexit. *Ex hisce* jam facilè *patet, concessas* omninò *esse choreas* & saltationes jocosas, *tùm* solitarias *tùm* socias, *si modò choreæ istæ sint. 1. moderatæ*, ita ut modus in ijs teneatur, nec nimis frequententur, quia *omne nimium vertitur in vitium.* 2. *Honestæ*, h. e si instituantur gratiâ honestæ delectationis, non a libidinis excitandæ vel augendæ, aut ex levitate aliqua. Cum enim choreæ ex se & sua natura sint indifferentes, pro diverso fine diversam sortientur denominationem, *vel* bonitatis *vel* malitiæ, juxta regulam. *Actiones distinguuntur finibus.* Chorea enim, quæ in se indifferens est, mala fieri potest per accidens propter directionem in finem malum, ceu patet de saltatione libidinosa filiæ Herodiadis Matth. 14. 6. perinde atq; aliàs vini bibitio, quæ in se non est vitiosa, per accidens propter hominum abusum mala fit. 3. *Proportionatæ & convenientes*, (1.) *Circumstantiis tum loci*, ita ut fiant in locis (non suspectis, sed) publicis, seu in præsentia honestarum personarum; *tum temporis*, ita ut instituantur tempore opportuno, juxta monitum Ecclesiastæ c. 3. v. 4. *Tempus est plangendi, & tempus saltandi.* Unde choreæ instituantur non tempore sacris destinato, sed in convivijs, nuptiis, alijsq; lætioribus diebus, hilaritati consecratis (2.) *Personis*, ut instituantur ab ijs, quorum officium & conscientia non suadet contrariũ.

2.
(1.)
(2.)
NB. *Choreæ sunt concessæ.*
1.
2.
NB.
3.
(1.)
(2.)

Unde saltatio magis convenit juvenibus, quibus lætitia peculiariter convenit. Eccles. 11. v. 9 quàm senibus; & magis personæ privatæ quam publicæ seu in officio constitutæ. Argumenta quæ Calviniani quidam adducunt contra choreas nostras, potius de earundem abusu, quam legitimo usu loquuntur, vide Reverend. & Excel. Dn. D. Meisnerum p. m. præc. meum hono: Coll. Adiaph disp. 12. ubi & plures invenies species saltationis antiquæ *tùm* Ethnicæ *tùm* Biblicæ, & 1. par. Phil. sob. f. 2. c. 4. q. 2.

2. Specialiter, & *tunc est 1. Verbale quod.*

18. *SPECIALITER Urbanitatis objectum si consideretur, duplex statui potest. I. Verbale*, quod in sermone consistit, unde & speciali nomine *locus* dicitur. *Est* autem hoc *Verbale Objectum aliàs duplex.* 1. *Continuatum magis*, quod est Oratio, perpetua quadam hilaritate & lepôre consperſa, ut in fabulis Plauti, Terentij, in Luciano & alijs. 2. *Interruptum magis*, quod est dictum lepidum & urbanum, serijs sermonibus convenienter insertum. Hoc hîc præcipuè intelligitur, & desumitur ex varijs Dialecticis locis, varijsq; coloribus Rhetoricis exornetur. *II. Reale*, quod in reali aliquo actu consistit; v. g. in concentu Musico Instrumentali actionibus theatralibus & scenicis, choreis &c. Unde & speciali nomine *Ludus* dicitur.

1.
2.

2. *Reale.*

(III.) Officium, quod
1. Actio.
2 Receptio.

19. *Officium* Urbanitatis *duplex* constituitur. *I. Actio*, quæ respicit legitimum exercitium & adhibitionem *tùm* joci, *tùm* ludi, ita ut in jocis dicendis observetur honestum & decorum. *II. Receptio*, quæ respicit jocos ab alijs prolatos, ita ut alterius sales jocosos venustè toleremus, & suspiciamus, nec quæ joco dicta sunt in serium convertamus. *Propter hoc duplex* Urbanitatis *officium alij constituunt Urbanitatem vel Activam*, quæ consistit in jocis ritè exercendis; *vel Passivam*, quæ consistit in ijsdem ferendis, si in nos dicantur.

(II.) Respectiva, *in collatione cum extremo peccante.*
1. in Excessu, *ut* Scurrilitas. *de qua*
Notatio.

20. Sequitur jam *Respectiva* Urbanitatis *Consideratio, quâ* ipsa *comparatur cum suo Opposito seu Extremo, quod* duplex, vid. *Peccans. I. in Excessu*, ut βωμολοχία seu *Scurrilitas*, *de qua*, hic breviter notetur *(I.) Notatio, quoad vocis istius. 1. Originem*, juxta quam derivatur à λοχάω insidior & βωμός Ara, ita ut βωμολόχος sit insidiator aræ. 2. *Impositionis rationem*,

quæ

quæ duplex aliàs *datur. (I.) ab avibus*, cibi avidissimis, quæ aris insidiari solebant captantes, si quid ex hostijs in ijs residuum manserit. Hinc Græcus quidam Scholiastes scurras βωμολόχες dictos putat, qui undiq; captent risum, quemadmodum aves illæ rapaces undiq; cibum. 2.) *à moribus emendicantium hostias*, qui, cum de plebe fuerint olim, dum immolabantur victimæ, aris adstabant, & ut particulam quandam emendicarent, & facilius quid impetrarent, blandis verbis, risumq; sacrificanti moventibus, utebantur. Hinc postea quicunq; ridiculis usus est, ut aliquid impetraret, βωμολοχ& seu scurra dictus est. vide Cæl. Rhodig. l. 10. c. 6. 2.

(II.) Definitio, quæ hæc esto? *Scurrilitas est Vitium, excedens modum in jocis ludisq;, nulla habita ratione vel honestatis vel decoræ jucunditatis.* Hujusmodi scurræ recordentur verborum Christi Matth 12. v. 36. quod de omni vitioso verbo aliquando reddenda sit ratio. 2. *Definitio.*

(III.) Distributio, juxta quam Scurrilitas aliàs *constituitur duplex. 1. Scurrilitas specialiter dicta*, qua quis ut alteri risum excitet, ita jocatur & ludit, ut *nec* dignitatis, *nec* in universum honestatis rationem habeat, dum ex planè obscænis risum quandoq; captat, imitatus Ibin avem Ægyptiacam, quæ immisso in podicem rostro, effusâq; ex rostro aquâ alvum purgat, unde & Clysterum usus monstratus fuit; sic hujusmodi scurra dum inhonesta & obscœna eructat, podicem ex ore facit. Hinc Germanis dicitur Ein Schandnarr / Schandgast. Lude festivè *Diogenes* decorum quendam adolescentem, indecorè tamen loquentem, reprehendit dicens: *Non erubescis ex eburnea vagina plumbeum educere gladium.* Refert Suetonius, quòd Vespasianus Pater scurram multa in alios evomentem provocàsset, ut in se quoquè aliquid diceret, scurra regesserit: *Dicam ubi ventrem exonerare desieris.* Alludebat hic ad formam Cæsaris. 2. *Cavillatio*, quâ quis tam falsè alios sæpè perstringit, ut quem jocum esse vult, convitium merito putare possis. Cupit enim cavillator ex sarcasmis sive scommatibus, quæ in alios temerè ejaculatur, gratiam aut risum aliorum captare. *II. in Defectu, ut* Ἀγροικία *Rusticitas seu Insulsitas*, quæ est Vitium in ludis

3. *Distributio.*

1.

2.

2. in Defectu *ut* Rusticitas.

ludis & jocis deficiens, quo homo agrestis *nec* ipse rectè jocari didicit, *nec* alios civiliter jocantes audit sine stomacho. *Hinc homines Agrestes* constituuntur aliàs *duplicis generis.* 1. *qui, dum* nullos excultos jocos proferre possunt, instar trunci aut stipitis in convivijs & congressibus sedent, nihil loquũtur, imò ad aliorum honestos jocos in calumnias & rixas prorumpunt. 2 *qui* alios quidem jocis suis oblectare cupiunt, verùm quia inepti omninò sunt ad jocandum, insulsis & rusticis suis jocis non tantùm præsentibus molestiam creant, majorem, quàm jucunditatem; sed & apud prudentes ineptiam & stultam suam rusticitatem produnt. Hujus rusticitatis exemplum Rev. & Ex. D. Jac. Mart. præc. meus hon. Eth. l. 2. c. 13. refert de insulso quodam Principe, qui allato nuncio de conjugis partu infelici, quod enixa esset Molam, quam mulierculæ nuncupant Ein Monfalb / facetus videri volens respondit. *Melius esse vitulum quam infantem seu puerum*, quia Vitulus comedi potest.

1.

2.

II. Veritatem, *ut VERACITAS, hujꝰ consideratio.*

21. Sequitur jam virtus moralis, quæ in conversatione familiari Veritatem attendit, ut VERACITAS, *Hujus consideratio* hîc *duplex* institui potest. *I. Nominalis* seu secundum nomen ac vocem. *II. Realis*, seu secundum rem, pro quâ vox Veritatis supponitur & accipitur.

I. Nominalis quæ

(I.) Notatio.

22. *Nominalis* Consideratio hîc *duplex* sit. *I. Notatio*, in quâ vocis istius *tùm* origo, *tùm* impositionis ratio enodatur, *estq;* (I.) *Latina, juxta quam Veracitas denominatur ab objecto* vid. Vero, quippe circa quod legitimè significandum & exprimendum versatur Veracitas. *Verum* autem *variè* rursus *derivari solet.* 1. *à vere* juxta nonnullos, notatione desumpta à simili. Ut enim verno tempore, Sole Arietem ingresso, omnia verè nascuntur, partusq; ad maturitatem perveniunt, cum secus nata sæpiùs deficiant: Sic in Vero omne est solidum, sincerum, non falsum aut fucatum. Quam tamen Notationem Clar. Scheibl. tr. Log. de Propos c. 3. n. 2. p. 36. rejicit. 2. juxta alios, *à particula VE*, quæ significat vehementiam, *& RES*, quasi non verborum inanis sonitus, sed solida res, vide de hac notatione ipsos Lexicographos, *(II.)*

(I) Latina

1.

2.

(II) Græca

Græca

Græca, juxta quam Virtus hæc Ethica dicitur aliàs Ἀλήθεια, nomine non ita domestico & proprio, quia ἀλήθεια seu Veritas usitatiùs disciplinis Theoreticis tribuitur, quàm Practicis. *Solet* autem Ἀλήθεια à diversis autoribus *diversimodè derivari.* 1. *ab* α *privativa particula & verbo* λαθεῖν, *quasi dicas* ἀλάθεια seu *Non latentia*, quia Veritas semel eruta minimè latere potest. 2. *ab* α particula στερητικῇ seu privationem signante juxta Aristotelem. 5. Metaph. c. 22. *& nomine* λήθη *Oblivio*, ut sit quasi *Carentia oblivionis*, quia in Veritate nulla datur oblivio, quippe quæ oppositi mendacij comes rectè dicitur, juxta illud tritum: *Mendacem oportet esse memorem.* 3. *allusivè* juxta Platonem in Cratylo, *quasi* ἄλη θεία, Vagatio divina animi. *II. Æquivocatio, juxta quam VERACITAS aliàs dici consuevit VERITAS, quæ* pro triplicis subjecti ratione in Scholis vulgò *triplex constitui solet.* (*I.*) *Entitativa*, seu *in Essendo*, quæ in rebus ipsis datur, notatq; ipsam rei entitatem prout conformis seu conformabilis est vero conceptui *Hæc* Entitativa Veritas statuitur *aliàs duplex* 1. *Formalis*, seu *in actu signato*, quando generaliter & abstractè signatur atq; definitur, quid ipsa Veritas formaliter in rebus sit, & quotuplex ipsa. Hæc Veritatis consideratio est Metaphysica, unde & *Transcendentalis* quia scilicet transcendit omnia, & reperitur intrinsecè in quacunq; entitate. 2. *Materialis, seu in actu Exercito*, quando consideratur Veritas concretivè & materialiter, prout à parte rei inest certæ specialiori materiæ, consideratæ & cognitæ secundum proprietates & affectiones speciales. Hæc materialis veritas pertinet ad omnes disciplinas particulares, quæ objectũ suum verè cognoscunt. Sic *Physica* docet, quid verè sit aurum; *Ethica*, quid verè virtus; *Mathematica*, quid verè sit Triangulum (*II.*) *Intellectiva seu Cognitiva & in cognoscendo*, quæ in conceptibus mentis seu intellectu datur, estq; *Veritas* illa *cognitionis* nil aliud, quàm *omnimoda conformitas* (scil. quoad repræsentationem idealem seu intentionalem, quæ in hoc solùm consistit, quod res ita à nobis concipitur, sicut ipsa est in se) *inter intellectum & rem.* (*III.*) *Significativa*, seu *in significando, quæ* reperitur in signis,

1.

2.

3.

(II) Æquivocatio.

I.

(1.)

(2.)

2.

3.

signis, estq; nil aliud, quàm *conformitas significationis seu signi ad rem signatam & significatam* non quidem prout res est præ-
NB. cisè in se, sed prout objicitur conceptui significantis (h. e. prout à significante concipitur seu intelligitur) & consequenter secundum illum conceptum formalem potentiæ cognoscenti seu menti alterius, cui aliquid significamus, offertur atq; repræsentatur. *Ad hanc postremam* Veritatis *acceptionem non incommodè reduci potest Veritas nostra moralis*, quippe in qua locutio, scriptio aut quæcunq; similis significatio moralis conformis esse debet conceptui loquentis aut
NB. significantis, h. e. ejus, qui aliquid alteri manifestare & significare cupit. *Notanter* autem *dixi* Veritatem significativam esse conformitatem significationis seu signi ad rem signatam, non prout res illa est in se, sed prout objicitur conceptui significantis quia prior conformitas respicit non tam veritatem significationis quam cognitionis. Ex hoc manifesta apparet *discrepantia inter falsitatem seu falsum quid dicere*, quippe quod Veritati cognitivæ seu cognitionis opponitur, notatq; præcisè difformitatem conceptus seu sermonis à re prout videlicet ipsa in se est; *& inter mendacium seu mentiri propriè dictum*, quod veritati significativæ opponitur, notatq; difformitatem locutionis seu significationis à conceptu significantis, h, e. quando verba vel alia moralia signa non correspondent conceptui mentali loquentis seu significantis. Unde *Falsitas & Mendacium sæpè sunt realiter sejuncta*, ita ut falsitas sit, ubi non est mendacium, v. g. si quis diceret, dari vacuum in natura, sibiq; persuaderet se verum dicere, ille falsum quidem præcisè pronunciaret, quia ejus conceptus non est conformis rei, seu quia illa mentalis compositio non correspondet rei naturæ & veritati, quippe quæ omne vacuum propter universi conservationem removet & fugit; non autem statim mendacium proferret, quia illa locutio est conformis conceptui & menti loquentis, quippe qui compositionem illam oraliter profert, sicut mente concepit. Unde mendacium propriè non dicit, quia inscius, & sine animo falsa proponendi dicit id, quod res non est. *Similiter* mendacium

esse

esse potest, ubi non est falsitas rei, sed potiùs veritas. Vide thes. 35.

XXIII. Moralis significativa Veritas adhuc supponi solet dupliciter I. Impropriè & Tropologicè seu Metonymicè, & quidem *per Metonymiam* (1.) *Adjuncti pro objecto*, quando sumitur pro re, quæ est vera. Hæc Metonymica & obiectiva suppositio huc non pertinet, (2.) *Effecti pro causa remota*, quando sumitur pro naturali inclinatione ad veritatem dicēdam, quam Germani nuncupant Lust vnd liebe zur Warheit/ quæq; causa remota est Veritatis Habitualis. (3.) *Causa pro effecto*, quando sumitur pro actuali conformatione sermonis & gestus cum intellectu seu conceptu significantis. Hæc actualis conformatio si constans est, fluit ex veracitate, tanquam effectus ex suâ causa, unde prædicta Metonymica suppositio propullulat. *Potest autem actualis conformatio aliàs subdistingui dupliciter vid: ratione 1. Objecti. seu materiæ*, de qua veritas pronunciatur, *& tunc Veritas* constituitur (1.) *Judicialis*, si quis in judicio veram sententiam fert, vel etiam testimonium veram perhibet, unde & alias dicitur *Veritas Justitiæ*, & ad justitiam à nonnullis refertur (2.) *Non-Judicialis*, quando quis extra judicium totâ vitâ se talem demonstrat, qualis est, nec aliud dicat, aliud sentiat, Unde & *Veritas Vitæ dicitur*. Hæc veritas hîc in veracitate præcipuè spectatur, quia veritas justitiæ, (quæ respicit veritatem dicendā in stipulationibus, contractibus, & alijs negotijs, in quibus suum alteri tribuendum) ad Justitiam suo modo pertinet; ast veritas vitæ specialiter huc pertinet, quippe quæ solius veritatis amore verum pronunciat etiam ibi, ubi sine alterius singulari noxa mentiri poterat, *quia mendacium per se improbum est, & vituperabile, verum autem probum ac laudabile*, ut scribit Arist. 4. Eth. c. 7. t. 104. 2. *signi & medij*, quo veracitas exeritur, *& tum veritas* sumitur (1.) *strictè*, quat: nudum sermonem complectitur (2.) *Latè*, prout respicit non tantum sermonem, sed omnem vitæ actionem, quam & veritas moralis hîc attendit. *II. Propriè*, quat. Veracitas sumitur pro virtute, in voluntate existente & inclinante ad verum semper loquendum, & dicendum juxta mentem. Hæc h. l. intelligitur.

6.

(1.)

(2.)

(3.)

II. *Realis quæ.*

XXIV. Realis veracitatis *consideratio* rursus *duplex* constitui potest. *I. Absoluta*, in qua veracitas consideratur absolutè in se & sua natura, extra collationem cum alio. *II. Respectiva*, in qua veracitas consideratur in collatione cum suo opposito vid: Mendacio.

(1.) *Absoluta, in qua.*

XXV. In Absoluta consideratione *notentur hæc quatuor. I. Definitio. II. Objectum. III. Officia seu Actus. IV. Affectiones.*

(1.) *Definitio.*

XXVI. Definitio VERACITATIS *hæc esto: VERACITAS est Virtus moralis honestatis & veritatis tuendæ gratiâ servans mediocritatem in dicendo Vero, sive ijs, de quibus, sive ad nos, sive ad alios, pertineant, Veritas candidè, & prout decet, referenda & servanda est.* Verax enim verum exprimit, quod veritatis habitus ita jubeat. Hinc Thom. 2. 2. q. 109. ar. 3. præclarè ait: Hominem homini ad veritatis manifestationem obstringi, non tantum ex debito legali, sed etiam morali, seu non solum propter justitiam, sed & propter honestatem.

(2.) *Objectum.*

XXVII. Objectum, circa quod versatur Veracitas, *est Verum moraliter consideratum, quod* non incommodè dicitur *convenientia cordis & oris seu vitæ, orta ex Objecti æqua consideratione.* Quando enim objectum aliquod, nobis notum, oraliter seu externè notificare mens est, tum objectum illud æqua mente ponderandum, & ex corde proferendum, ut *harmonica convenientia sit inter signum illud morale externum, quod* est *tum* verbale, quod est sermo & vox, *tum* Reale, quod sunt, mores, gestus seu vita nostra; *& inter signatum internum quod* est res *tum* mentaliter concepta *tum* appetita, quæ nomine cordis alias exprimitur. Hanc necessariam utriusque (scil. cordis & oris) convenientiam, ut hieroglyphicè repræsentarent Ægyptij, cor humanum gutture appenso pingebant, quo innuebant sensum cordis & vocem gutturis moraliter semper convenire debere.

(3.) *Officia juxta quæ veracitas consideretur.*

XXVIII. Officia seu Actus, quibus VERACITAS seu Convenientia illa cordis & oris exeritur, *constitui possunt duplices, juxta quos & VERACITAS illa considerari potest* dupliciter.

citer. I. Προφορικῶς *seu verbaliter*, h e. quà illa convenienter profertur & signficatur, atque ita dicitur specialiter CANDOR. *Hæc verbalis Prolatio & significatio considerari potest.* (1.) *ratione Objecti*, quod profertur, seu significatur, *& tunc illa Prolatio* esse potest. 1. *Simplex*, quâ legitimè significatur, quod res simpliciter sit vel non sit. 2. *Gradualis & Determinata*, ratione gradus etiam, quâ convenienter significatur etiam gradus rei legitimus, vid: quod res tanta sit, alias graduale mendacium quis commisisse censetur. (II.) *ratione formæ seu modi, & tunc Prolatio* illa esse potest. 1. *Absoluta*, qua aliquid significatur & profertur absolutè, citra adjectionem juramenti. 2. *Respectiva & restricta magis*, quà aliquid significatur determinatè cum restrictione ad juramentum, quod est negotij asseveratio seu prolatio, facta cum invocatione Dei, ut sit veritatis testis & mendacij vindex. *Hujusmodi asseveratio, per juramentum restricta* & determinata, ob divinum testimonium invocatum *conscientiosa est, & conscientiam obligare dicitur, si vid: fuerit licita, & continuerit nil contrarium vel* Dei verbo, *vel* pietati, *vel* bonis moribus. Unde licet & in simplici assertione & promissione veritas observanda, quia aliàs & in simplici mendacio peccatum committitur, tamen *magis pollicitationem cum juramento factam custodire & servare debemus, ob juramenti & simplicis assertionis disparem rationem duplicem. 1. ratione gradus diversi in opposito*, h e. fractione seu violatione, dum graviùs peccat, qui juramentum frangit, quam qui simplicem violat promissionem. Perjurium enim ad ipsius Dei irreverentiam maximè tendit, ob testimonium divinum *vel* contemtum, *vel* temerè falsæ assertioni adjunctum; mendacium verò simplex ad injuriam potissimùm hominis, qui inde fallitur, pertinet. Hinc *perjurium* quò quis propriè *vel* sciens & volens falsum confirmat, vel fidem, juramento promissam, violat, *maximè fugiendum est ob ejusdem* (1.) *malitiam moralem, quæ maxima* est, *tum* propter divini nominis profanationem, *tum* propter veritatis ipsius perversam violationem. (2.) *ultionem & pœnam tum* divinam Exod. 20. v. 7 Levit. 19. v. 12. Quantò enim magis sanctum

I. Verbaliter.

I.
(1.)
(2.)

2.
(1.)
(2.)

NB.

NB.
(1.)

est, per quod juratur, tantò magis est pœnale perjurium, ut loquitur August. Ep. 154. ad Publicolam; *tum* humanam & Politicam. Antiquitus enim qui apud Romanos falsum testimonium dixisset, è saxo trapejo dejciebatur. *Gravissimum perjurij* fidem juramento promissam violantis, *exemplum habemus.* (1.) *in Sedechia*, qui juramento promiserat Nabuchodonosori fidelitatem, sed fœdifragus factus secessionem fecit ad regem Ægyptiacum. Ezech. 17. v. 13. 14. & seqq. (2.) *in Saule*, qui. 1. Samul. 19. v. 6. Davidi securitatem asseverat; ast. v. 10. non tantum lancea suâ illum parieti affigere annititur, sed

(2.) eundem tum elapsum per sicarios suos necare cupit. 2. *ratione Effecti, qui in juramento est ipsum obligationis vinculum*, quod non æquè simplici assertioni competit. Nã obligatio singulariter quæritur ex conventione jurata, & plures sortitur effectꝰ, qui simplici cõventioni minimè cõpetunt. Hinc J. V. Doctores multa conventionibus juratis tribuunt, quæ nequaquam propositionibus simplicibus conceduntur. *II. πραγματικῶς seu Realiter, quatenus* illa, quæ *prolata* & significata sunt, *præstantur*, & quidem (1.) *ad EXTRA*, quando eа quæ promisimus verbis, reipsa comprobamus, in commodum præsertim proximi, atq; ita dicitur FIDES. Hinc promissa reipsa omninò sunt comprobanda & servanda, præsertim si obligatio quædam conscientiæ adsit, orta ex juramento dato. Unde *jusjurandum*, conscientiam constringens & licitum, omninò *servandum est, & re ipsa comprobandum, etiamsi sit. 1. Detrimentosum, & difficile quoad servationem.* h. e. licet ejus servatio sit conjuncta cum impedimento vel detrimento, quia hîc potior est ratio habenda attestationis divini nominis, quam bonorum omnium, imò ipsius vitæ, quod confirmat Rex & Propheta David Psal. 15. v. 4. *qui juravit in damnum suum*, (quod scil. rebus suis obesse videt) *& non mutat, is habitabit in monte domini.* 2. *Circumventum & Extortum.* (1.) *Fraude & dolo.* Nam juramentum, dolo vel vi extortum, jurantem ligare omninò dicitur eo casu, quo quis cogitur jurare super facto, nullo jure prohibito, ceu patet *tum* ex sequenti mox Syllogismo, *tum* ex exemplo Israelitarum Jos 9. v. 19.

2. Realiter, *quat. promissa præstantur.* 1. *Ad extra.*

1.

NB. 2. (1.)

v. 19. Cum enim Gibeonitæ Josuam fraude ob fœdus secum ineundum & jure jurando confirmandum, circum venissent, respondit Synagogæ Josua & omnes principes: *Nos juramento promisimus eis per Jehovam Deum Israelis: ideò nunc non possumus tangere eos. Hoc faciamus eis, ut servemus in vita eos, ut non sit super nos indignatio, propter illud juramentum, quo juravimus eis.* Hujus juramenti ratificatio ex consequente eventu patet, vid: fame triennali 2. Samuel. 21. v. 7. *(2.) Vi & metu*, e. g. si quis à latronibus excipiatur, & vitæ redimendæ causâ juret, se ad certum tempus, certo loco, certam pecuniæ summam (vid: 100. aureos) daturum, fidem hanc latroni datam salvâ conscientiâ fallere non potest, sed omninò servare tenetur, quod hoc unico probo Syllogismo: *Juramentum, de re possibili & licita datum, non est violandum.* Atqui præsens juramentum, datum latroni, est tale. E. *Major patet. (1.) ex divino mandato*, prohibente nominis divini profanationem, Levit. 19. v. 17. Deut. 5. 11. *(2.) ex opposito, vid: perjurio aliàs secuturo ex ejus fractione & violatione. Quantum autem perjurium sit scelus, patet tum* ex præcedentibus verbis, *tum* ex exemplis allegatis à Rev. & Excell. Dn. D. Thummio in tract: de juram. pag. 187. seq. in quibus manifestam Dei vindictam advertes. *Minor* probatur, quia illud juramentum est de re *tum* possibili, quæ præstari potest, *tum* licita, quæ non tantum promitti, sed & servari potest sine peccato, ceu *patet. 1. ex enumeratione speciali modorum*, quorum respectu res illa est licita, vid: *ratione (1.) Iurantis*, quippe cui honestum est, ut ex duobus malis minus eligat, præsertim in re gravi & seria: Præstat autem jacturam facere pecuniæ quàm vitæ, quippe quâ nulla res gravior & magis seria. Et licet maxima hic sit iniquitas ex parte latronis, summa tamen æquitas est ex parte captivi, qui licitè & liberè in ea actione eligit damnum minus, scil: jacturam pecuniæ, ut retineat vitam. Quæ electio licet ex parte principij extrinseci, vid: latronis urgentis, sit invita, tamen voluntaria est ex parte *tum* finis, *tum* principij intrinseci, h. e. voluntatis liberè eligentis unum præ altero, pro ratione temporis istius ac loci.

(2.) NB. (1.) (2.) (1.) NB.

Unde licet hujusmodi actio mixta dicatur, rectè tamen dici
(2) solet: *Voluntas coacta est etiam voluntas*, scil: quæ rem licitam
eligit sciens: (2.) *Reipubl.* quippe cujus commodum juramenti illius præstatione magis promovetur, quàm evertitur, propter Politici alicujus membri seu civis conservationem. Licet enim subditi suis spoliari opibus, & latrones impunè dimitti videantur, multò tamen magis Reipubl. interest, ut salvi sint cives, & ut innocens servetur, præsertim cum detrimenta, quæ inde aliàs consequuntur, juranti sint privata, quæ ipsi potiùs ferenda, quàm vita amittenda. (3) *Materiæ ipsius*, scil: *conversationis vitæ* non solum non invenitur proferenda, quâ vita amittenda 3. *Materiæ ipsius, scil: conservationis vitæ*, quæ non solum non invenitur prohibita, sed potiùs
(3) omninò mandata. Mandatum enim omninò est, & naturæ insculptum, servare & redimere vitam. 2. *ex oppositio*, vid: *ju-*
2. *ramenti hujus omissione*, quæ vitiosa. *Si quis* enim hoc modo vitam suam redimere posset, id verò *non faceret, peccaret.* (1.)
(1) *contra Deum*, dum bona fortunæ præferendo propriæ vitæ occasionem majoris peccati perpetrandi daret; dum majus delictum sit aliquem spoliare vitâ, cujus amorem Deus naturæ
(2) insculpsit, quam pecuniâ (2.) *contra Rempubl.* quæ cive privaretur (3.) *contra Familiam*, quæ marito, parente, hero spoliaretur, qui non æquè recuperari potest, atqui bona fortunæ.
(3) Si itaque juramenti hujusmodi intermissio est vitiosa, certè bona erit ejusdem *tum* exhibitio, quia oppositorum oppositа sunt consequentia, *tum* servatio, quia juramentum licitum omninò servandum est. (2.) *AD INTRA*, quando cordi concredita, vel alia non effutienda firmiter retinemus, &
2. *Ad intra ut Taciturnitas cujus inotetur.* sic *specialiter* dicitur *TACITURNITAS. De hac* hîc breviter duo *notentur.* 1. *Necessitas*, in re præsertim juratâ seu juramento promissa, quum juramentum conscientiam obliget. Unde *concredita, quorum silentium juramento promissum est, effutienda non sunt.* ita ut plurimi Philosophi Practici putent,
(1.) Necessitas. *Viatori, qui latroni juramentum præstitit de actione silentio tegenda, & ad Magistratum non deferenda, propter juramentum datum tacendum omninò esse, pro juramenti tamen qualitate. Si*
NB
enim

enim juramentum fuerit restrictum, ita ut quis latroni certâ hac conditione solummodò juret, quod ipsius nomen, lineamen corporis, externam formam, habitum &c. Magistratui vel alteri non velit denunciare, *tum juranti tacendum est, (non quoad genus necessariò* h. e. non quoad generalem admonitionem Magistratus necessariò, quippe quem tunc citra juramenti sui violationem monere potest in genere, ut vigilet, & in id incumbat, ut hæc vel illa via publica, quæ ab insidijs non tuta, à prædonibus grassantibus purgetur, & sic secura conservetur, *sed) quoad speciem.* h, e. quoad specialem revelationem damni istius, quod ipse ut privatus à latronibus passus est. *Sin autem juramentum illud fuerit absolutum*, ita ut Viator mediante juramento silentium pollicitus sit absolutè, quod vid: nulla ratione & modo id detegere velit, *tunc etiam ipsi absolutè tacendum*, & juramentum servandum *censet* Rev. & Excell. *D. Thummius* in tr. de Juram. p. 104. ubi & rationum, contra hanc sententiam adductarum, solutionem videbis. *Ratio autem fundamentalis*, ob quam servetur silentium, juramento promissum, *est juramentis conscientiosa obligatio*, quâ is, qui habet jurandi potestatem, & sciens jurat de re licita, satisfacere tenetur Deo, quem testem invocavit. Unde in juramenti sui præstatione jurans respicit non ad latronis vim & injustitiam, ut illam comprobet, & latroni maleficij præmium det; sed ad suam obligationem ex parte Dei, cui ut testi vel vindici invocato solvit λυτρον juramento promissum, per quod juramentum non tam latroni, quam ipsi Deo obligatus est iste homo. Hinc licet ex hac promissione nihil juris acquisierit latro, eique nulla injuria fiat, si non solvas, tamen Deus jus habet, ut verificet id, ad quod illum testem adduxisti, unde Conscientiæ obligatio subscribitur. *Licet itaq; non adsit obligatio solutionis in foro exteriori seu Politico* & coram judice, *est tamen in foro interiori seu conscientiæ* & coram Deo teste ac vindice. Esse autem hujusmodi juramentum licitum in præsenti casu, in quo Viator periclitatur de vita, patet ex hoc discursu. *Aut vita prodenda latroni, aut silentium pollicendum. Non prius,* ob

NB

NB

NB

ob incommoda plurima inde enascentia, dum subtrahitur liberis pater dulcissimus; uxori maritus carissimus; Reipubl. civis optimus. E. *posterius* quippe *quod* & *Reipubl. utile* est (licet *non absolute* h. e. extra vitæ periculum, *tamen*) *comparatè* seu in præsenti casu periculoso, dum Reipubl. bonum promovet, cõservãdo ejus membrum utile. *Si autem promissio silentij istius est licita, licita erit & ejusdem præstatio*, Nec *obstat* illud Prætoris in jure civili. *Quod vi metusq; causa factum est ratũ non habeto.* Ad hoc enim eruditè respondet Philippus in Ethicis dejuram: p. mihi 282. Sapienter & justè sancit lex, ne Prætor actionem det latroni, quia non debet confirmare latrocinia. Sed cum potestas Politica nolit judicare de alterius conscientia, relinquit hanc curam tibi ipsi privatim, ne violes juramentum. Non igitur prohibet facere promissa, tantum hoc ostendit, se nolle confirmare latrocinia, aut amare, aut juvare latronem. Hæc simplex est & non Sophistica interpretatio vetusti juris. Ut. autem quæstionis istius arduæ decisio clarior sit, notetur *ejusmodi Juramenta considerari posse* trifariam, vid: *ex parte* (1.) *jurantis*, & sic omninò obligant conscientiam. (2.) *cogentis*, & sic non item, non enim ulla nobis est societas cum latronibus & piratis (3.) *rei s. materiæ* quæ juratur, & sic juramenta tum demum obligare dicuntur, cum rei insunt conditiones, quæ objecto includuntur, quas si cognoscere cupis, lege gratia brevitatis Rev. & Excell. Dn. D. Jac. Mart. præcept. meum honor. εὐδαίμον Eth. dis. 6. q. 11. & seq. 2. *Extremum seu oppositum speciale peccans.* 1. *In Defectu, ut futilis loquacitas*, seu *secretorum divulgatio*, in qua Taciturnitas deficit, dum à mediocritate, quam Taciturnitas observat, ad parum descenditur, & secreta concredita temerè effutiuntur. *Hoc vitio notantur.* (1.) *Mulieres*, quæ plerumque plenæ rimarum sunt, hac atque illac perfluunt, nec tacere possunt nisi id solum, quod nesciunt. Exemplum notabile muliebris garrulitatis habemus in Plutarcho libro περὶ ἀδολεσχίας, ubi Augusti furtivi amores per Fulvij uxorem ad Liviam permanârunt quod capitis periculũ Fulvio attulit. Plura lo-

NB.

(2.) *Extremum speciale. I.*

(1.)

sa loquacitatis muliebris exempla si desideras, lege Clariss. Arnisæum doct. Pol. c. 9. p. 186. & de Republ. l. 2. c. 2. s. 12. t. III. seq. Ob hanc muliebrem garrulitatem Politici præter alias causas monent, fœminas ad Reipul. gubernacula elevari non debere, cum firmamentum imperij sit Taciturnitas, quod Polonus ille, teste Cromer. rectè intellexit, qui negabat subuculam scire debere, quid ageat corpus. Eandem rationem assignat Chrysostomus super 1. Epist. ad Tim. 2. Homil. 5. Docere mulieri non permittitur in Ecclesia. NB. Est quippe fermè loquax muliebris sexus, ideo fluentem omni ex parte reprimit & restringit. (2.) *Proditores*, qui dum amici videri volunt, suorum concredita secreta effutiunt, & quæ parti adversæ videntur nocitura clanculum produnt & aperiunt, *vel* quæstus gratiâ, *vel* causâ ultionis, *vel* securitatis ergò &c. Hujusmodi *Proditores* hac sua futili secretorum divulgatione (1.) *Perjurium committunt*, violando juramentum, quo se obstrinxerant ad patriæ salutem & defensionem, & consequenter ad secretorum retentionem atque taciturnitatem. Hanc autem Taciturnitatem juramento promissam, dum violant, perjuri fiunt, adeoq; Ethicam Veracitatem evertunt, dum re ipsa non comprobant, quæ juramento promiserant (2.) *Ius naturale violant*, quod exigit, ut cives & subditi patriam ab hostium violentia tueantur; Aſt si Proditores, ejus salutem pessundare annituntur. Hinc D. Paulus 2. Tim. 3. 4. proditionem gravissimis annumerat sceleribus. Exempla sacra, quæ in contrarium pro Proditoribus adduci solent, ut Rahab. Ios. 2. v. 2. Gibeonitarum c. 9. v. 24. & aliorum, sunt planè heterogenea, cum non respiciant tam Patriæ proditionem, quàm *tum* vitæ suæ conservationem, *tum* divini mandati propagationem & executionem. Cognoverant enim *tum* ex miraculis, *tum* alia occasionali revelatione atq; ratione divinam majestatem Cananæos rebelles morti atq; interitu adjudicâsse, & Bannitos quasi proclamâsse, contrà Feudum illud Israelitis tanquam Vasallis suis promisisse. Huic divinæ Majestatis decreto & mandato resistere illi ut subditi noluerunt, sed obstinatos illius regionis habitato-

(2.)

NB.

res deseruerunt vide Theologos. De Proditoribus plura si
2. expetis lege. Rev. & Excell. Dn. D. Gerhard. t 6. p. 1211. 2. *in Excessu*, ut *silentium nimium*, in quo à Taciturnitatis mediocritate ad nimium ascenditur, dum etiam ea reticentur, quæ vel bona causæ & veritati vel ipsi silenti nocent.

(IV) *Affectiones, quæ.* 1. Prudentia. *XXIX. Requisita* seu *Affectiones Veracitatis generales* constitui possunt *duplices. I. Prudentia*, quâ prudenter pro circumstantiarum & personarum ratione, *vel* cognita manifestantur aut reticentur, *vel* promissa servantur, absq; honestatis, pietatis, & divinæ voluntatis violatione. Hinc promissa, etiam jurata, quæ honestati & divinæ voluntati adversantur, servanda non sunt, sed rescindenda, ne jurans impiâ promissionem scelere impleat. Nam ut pulchrè loquitur Philo de spec. legibus ad 3. Decalogi præcepta, *Duplicare noxam, cum te possis exonerare dimidio, maxima est Mania vix unquam curabilis.* Quin potiùs malè jurans abstineat, Deumq; supplex oret, ut clementer inconsultæ temeritati ignoscat, quâ ad jurandum præceps actus: quod enim malè juratur, pejus præstatur. Unde in hujusmodi temerarijs juramentis notetur illud Euripidis ap. Ciceronem. l. 3. offic. *Juravi lingua, mentem injurantem gero.* *Hæc autem juramenti rescissio prudens, patet. I. ex præcepto divino* Lev. 5. v. 4. 5. 6. Quum quispiam juraverit, effutiendo labijs suis se malè aut benè facturum, secundum omnia, quæ effutire solet homo juramento, & abditum fuerit ab eo, deinde cognoverit se reum esse unius ex istis: Tum erit, quia reus est unius ex istis ut id confiteatur, in quo peccavit. Et adducet reatum suum Jehovæ &c. 2. *ex exemplo Davidis*, qui mortem Nabali jurabat. 1. Sam. 25. v. 22. sed laudatur, quod juramentum intermittere & rescindere maluerit, quàm jurationem suam hominis fuso sanguine implere. Tolerabilius enim est inhonestè promissum non servare quam facere, quod turpe est. *Contrà* vituperatur *Herodes*, qui juramentum, filiæ Herodiadis inconsideratè præstitum, servare voluerit, & caput Johannis Baptistæ ipsi in patina tradere. Matth. 14. 7. In quibus autem casibus Juramentum non habeat vim obligandi conscientiam gratiâ brevitatis vide apud Rev. & Excel. Dn. D. Jacob.

NB.

1.

2.

D. Jacob. Martini εὐδαιμολ. Eth. dis. 6. q. 13. *II. Constantia*, quâ constanter & candidè absque Sophistica æquivocatione *tum* conceptus & cogitationes proferuntur, *tum* promissa servantur. Hinc graviter contra Ethicam Veracitatem peccant *perfidi* illi, qui verba sua prolata in ambiguam distorquent sensum, & ut promissa violent, variè perfidiam suam pingunt, *quales fuere* (1.) *Illi*, qui cum Bæotijs aliquod dierum pacti inducias, noctu hostium agros depopulabantur, & prædas agebant, dicentes: Pacto dies, non noctes contineri. Cic. l. 1. offic. (2.) *Pericles*, qui incolumitatem promiserat hostibus, qui ferrum deposuissent. Quod cum illi fecerunt, interfecit omnes, quotquot ferreas in sabulis fibulas haberent. Front. l. 4. c. 7. (3.) *Cleomenes Lacon*, qui assumpto uno ex familiaribus suis Achonide, hunc consortem & adjutorem sui propositi fecit. Juravit igitur eis, si voti compos fieret, se omnia cum ipsis capite expediturum esse. Cum verò potitus rerum esset, caput ejus resectum vasi pleno mellis imposuit, & quoties aliquid inchoare voluit, ad vas accessit, & ibi propositum suum narravit dicens, se pactum non violare, neque jusjurandum frangere; deliberare enim se cum Achonidis capite, & hoc in consilium adhibere. vide Ælianũ l. 12. variar. hist. cap. 8.

2. Constantia.

(1.)

(2.)

(3.)

XXX. Succedit jam *Respectiva* Veracitatis Consideratio, *in qua ipsius collatio instituitur cum suo Opposito Extremo, vid: MENDACIO*, cujus Consideratio hic similiter duplex esse potest. *I. Nominalis*, seu secundum nomen. *II. Realis*, seu secundum illud reale, pro quo vox mendacij accipitur.

(2) Respectiva in *qua comparatur cũ Mendacio cujus consideratio.*

XXXI. Nominalis mendacij Consideratio *hic duplex I. Notatio, quæ* juxta diversos authores diversimodè traditur. *Deducitur* enim Mendacium 1. *à mendo* juxta Becmannum de orig. lat. ling. p. 502. Cum enim mendum propriè defectum notet, is qui minùs quam opus est, dicit, veritatem imminuit, & juxta ipsum d. l. mendax dicitur. 2 *à mente*, juxta alios, ita ut Mentiri dicatur, quasi contra mentem ire, quia mentiens contra mentem loquitur; & mendacium q. contra mentem itio, de quo tamen vide ipsos Lexicographos. *II.*

(1.) *Nominalis quæ.*
1 *Notatio.*
1.
2.

2. Æquivocatio. *in qua distinctio.*

Æquivocatio propter quam hic breviter duplex *notetur distinctio.* (1.) *Inter mendacium consideratum* I. *Materialiter*, quod

I.

notat nudam illationem seu assertionem falsi ignoti absque animo fallendi, opponitur Veritati Rei seu Logicæ, ut vocant, quia in materiali hoc mendacio verba cum re ipsa, in se consideratâ, non consentiunt. Hoc mendacium cum sit valdè improprium, & propria falsitas potius à Philosophis nuncupetur, juxta th. 21. hic non intelligitur, quia in virum bonum sæpè cadere potest, dum ab alio deceptus falsum profert, putans se vera proferre; ignorat enim se id, quod res non est, affirmare. 2. *Formaliter* quod notat enunciationem contra notitiam, quâ quis contra quam novit rem se habere enunciat, adeoq; voluntatem falsa proferendi habet. Ut autem formula mendacium accuratè cognoscatur, notetur, quod aliàs. *Voluntaria falsi enunciatio* adhuc *duplex* esse possit.

2.

(1.) (1.) *Recitativa, seu Repræsentativa*, qua quis id, quod falsum est, sciens & volens dicit, ob nudam repræsentativam recitationem, seu ita tantùm, ut alterius verba recitet, vel sub aliena persona id se facere ostendat. Hæc Recitativa & Repræsentativa falsitas licet ea asserat, quæ falsa sunt, non tamen propriè mendacium, quia illum eloquens non habet animum fallendi, nec tam ipse sic rem se habere dicit, quam id alios dicere significat (2.) *Assertiva*, qua quis sciens & volens

(2.)

falsum asserit & enunciat, cum intentione decipiendi. Hæc Assertiva falsi voluntaria enunciatio huc pertinet & propriè dictum mendacium constituit. (2.) *Inter Mendacij prolationem*, quæ notat voluntariam & deceptoriam falsi enunciationem, & *inter Veritatis celationem seu honestam reticentiam*, quâ

II.

interdum Veritas honestè reticetur & celatur. Licet enim Veracitas vetet falsum dicere, & quicquid asseritur præcipiat, ut sit verum; non tamen efflagitat, ut semper effutiatur quod tale quidem est, sed proferri non convenit, Hæc autem reticentia seu Veritatis celatio, ut ritè adhibeatur, de ea hic breviter notetur (1.) *TEMPUS, quo* ritè reticentia illa *adhiberi potest vid. extra casum obligationis*, quando quis non tenetur alteri ex mente ipsius respondere, tunc enim veritatem

De Reticentia notetur.

1. Tempus *vid. extra casū obligationis ratione.*

celare

celare potest, *propter defectum obligationis ratione* (1.) *Personæ, cum quâ agit*, quando vid: non tenetur tali personæ verum dicere, tum illud rite reticere potest, *ceu patet exemplo* 1. *Hostium*, quibus in bello justo non tenemur veritatem patefacere, adeoque nostra aperire consilia, ut se muniant, sibique caveant, quia deteriorem fovent causam, & supplicia meriti sunt, nec tamen apertis rationibus ad æquas conditiones pertrahi volunt. *Hinc in bello justo licitum est uti* (1.) *Insidijs & stratagematibus*, quæ singulari solertia in hoste *tum* cavendo *tum* opprimendo perficiuntur. His omninò uti licet, modò fiant sine mendacio & perfidia, quia stratagemata licet in se sint indifferentia & licita, tamen propter adjunctam & connexam perfidiam seu mendacium illicita fieri possunt, exemplo optimatum, in Sichem, qui fidem Abimelecho fregerunt, posueruntq; insidias adversus eum in summitate montium Judic. 9. v. 24. 25. *Esse autem Stratagemata*, in se & sua natura si præcisè considerentur, *licita & indifferentia patet.* 1. *ex divino mandato* Jos. 8. v. 2. ubi Deus Josuæ in mandatis dat insidias, dicens: Facias urbi Hai & Regi ejus sicut feciſti Jericho & Regi illius pone insidias urbi post eam. 2. *ex exemplis tum* Josuæ c. 8. v. 4. *tum* Israelitarum, Judic. 20. 29. *tum* Davidis. 2. Sam. 5. 23. vide plura apud Frontinum peculiari lib. de stratag. 3. *ex merito hostium.* Hostem enim qui meritus est supplicia, fas est perdere, spoliare, occidere, nec interest, an vi apertâ illud fiat, an occultâ circumspectione, cum utrumq; licitum sit & sine peccato, nam Stratagemata non mendacium committunt, sed saltem veritatem celant hostem, contra quem ritè adhiberi possunt, ceu patet à pari. Facinorosi enim non solum apertâ vi, sed etiam lictorum insidjs in vincula pertrahuntur, unde idem in hostes licere meritò censetur extra fidem datam. (2.) *Explorationibus*, de quibus, si fiant absque aliqua impietate seu accidentali vitiositate idem sentiendum, cum in hisce veritatem saltem celemus hostem quippe cui non tenemur consilia nostra aperire. Hinc exploratores misit *tum* Moses. Num. 14. 38. juxta mandatum Dei c. 13. v. 2. *tum* Josua, c. 2. v. 1. *Dixi notanter* Explorationes esse

1. *Personæ.*

1.

(1.)

NB.

NB.

(2.)

esse licitas, si fiant absque aliqua annexa impietate accidentali, quia aliàs actio illa, in se indifferens & licita, per accidens propter adjunctam illam vitiositatem fit illicita & mala v. g. si quis juret, mentiatur, aut falsa jactet ad hostem decipiendum & fallendum, seque eripiendum. Prudenter enim veritatem celare licet, non mentiri & pejerare. 2. *Ebriorum & furiosorum*, quibus ut rationis usu destitutis fidei nostræ rationem reddere non tenemur. (2.) *Materiæ seu ipsius rei, ad quam* (non revelandam, sed potiùs) *tacendam obligati sumus, vel* propter conscientiam, *vel* propter leges, *vel* propter publicam aut privatam salutem, ne vid. violetur, *tum* Dei majestas, *tum* proximi charitas. Sic si curiosus aliquis Consiliarium interrogaret, quid decretum esset, in concessu publico, celanda potius erit veritas quam aperienda, quia istius veri revelatio pugnat *tum* cum consiliarij conscientia & juramento, *tum* cum bono publico. Hinc Tob. 12. v. 2. dicitur. *Arcanum regis bonũ est occultare.* Sic & in alijs Politicis negotijs ob publicam salutem veritatem effutire & revelare sæpè periculosum, exemplo Appij Claudij, qui roganti Tribuno, quare plebejum Consulem fieri non oporteret, ut fortasse verè, ita parum utiliter in præsens certamen respondit, quod nemo plebejus auspicia haberet. Plebs enim ad id maxima indignatione exarsit, quod auspicari, tanquam inviti Dijs mortalibus, negarentur posse: nec ante finis contentionum fuit, quam victi tandem Patres, ut de connubio ferrent, concessere. Livius. l. 4. *Dixi notanter*, extra casum obligationis Reticentiam illam esse licitam: Nam *in casu obligationis*, in quo veritatem dicere tenemur, *eandem reticere & celare non possumus, propter obligationem* (1) *Absolutam*, quâ quis absolutè tenetur veritatem aperire, & quidem *in materia seu qvæstione Religiosa & Christiana*, quæ concernit religionem & fidem, quippe quæ si exigatur profitenda est, non celanda, juxta enunciatum Christi. Matth. 10. v. 32. *Hæc autem professio fidei ut ritè instituatur, observari poterit* (1) *Persona quærens*, quæ est omnis seriò à nobis exigens, & rationis usu non destitutus, juxta effatum Petri 1. Epist. c. 3. v. 15. (2.) *Modus*, juxta quem

2.

2. Materiæ

NB.

1.

1.

quem professio illa sit aperta, candida & constans. *Hinc patet error & fraus.* 1. *Arij* quippe cujus confessio non fuit candida & aperta. Cū n. in confessionē Orthodoxam jurare deberet, dogma suū in charta quadā scripsit, scriptumq; sub ala gestavit, atq; ita juravit. Ad eū se modu verè sentire, sicut scripsisset, intelligens nempe non orthodoxam confessionem, sed heterodoxam sub ala occultatam Socrates lib. 1. c. 38. 2. *Principum* de quibus Johannes c. 12. v. 42. ait: quod in Christum crediderint, sed propter Pharisæos eum non confessi fuerint. Horum enim religio & professio non erat constans. 3. *Bezæ*, qui fraudulenta æquivocatione usus est in assertione sua de reali & vera exhibitione corporis Christi in carne; quam historiam habet Bellar. lib. 1. de Euchar. c. 2. Becan. Manual. l. 5. c. 21. vide Theologos. 2. *Politica & Civili* quæ concernit materiam civilem & Politicam & *tunc obligatio illa* quoad veritatem aperiendam *considerari potest ratione legitimæ.* 1. *Personæ quærentis*, (1.) *Paris.* h. e. proximi, ex nobis aliquid quærentis, cui interest scire, tunc enim non oportet ipsum veritatem celare, quia alias peccaret, contra veritatem proximi. v. g. si quis studiosorum petat ab altero informationem in certa quadam disciplina, alter verò notitiam illam celaret, perperam & fraudulenter illam occultaret (2.) *Superioris*, qualis est omnis ille, qui in te jus habet atq; imperiū, ut sunt, Parentes, Præceptores & Magistratus, *ubi præcipuè Veritas non est occultanda & reticenda ad Magistratuū quæsita judiciaria, concernentia*, (1.) *Te ipsum* h. e. quæ respiciunt facta, de quibus tu ipse, ut reus, accusaris. Horum enim veritatem in judicio, nec negare debes, nec bonâ conscientiâ potes, quia illa occultatio est *tum* contra gloriam Dei, *tum* contra bonos mores & obedientiam, quam in causis legitimis Magistratui tuo debes. Hinc *Josua* Achanum sacrilegum alloquitur c. 7. v. 19. Fili mi, tribue nunc gloriam Jehovæ Deo Israelis, & ede ei confessionem: & enuncia nunc mihi quid feceris, ne celes me. 2. *Alium*, h. e. quæ respiciunt negotia proximi, quæ tu & vidisti & audivisti. Horum Veritatem similiter non occultare debes, si à judice in testimonium vocatus es, ut testeris de omnibus quæ scis, vidisti vel audivisti. *Ratio* autem ob quam

2.
1.
(1.)
(2.)
NB.
(1.)
(2.)

NB. quam hujusmodi Veritas aperiri debet *desumi hîc potest 1. à causa impulsiva vid: charitate Christiana*, quæ subvenire proximo jubet. Testimonium autem perhibere proximo, de fama & vita periclitanti, quid aliud est, quam ei succurrere. Contrà si Magistratui, eadem à te quærenti, patefacere detrectas, proximi tui famam & vitam minimè defendis. 2. *ab oppositio*, vid. reticentia, quæ in hoc casu est vitiosa & veracitatis leges evertit, juxta elegans Augustini effatum ad Casulanum: *Uterq; reus est, & qui Veritatem occultat, & qui mendacium dicit, quia & ille prodesse non vult, & ille nocere desiderat.* 2. 2. *Materiæ*, seu ipsius rei quam aperire debes, si fuerit *vel* justè quæsita, *vel* talis ut bona conscientia occultari non possit, v. g. si scires Patriæ proditorem, propter salutem totius Reipubl. quam te pro viribus promoturum jurasti, occultare eum & scelare non debes. II. *(2.) Restrictam & Respectivam* propter respectivam præsuppositionem promissionis, v. g. Si quis se dicturum veritatem de re quapiam planè ut quæritur recepit, tunc enim propter receptionem præsuppositam veritatem confiteri omninò debet, nisi veracitatem & promissionem violare velit, Quò respicit *juramentum Veritatis*, quod in veritatis confirmationem, & ad controversiarum decisionem tendit. 2. Modus. (2.) *Modus*, quo contingat reticentia illa, & veritatis celatio. *Hic* modus *contingere potest* 1. *dupliciter 1. per totale silentium*, quando planè sileo, nullamque 2. locutionem seu responsionem repono, propter defectum (1.) obligationis. *2 per responsionem & elocutionem aliqualem saltem VERI, sed (1.) in sensu diverso ab intentione quærentis, & responsũ interpretantis*, h. e. quando respondemus quod verum est sensu uno, licet ille fortè de altero quærat, & responsum accepturus sit, ceu patet exemplo (1.) Abrahæ, qui *tum* Pharaoni Gen. 12. 10. *tum* Abimelecho. c. 20. 2. de Sara respondit eam NB. sororem suam esse. (2.) Isaaci, qui idem de Rebecca asserebat, Gen. 26. 7. Uterque Verum quidem dixit, Sara enim soror erat Abrahami ex patre, licet non ex matre, ut ipse postea fatetur Gen. 20. 12. & Rebecca soror h. e. proxima agnata Isaaci erat, nam & sorores Hebræo Idiomate appellabantur, quam

quam explicationem vide apud Clariſ. Horn. Eth. l. 3. c. 10. Sed tamen reſponſio utriuſque fuit in ſenſu diverſo ab intentione quærentis, & reſponſum interpretantis, cum ex utroq; quærebatur, utrum uxores eſſent. Unde neuter ad propoſitum reſpondit, licet ita reſpondiſſe percunctatibus viſi ſint. (2.) *Partialem ſaltem, ad quæſtionem poteſtate multiplicem.* h. eſt quando una proponitur quæſtio poteſtate multiplex, ſeu ad quam multiplex eſt reſponſio, tunc reſponderi poteſt unum, & reticeri alterum, ita ut dicatur quidem verum, ſed non omne verum, ceu patet *exemplo 1. Samuelis*, qui 1. Sam. 15. 6. Bethlehemum veniens, & interrogatus, quare veniſſet, reſpondit ad ſacrificandum Deo. Hic Samuel verum dixit, ſed non omne, quia præcipuè ad unguendum Davidem venerat, quod cautè reticere voluit. 2. *Athanaſij*, qui ut fugeret Arianos, naviculam conſcendit, quæ primum ſecundo flumine & plenis ventis vehebatur. Cum autem Ariani eum inſequerentur, divinâ ptovidentiâ navicula ſeſe obvertit, & retrò meavit. Ariani non exiſtimantes fieri poſſe, ut ea cymba, quâ veheretur Athanaſius, ipſis obviaret, quæſiverunt ex eo: Numquid hic vidiſti Athanaſium prætervectum. Reſpondit Athanaſius: Modò huc ibat. Ubi Athanaſius prudenter verum dicebat, ſed non omne, quia reticebat & regreſſum, vid: quod cymba retrò mearit, & perſonam ſuã, ſe nimirum eſſe Athanaſium, quem quærebant. (2.) NB.

XXXII. Ex hiſce omnibus jam manifeſtò patet, quam *fraudulenta ſit Æquivocatio illa Ethica & Politica*, qua quis examinatus & ſuo juramento interrogatus reſpondet dubiè contra intentionem examinantis, aliud quid apud ſe mentaliter cogitando, aliud autem verbis externè ſignificando. Hujusmodi Æquivocatio *eſt.* 1. *Priſcillianiſtarum*, apud quos olim æquivocationes & pejerationes uſitatæ fuerunt, teſte Auguſt. l. de Mendacio, ita ut de ijs hic natus fit verſiculus: Jura, perjura, ſecretum prodere noli. *II. Pontificiorum*, ceu patet ex libello à Pontificiis conſcripto, cujus titulus Æquivocationis tractatus, quique Blackvelli Archypresbyteri & Ganetti ſuffragijs comprobatus: ut & alijs ſcriptis, quæ gratia brevi- *Fraudulẽta Æquivocatio.* I. Priſcilliani ſtatuunt. II. Pontificiorum, *ubi notentur.*

brevitatis vide apud Rev. & Excell. Dnn. Dd. Meisnerum p. 3 par. Phil sob. s. 1. c. 7. q. 1. Thummium in tract. de juram. à p. 146. usque ad 181. ubi invenies exempla plurima Æquivocationis concessæ à Pontificijs, *tum* in causa Judiciaria, *tum* in causa matrimoniali, tum in salvo conductu, *tum* in juramentis coactis &c.

1. *Distinctiones illorum.* 2.

XXXIII. De hac Politica Æquivocatione hîc breviter duo *notentur. 1. Distinctiones Pontificiorum*, quibus ambiguam suam locutionem excusare annituntur. *Distinguunt enim (1.) inter Judicem interrogantem justè & juridicè* h. e. si tanquam legitimus Magistratus servato ordine juris interroget, & tunc reum concedunt teneri ad fatendam veritatem; *& inter Judicem non interrogantem seu procedentem, tum justè, tum juridicè*, & tunc reum non teneri. *Dicitur autem juxta ipsos Judex non interrogare. 1. Justè*, quando Magistratus ille non est Judex ordinarius & competens personæ Pontificiæ interrogatæ, tanquam Ecclesiasticæ, *2. Juridicè, quando non servat ordinem juris.* h. e. quando *quærit de crimine occulto, de quo neq;* fama legitimè probata contra reum, *neq;* indicia competentia, *neq;* probatio semiplena, quæ facta sit per unum testem juratum, omni exceptione majorem; Et tunc reum non teneri ad dicendam veritatem, quum judex non habeat jus interrogandi, nisi secundum ordinem juris, extra quem non potest reo ullam obligationem imponere ad aperiendum crimen, cum jus non concedat illi hanc potestatem. Unde in tali casu ex D Thom. 2. 2. q. 69. art. 1. censent reum posse vel per appellationem vel aliter licitè subterfugere. vide Becan. tom 1. p. 504. & t. 2. in append. dis. de fide hær. serv.

Solutio. (2.)

Responde. 1. Ad primum de interrogatione non justa, quod in ratione ejus explicatoria principium petatur quoad personam Clerici, quasi illa subjecta non sit potestati seculari, & per C. non teneatur ipsi verum fateri, ceu patet ex Bellarm. l. de Clericis c. 28. ubi ait: Clerici non possunt à judice Politico puniri, vel ullo modo trahi ad secularis Magistratus tribunal. Nam hæc hypotesis & ratio erronea est, ceu patet *tum* ex Theologis nostratibus, vide gratia brevitatis Rev. & Ex-

& Excel. Dn. D. Meisnerum p. m. præc. m. honor. par. 3. Phil. Sob. s. 2. c. 3. 9. 1. ubi & rationes invenies & objectionū contrariantium solutiones, *tum* ex Politicis dum Clericus civis & pars parens Reipubl. statuitur, ceu illud alibi fusius Deo juvante monstrabo. *2. Ad Secundum de interrogatione Non-Juridica, esse illam distinctionem (1.) Plausibilem quidem atq; certo sensu veram.* Si enim nullum requisitorum illorum adsit (h. e. neq; fama, neq; indicia competentia, neq; semi plena probatio) & nihilominus judex (qui tamen tam temerarius non facile dabitur, ut aliquem de crimine interroget, ubi nulla indicia, nulli rumores præcesserint) hominem ad tribunal citet, atq; de flagitio planè occulto interroget, tum utiq; judex non videtur interrogare juridicè, seu secundum juris ordinem, quia ejus est, non quovis, sed tantum notoriè reos, vel ad minimū per signa quædam suspectos citare & interrogare, de quibus prolixè disputat Sotus. l. 5. q. 6. ar. 2. Et tunc citatus protestari potest, se non teneri ad respondendum, cum Judex transgreditur suum officium, & magis ex privato affectu, quam justis indicijs interroget. Unde consultius poterit vel nihil respondere, vel ad superiorem judicem appellare. (2) *Insufficientem tamen, tum* quia nec urgenti atque instanti judici satisfacit, *tum* quia æquivoci juramenti & mendacij labem nondum abstergit. Si enim in tali casu (qui tamen non facilè dabitur) vel non liceret appellare, vel judex contentus non esset, isto silentio, tum Jesuitæ concedunt, ut æquivocatione seu æquivoco utatur juramento, puta NESCIO, intelligendo INTRA SE ut DICAM tibi, vel simile quid, vide Toletum. l. 4. de instruct. sacerd. c. 21. *Nos* v. ex Soto l. 5. de Just 9. 6. ar. 2. *asserimus: prius mortem esse subeundam, quam veritatem negandam, novumq; mendacij peccatum committendum*, quia sic multò rectius consulet suæ conscientiæ, quam si illam novo crimine obstringat. (3) *Contrariantem etiam hypothesibus aliorum Pontificiorum*, qui asserunt, reum, etiamsi juridicè interrogetur, posse crimen negare. Sic enim Less. sius. l. 2. c. 31. dubit. 3. num. 16. Dico quartò: Non est tamen

(2.)

NB.

NB.

improbabile, reum non peccare mortifere negando crimen,
NB. præsertim in causa capitali, quamdiu est spes evadendi,
etiamsi juridicè interrogetur. Idem tenet, Petus Navarra,
Emanuel Sa & alij *(II.) Inter dissimulationem & mendacij*
2. *prolationem. Illam* Becanus d. l. ut & manual. l. 5. c. 21. con-
cedit, *hanc* non. Unde *Pontificij*, ceu ex Becano alijsq; patet,
putant, reum, si in priori dato casu apertè neget, se crimen per-
1. petrasse, *non tamen inde mendacem fieri 1. quia Judex non*
præsumitur interrogare nisi de crimine manifesto, seu quod ali-
quo modo in publicam notitiam deductum est. Si itaque
Reus dicendo, Non feci, neget tale crimen, scil: prout dedu-
ctum est ad publicam notitiam, à se perpetratum, non men-
Sol. tiri ajunt ipsum, si adhuc crimen occultum est. *Respondeo*
(1.) (1) *Judicis quæstionem esse absolutam*, quâ absolutè quærit,
Num illud crimen fecerit reus sive publicè sivè occultè. *Cui*
absolutæ quæstioni *si ritè & absq; fraude atq; deceptione satis-*
facere cupiat reus negans & ejus negatio (NON FECI) *ab-*
soluta esse debet, quâ neget se tale crimen commisisse sivè pub-
blicè, sivè occultè, & sic mendacium manifestò committit
ille reus. Si autem restringere velit expresè suam enuncia-
tionem. h. m. Non feci hoc crimen, scil. tanquam ad no-
titiam publicam productum, tunc fraudulenta & sophistica
(2.) responsio eò magis detegetur. (2) *Prudentem judicem*, ut
sophistam magis constringat, *querere posse*: *An absolutè &*
candidè crimen neget, an verò determinatè sub mentali quadam
NB. *restrictione concepta. Si jam* ex Pontificiorum mente reus
ad talem præmissam quæstionem veritatem & factum licitè
negare potest, mendacium, imò perjurium (si vid: juramen-
to dato reus crimen negarit) adprobabunt; *Sin non*, tum
limitatio illa mentalis *partim* est fraudulenta, in sceleris oc-
cultationem, & judicis deceptionem instituta; *partim* fru-
stranea erit, quia moderni judices prudentiores æquivoca-
tionis doctrinam sciunt, adeoq; illam præcavere possunt,
2. 2 *quia Æquivocator non intendit id, quod tum verba præ se fe-*
runt, ratione contexus, *tum* audiens sub istis verbis significari
putat, *sed* quod mentaliter concepit, cum quo mentali con-
ceptu quia verba conveniunt, putant non adesse menda-
cium

cium, sed saltem veritatis dissimulationem. *Respondeo indirectè dupliciter.* (1) *per Inversionem*; Imò quia aliud quid ab Æquivocatore intenditur & concipitur, quam quod *tum* verba præ se ferunt ratione contextus, *tum* audiens significari putat, omnino mendacium est, hoc est, falsa significatio vocis cum intentione fallendi. Nam hujusmodi Æquivocator sua negatione, dum quærenti & audienti persuadere intendit, ut putet, à se non commissum esse homicidium, quærentem decipit, & respectu illius veritatem negare intendit, licet forsan ratione sui aliud quid subintelligat. (2) *per deductionem ad absurdum.* Si enim mentalis hæc restrictio, tacitè subintelligatur, posset falsam assertionem à morali vitiositate seu mandato excusare, tunc omnis falsa assertio. h. m. excusabilis esset, adeoq; omne verè mendacium quia de paribus idem judicium. Ast hoc posterius absurdum est, quia alias per subintellectam restrictionem excusari posset mendaciũ *tum* Ananiæ Act. 5. qui dicere poterat se omnẽ pecuniã obtulisse, subintelligẽdo quã offerre voluit, *tũ* Petri. Mat. 26. v. 72 qui sub intelligere potuisset Non novi hominem vid: adhæc ut tibi dicam. *II. Rationes nostræ*, destruentes hanc Æquivocationem Papisticam, *quæ adduci possent argumentatione* (1) *Directa*, desumpta *1. à testimonio* (1.) *Divino* Psalm 12. v 3. ubi David inter hominum perditissimorum notas etiam ponit, quod unusquisq; ad proximum suum labijs dolosis, & duplici corde loquatur. & Ecclesiastici 4. *v.* 24. Pro anima tua ne confundaris dicere verum. (2) *Humano*, *tum* Patrum, *tum* quorundam Pontificiorum, quæ testimonia gratia brevitatis vide ap. Rev. & Excell. Dn. D. Meisner. part. 3. Phil. sob. s. 1. c. 7. 9. 1. p. 555. *2. ab effectu quadruplici, ex parte* (1) *Dei*, cujus gloria spernitur, dum decipitur judex, qui est vicarius DEI; Unde gravissimum notetur monitum Josuæ c. 7. v. 19. Imò si reus æquivocum addit juramentum tanquam perjurus, irreverentiam in Deum committit. (2) *Magistratus*, cui non præstat obedientiam debitam, quam quisq; Magistratui legitimè præcipienti exhibere tenetur. (3.) *ipsius rei*, cujus conscientia per perjurium & mendacium illud contaminatur. (4.) *ipsius Veracitatis*, quæ hic violatur,

Sol. (1) (2) 2. Rationes nostræ. 1. (1.) (2.)

tur, dum Veracitas dictat, inter verba & mentem loquentis
semper esse debere convenientiam, tanquam inter signum
(2.) & signatum. (II) *Indirecta ab absurdo, quia per istam Æquivocationem tolleretur*, 1. *omnis certitudo sermonis in conversatione*, si vid. quid verbis suis posset luctè alienum affingere sensum, alienum à proposito. 2. *vis & efficacia juramenti*, quod juxta Heb 6. v. 16. adhibetur tanquam ultimum medium inquirendi veritatem, & finiendi litigium. Si autem æquivocare inter jurandum permittatur, & aliud verbis juretur, aliud mente reservetur, tunc æquivocum illud juramentum veritatem non manifestabit, nec controversias finiet.

(II) *Realis in qua* 1. *Definitio.* *XXXIV. In Reali* consideratione *notetur* Mendacij. *I. Definitio. II. Distributio. III. Adjuncta deformitas.*

I. *XXXV. Definitio* hæc esto; *Mendatium est falsa significatio vocis seu signi moralis, cum intentione fallendi. Hæc* definitio *resolubilis est in conceptum.* 1. *Latiorem*, qui est falsa significatio h. e. difformitas inter vocem seu signum externum, & inter conceptum seu mentem dicentis, tanquam signatum, dum Mendax aliud ore loquitur, aliud corde sentit. *II. Strictiorem, qui* desumitur. (1) *1. à signo morali*, quod est tum vox seu sermo, tum scriptura, tum gestus seu nutus ac factum. Unde *notanter dixi*, quod mendacium sit falsa significatio vocis seu signi moralis, quia quando gestitus & actionibus significamus contrarium illi, quod est in mente & voluntate nostra, tunc mendacium committimus. (2.) *2. a principio, vid: voluntariâ intentione fallendi, quæ formalis q. ratio est Mendacij, quum formalis* ratio actionis moralis ab electione & voluntate dependeat, ita ut, quicquid actui competit, quat. voluntarius est, per se moraliter ipsi insit, & quod sine voluntate per accidens. Hinc etiamsi quis vera dicat sed inscius, & animo fallendi, mentiri tamen censetur v. g. Si quis Neophytorum sub initio Ecclesiæ in N. T. credidisset, abstinendum esse à cibis in V. T. prohibitis, & tamen alteri Christiano cum intentione fallendi persuadere voluisset, concessam esse Christiano cujusvis cibi assumptionem, ille certè mendacium protulisset, propter intentionem fallendi, licet forsan in-

NB.

scius

scius dixisset. Unde & virum politicum non decet uti ambiguis sermonibus cum intentione fallendi, cujus ambiguæ locutionis deceptoriæ exemplum notabile de Hattone, Episcopo Moguntinensi vide ap. Avent. 4. ann. Fulg. l. 7. c. 3. *Potest autem quis falli & decipi dupliciter* (1) *Simpliciter, ratione nudæ persuasionis*, quâ quis tantùm aliud sibi persuadet esse verum, quàm quod est, quia falli est aliter, quam res est, animo persuasum esse. Hujus modi simplex deceptio contingit in mendacio jocoso ut & officioso. (2.) *Determidatè & damnosè ratione damni tum* famæ *tum* pecuniæ, quod deceptus sentit. Hujusmodi damnosa deceptio datur in mendacio pernitioso.

(1) NB.

(2.)

XXXVI. Divisio mendacij *institui potest. 1. Ratione finis & Intentionis ipsius Mentientis, & tunc mendacium* constituitur *triplex* (1.) *Officiosum*, quod pro salute & commodo alicujus dicitur, quale erat obstreticum Ægyptiacarum (2.) *Jocosum*, quod per jocum dicitur cum falsa significatione, h. e. quando quis animi causa, & quod delectationem inde capiat, falsanarrat, quæ alijs ut seria, persuasa esse cupit. Ubi *nota*, quod *jocosa prolatio aliàs duplex sit.* 1. *cum falsa significatione & deceptionis intentione*, quando cum delectatione, quis falsa alijs tanquam vera persuasa esse cupit, & sic verè datur mendacium jocosum. 2. *absq; falsa significatione morali & deceptionis intentione*, quando quis joco ita aliquid proponere intendit, ut omnes facilè intelligant, aliud ipsum illum significare velle, quam dicit. Et tunc non datur mendacium quia non adest intentio decipiendi, ut in commentis Poeticis, locutione Ironica, Hyperbolica & Parabolica in quibus omnibus non tam verba, quàm ipsius dicentis intentio (quæ est alterius non deceptio, sed instructio) & modus proferendi attendatur (3.) *Perniciosum*, quod dicitur *vel* in perniciem alterius, *vel* ex mera malitia, v. g. si quis duobus rem eandem in solidum vendit. Hujus mendacij autor primus à Christo nuncupatur Diabolus Joh. 8. *II. Ratione modi*, quo profertur mendacium. *Et tunc mendacium est*, (1.) *Affirmativum*, seu *mendax affirmatio*, ut ἀντιζυγία seu *Arrogantia* quæ in

2. *Divisio ratione*
2. *Finis.*
1.
2.
(1.)
(2.)
NB.
3.
2. *Modi juxta quē mendaciū est.*

in Excessu peccat, dum plus, quam res ipsa permittit dicimus,

§. *respicientes.* 1. *Nos ipsos*, quando mentimur falsa nobis arrogando, *gratia* (1.) *nudæ inanis delectationis*, seu quando nullius commodi causa nuda mani jactatione delectamus (2.) *gloriæ aut quæstus*, quando ea nobis adscribimus, quorum usus hominibus est necessarius, ut sunt artes & scientiæ, vel ob quæ vulgo homines laudari solent, ut sunt bona corporis & fortunæ: 2. *Alios*, quando alij plus quam possident tribuimus,

2. immodica alterius prædicatione placendi gratia. (2.) *Negativum seu mendax negatio*, ut εἰρωνεία seu *Dissimulatio*, quæ in

(2) Negativum *ut Dissimulatio.* defectu peccat, dum minùs quàm ipsa res est, dicimus, *tum* ea, quæ adsunt, negando vel extenuando, *tum* contraria fingendo *Hæc* dissimulatio *respicere potest* 1. *Nos ipsos*, dum ea

1. quæ verè nobis adsunt, quæque alijs sunt cognita, dissimula-

2. mus, vel ne alijs inservire cogamur. 2. *Alios*, dum ut illa extenuatione laudem majorem adipiscamur, quæ revera habent, adesse negamus, vel contraria assingimue, quò pertinet obtrectatio, convitium Calumnia, exemplo *tum* uxoris Potipharis, quæ Josephum calumniosè traduxit, Gen. 39. *tum* senum illorum, qui Eusannam traduxerunt.

XXXVII. Adjuncta deformitas, quâ omne mendacium, ut tale, vitiosum censetur ab Augustino & alijs, *considerari potest dupliciter. I. Absolutè, quoad modum, juxta quem mendacium involvit quadruplicem deformitatem, rectæ rationi repugnantem*, vid. 1. *Sermonis abusum.* Nam usus linguæ ac ser-

3. Adjun- deformi- tas *consi- derata.* 1. *Absolutè ubi.* (1) Sermo nis abu- sus. mo nio ideo à natura datus est homini, ut per eum, tanquam signum, internos suos conceptus reconditos alijs manifestet. At contrà fit in mendacio. Propter hunc signorum abusum Rev. & Eccell. Dn. D. Gerhard. tom. 3. p. 243. in classem adiaphororum vel virtutum neutiquam referendum censet mendacium *tum* officiosum *tum* jocosum. Addit idem, juvandum quidem esse proximum, sed licitis ac legitimis medijs

NB. quia bona intentio actiones sua natura vitiosas non reddit bonas juxta Rom. 3. 8. Vide & *August.* in Enchirid cap. 22. 2. *Proximi deceptionem*, qui cum sincerè te loqui existimet,

falsæ

falsa opinione imbuitur, dum putat te id sentire, quod loqueris. Ast tu secus facis. 3 *Amicitiæ & charitatis humanæ violationem*, dum mendax, quantum in se est, violat naturale jus amicitiæ. Dum. n. in jocoso etiam mendacio facis alteri, quod tibi nolles fieri, contra charitatem proximi agis. 4 *propriæ authoritatis labefactationem*, dum mendax sibi authoritatem abrogat, ut postea non possit cū fructu admonere, & arguere, quia audientes semel decepti, subinde existimabunt ipsum officiosè vel jocosè mentiri. *Ardua* quidem est *controversia*, an omne mendacium etiam officiosum & jocosum, sit vitiosum, *placet mihi tamen*, salvo aliorum judicio, *hac vice sententia affirmativa*, quæ est *Augusti.* in lib. de mendacio ad Consentium. D. Gerhardi d. l. *D. Finckij* part. *3.* sect. *25. Danæi* Eth. Christ. l. 2. p. 265. seq. Clarisc. *Horneii* Eth. l. 3. c. 10. *Rationes* pro sententia affirmativa *potiores desumuntur. 1. à divino testimonio & prohibitione generali* Lev. 19. 11. Proverb. 13 5. Sap. 1. 11. Ephes. 4. 25 & 1. Joh. 2. 21. *Quoniam omne mendacium ex veritate non est.* Ex quo loco sic argumentatur D. Augustin. in l. de mend. ad Consentium. c. 18. *Qui docet aliquod mendacium esse licitum, vel verum docet vel falsum. Si falsum*, non est ei credendum. *Si verum* jam aliquod mendacium ex veritate est, quod negat Apostolus. *2 a causa efficiente mendacij* vid: Diabolo Joh. 8. 44 3. *ab intrinseca deformitate*, quadruplici de quâ jam antea 4. *ab oppositio* vid: veracitate quæ cum sit & bona & charitati Christianæ amica atque conveniens juxta Roman. 13. 6. sequitur quod mendacium sit vitiosum & caritati disconveniens, quia oppositorum opposita sunt consequentia. 5. *à majori ad minus* h. m. Non licet mentiri in Dei laudem. Job. 13. *17.* Roman. 3 8. E. multò magis in hominis cujusquam commodum aut salutem. *Nec obstant* exempla obstreticum Ex. 1 v. 18. 19. Davidis. 1. Sam. 21. v. 14. Jehu. 2. Reg. 10. v. *18.* Ad illa enim *Respondeo. 1. Generaliter, Fidem non ex personis metiamur, sed ex fide personas, unde non exemplis vivitur, sed legibus. 2. Specialiter, & quidem ad exemplum. 1. obstreticum, illas* (1.) *laudari* non propter mendacium, *sed propter affectum tum* timoris erga Deum v. 21. *tum*

(3.) Charitatis violatio.

(4.) Propriæ autoritatis labefactatio NB.

Ratio. 1.

2.

3.

4.

5. *Objectio.*

Solutio. 1. 2. (1.)

misericordiæ erga infantes. (2.) *etiam non esse totaliter mendacitas*, quia verum erat mulieres Hebræas vividas esse, & sæpè non accersita obstetrice parere, etsi semper id factum non fuerat, quum nec probabile sit illas duas mulieres inservire potuisse sufficienter omnibus fœminis Israeliticis parturientibus. 2. *Davidis*, quod ejus simulatio nusquam laudetur, cum ipse irrisus sit ab Achi Rege totoq; comitatu aulico, quem tamen jam Dominus in regem unxerat. 3. *Jehu*, quod fraude hoc fecerit teste vers 19. Reliqua exempla in conflictu diluam. *II. Respectivè* quoad gradum malitiæ, seu gradualem discrepantiam, juxta quam mendacium unum altero est gravius. Nam mendacium pernitiosum est summè & maximè vitiosum, contrà minùs malum est mendacium *tum* jocosum, quia non tantum nocumentum adfert, *tum* officiosum, quia prodest etiam.

(2.)
(3.)
2. *Respectivè.*

Mansuetudinis considerationis.
I. Nominalis.
quæ.
1. *Notatio.*
2. *Æquivocatio.*

XXXVIII. Sequitur jam *MANSVETUDO*, *cujus consideratio* hic *duplex* esse potest. *I. Nominalis*, *in qua* notetur. (*I.*) *Notatio*, *juxta* quam Mansuetudo dicitur *quasi manu* (facta) *assuetudo*, ita ut denominationis ratio desumpta videatur à brutorum ferorum cicuratione, quæ manuum permulsione & freni reductione mitescunt. (*II.*) *Æquivocatio*, *juxta quam sumi solet Mansuetudo in partem.* 1. *Malam*, ut cum supponitur pro lenitudine, peccante in defectu. 2. *Bonam*, *& tunc supponitur* (1.) *Generaliter* pro eo quod est cicur & placidum, quodq; Germani vocant Zahm / gewehnet. (2.) *Specialiter* & moraliter pro virtute, quæ iram moderatur. Et sic h. l. accipitur. *II. Realis quæ* duplex (*I.*) *Absoluta*, in quâ Mansuetudo præcisè in se consideratur. (*II.*) *Respectiva*, in quâ comparatur cum suo opposito.

1.
2.
(1.)
(2.)
II. Realis, *quæ*
I. *Absoluta in qua.*
(I.) *Definitio.*

XXXIX. *In Absoluta* consideratione notetur. *I. Definitio. II. Objectum. III. Requisita.*

XL. *Definitio* hæc esto: *Mansuetudo est Virtus, ritè moderans appetitum irascendi, ut decenter se gerat in ira & vindicta.* Hujus definitionis resolutio ex subsequentibus facilè patebit.

XLI. Ob-

XLI. *Objectum duplex* constitui potest. *I. Internum & Immediatum, quod* est intra ipsum Mansuetum, estq; *tum* appetitus irascendi, *tum* ipse affectus iræ, qui cum cupiditate vindictæ ex contemtu nostri aut nostrorum oritur, quemq; mansuetudo moderatur in puniendo & vindicando, ut in ijs constanter præeligat, quod decet. *II. Externum, quod* (1.) omne illud, quod iram & indignationem in animo hominis concitare potest, v. g. Injuriæ, damna, convitia &c. vide thes. seq. de causis. (*II.*) *Vindicta* & pœna ipsa, circa quam moderandam si Mansuetudo versatur, speciali nomine dici solet Clementia, quæ est Mansuetudo modum in vindicando servans. Hæc commendata præcipuè sit Principipibus, exemplo Aureliani Imperatoris, qui in obsidione Thyanæ, urbis Bithyniæ, fortè per iram dixerat, se ne quidem canem vivum relicturum. Expugnata urbe cum milites prædam sperantes instarent, ut promissa servaret, regessit Imperator: Canem me relicturum negavi, quare omnes occidite canes. Quo facetè militum avaritiam elusit.

(II.) Objectum.
1. Internũ.
2. Externum.
1.
2.

XLII. Requisita, quæ in iræ Moderatione decenti Mansuetus observet & ponderet, *sunt quadruplicia, ita ut respiciant irascendi. 1. Causas*, quæ iram & indignationem concitant. *Hæ considerari possunt* (*1.*) *Generaliter*, quoad generalem illarum conditionem & tunc sint legitimæ & graves, quæ pondus aliquod obtinent. Nam pro levibus noxijs iram gerunt pueri, & de uno aliquo verbo excandescunt mulieres, non Politici. (*II.*) *Specialiter & tunc causæ* irascendi statuuntur duplices. *1. Principales*, qua principaliter iram cõcitant, *ut sunt* (1.) *Religionis depravatio*, quãdo *vel* manifesta Idololatria deprehenditur *vel* articulorũ fidei corruptio, *vel* blasphemia, *vel* simile quid homine Christiano indignum. Ob hanc enim depravationem meritò irasci potest persona, *tum* publica, *tum* privata, exemplo Christi Matth. 21. 13. Eliæ. 1. Reg. 18. 40. (2.) *Honestatis objectio*. Ad honestatem autem refertur *tum* fama, *tum* leges, *tum* libertas, *tum* patria, *tum* parentes, Hæc si vel afficiantur injuria, vel convitijs diriter jugulentur, ira concitatur. *2. Minus principalis*

(III.) Requisita qui respiciunt irascendi.
1. Causas.
1.
(1.
(2.)
2.

2. *Objectū* quæ bonis fortunæ damnum inferunt. 2. *Objectum*, cui iraſcendum, quod ſit *rationale* ſeu Homo, cui meritò & ritè iraſci atque ſuccenſere poſſumus, *ſi eſt* (1.) *Vivens* non mortuus (2.) *rationis compos*, non mente captus, quippe qui injuriam propriè non dicitur inferre (3.) *Improbus & malus*, non qui benè de nobis meretur (4.) *Pertinax & Voluntarius. ſeu qui ex προαιρέσει peccat*, quemque ſceleris nec pudet, nec pœnitet; *non autem vel peccans* per imprudentiam, *vel* culpam deprecans. Huic enim ignoſcendum facilè cum omnes ſimus fragiles & Deus nobis quotidie peccata remittit.

3. *Tempus.* *III. Tempus*, quo iraſcendum, *quod conſiderari poteſt dupliciter ratione.* 1. *Inchoationis & Productionis.* h. e. quando concipi & exeri debet ira, *& tunc iraſcendum non eſt tempore* (1.) *Conſultationis ſeriæ*, quippe quæ impeditur per iram, quæ rationem ligat, totumque hominem furore æſtuare facit. (2.) *Exhilarationis & lætitiæ.* Non enim ſuccenſendum alicui cum lætandum eſt, vid: in convivijs & ſolemnitatibus, niſi urbanitatis & decori ratio arroganter ab alio violetur, (3.) *Punitionis*, ſeu cum puniendum eſt, quia tum ira affectata eſt crudelitas. 2. *Durationis ſeu continuationis.* h. e. quam diu iraſcendum, & tunc ira ſit brevis, nec diu alatur, ne in odium & furorem abeat. Poteſt autem illa brevitas iræ induci per oblivionem Cauſarum, quæ iræ fomentum fuere, ne recurrente cauſa ſimul recurrant affectus.

4. *Modum* *IV. Modus*, quo iraſcendum, *juxta quem* honeſta *proportio obſervetur*, *ratione.* 1. *Honeſtatis*, quæ ſemper attendatur tanquam regula, quâ vehemens hic affectus regatur. 2. *Rationis. Unde ſedulo attendendum, ne ratio* (1.) *vel planè per vindictæ cupiditatem exuatur.* Quare vindictam ita quæramus, ne nimis ſcrupulosè inimicitias proſequamur, & reconciliationem q. abjuremus. (2.) *vel anticipetur* h. e. ne in primo iræ furore aliquid contra rectam rationem committamus, quippe in quo ratio ſe colligere, & iræ cauſam ſufficienter cognoſcere nequit, unde tum à vehementi iræ affectu anticipatur & turbatur, ne poſſit cernere verum. Hinc juxta Athenodori conſilium cum *Auguſto* Cæſare prius Alphabeti Græci elementa apud nos

recenseamus, quam sententiam feramus 3. *Delicti* cujus magnitudinem nō pœna excedat, sed semper sit æqualitas inter hanc & illud. Unde crescentibus delictis exasperandæ quidem sunt pœnæ, ita tamen ne modus excedatur, & genus plane mutetur. 4. *Personæ vindicantis*, juxta quam notetur distinctio vindictæ inter privatam & publicam de quâ alibi agam. 3. 4.

XLIII. *In Respectiva* consideratione mansuetudo *consideratur in collatione cū suo Opposito Extremo, quod peccat. I. in Excessu, ut* Ὀργιλότης *seu Iracundia*, qua ex causa levi vel illegitima supra modum excandescit, vindictæque cupiditas flagrat, exemplo filiorum Jacobi. Gen. 34. 7. De hac iracundia loquitur Ps. 4. v. 5. Irascimini & nolite peccare. *Statuitur autem Iracundia triplex* 1. Ἀκεφαλία *seu Excandescentia*, quâ quis celerrimo motu ob levissimam causam excandescit, sed tamen facilè sedatur. 2. Πικρότης *seu Amarulentia*, quod vitium tardè ad iram progreditur, sed semel conceptam diu fovet, quamvis occultè. 3. Χαλεπότης vindicta sæva seu ipsa Implacabilitas, quæ pertinax iracundia absque vindicta placari nequit. 2. *in Defectu, ut* Ἀοργησία seu *Stupiditas*, quâ quis non irascitur, etiamsi justè possit. *Hæc considerari potest dupliciter* (1.) *Generaliter* prout in omnibus hominum statibus locum habet, dum nimirum quis minus quam decet irascitur, v. g. quando quis suam, suorumque famam & existimationem, non magnifacit, neque injurias sibi suisque illatas ægrè fert. (2.) *Specialiter*, & *tunc* stupiditas seu Lenitudo constitui potest duplex. 1. *Oeconomica* ut Indulgentia parentum, cujus exemplum, habemus in Eli, qui leniter admodum nefanda filiorum facinora improbavit. 1. Sam. 2. v. 22. 2. *Politica*, ut nimia Magistratus ad delicta quævis conniventia. *II. Respectiva, in qua vitiū peccare. 1. in Excessu.* (1.) (2.) (3) *2. in Defectu.*

Corollaria.

I. Cur stellæ fixæ & quædam erraticæ scintillent? causa datur duplex. 1. stel-

larum motio seu in gyrum versio, *quâ juxta Tychonem in aere intermedio divaricationem aliquam spectantibus suggerunt, ceu aliàs probari solet exemplo* (1) Gemmarum *lucidissimarum, quæ motæ scintillare videntur, nam tremor lucis præsupponit motum corporis, siquidem accidentium motus nõ est nisi secundarius.* (2.) Ignis, *cui inhærens lux tamdiu silet, quamdiu flamma, subsilit autem saliente flamma.*

2. Radij solaris reflexio *quando enim radij solares, qui corpora ista luminosa attingunt, reflectuntur, scintillationem quandam emittunt, seu declarari potest exemplo globi ex cupro vel orychalco confecti, & in turri positi, ad quem si radij solares attigerint, videmus quandam crispationem & tremulationem, quam ex reflexione tantum provenire certum est. Hinc rationem promere cupiunt, quare Saturnus nullum omnino lumen crispet, Venus autem & Mars omnium maximè, item cur Arcturus aliter scintillet, aliter Sirius, aliter adhuc oculus Tauri lucidus. Quod a stellæ propè Horizontem validius scintillent, causa petitur ex vaporibus intermediantibus, qui scintillationem (non causantur, sed) promovent atq; intendunt. Ex quibus vaporibus rationem nonnulli etiam petunt,*

cur

cur Sol oriens ſpeciem exultantis quandoq; præ ſe ferat.

II. Cur in aheno latera ſint calida fundus a. frigidus ferè ſentiatur in comparatione? Ratio *deſumitur.* I. à figura ignis pyramidalis, *juxta Keck. quia ignis ſemper ſurſum tendens ad latera aheni maximè accurrit, ibiq; acrius urit, quod declaratur* exemplo flammæ, *quæ in acumine vehementius urit quam in medio, quia in faſtigio magis accedit ad naturalem ſuam formam.* II. ab aqua in poros fundi ſe inſinuante, *quæ juxta Scalig. igni reſiſtere dicitur, ut calorem non poſſit exercere, & ſic fundum pervadere. Ad in Suarium diſp. Metaph. 18. ſ. 8. n. 17. quod aquæ partes calidiores ut leviores aſcendant, contrà craſſiores ut frigidiores ſubſideant. Declarari ſolet ſecunda hæc ratio* exemplo aheni plumbei *in quo in fodinis metallicis vitriolum coquitur, ubi præſente humiditate plumbum non liqueſcit, aqua a. extracta, & igne non exincto, ſtatim liqueſcit. Idem judica de ſartagine plumbea in quâ Luneburgi Sal coquitur.*

III. An hic Syllogiſmus in forma ſit bonus?

Neceſſe eſt omnem finaliter incredulum damnari.

Neceſſe

Necesse est omnem finaliter incredulum esse hominem.

E. necesse est quendam hominem damnari. Neg.

IV. An abstractio secundum rem & rationem sit Metaphysica? Neg.

V. An doctrina seu scientia naturalis de spiritibus, ut talibus, novum habitum seu scientiam constituat? Aff.

VI. Virtus movens, quo est remotior à centro, eò est velocior & validior. *Ex hoc Canone ratio petitur* cur 1. lapis *è fundâ ejiciatur velocius & validius, quam è manu.* 2. lignum *si genibus admotum frangi debet, cur utraq; manu ipsum apprehendere debes, non ad ipsum genu, sed in extremitate ligni remotiori à genu.* 3. vela *eorumq; antennæ quo altius malo affinguntur, eò velocius navim impellant.*

VII. An princeps sit solutus legibus? *Dist.*

VIII. Cur sitis magis torqueat quàm fames? *Et cur majorem potus, quam cibus, afferat delectationem?* Ratio petitur. 1. Ex diversa operatione caloris & frigoris. *Cum n. fames sit appetentia sicci & calidi, adeoq; ex ventriculi frigiditate oriri censeatur, contra sitis sit frigidi & humidi appetentia, adeoq; ex orificij ventriculi arefactione & exsiccatione orta dicatur, calor in siti fortius agit, quam frigus in fame. Hinc* 2. quia sitis magis nos torquet, *si ab illa liberamur,* majorem post se relinquit delectationem. 3. ex faciliori penetratione potus, *qui cum propter humiditatem facilius penetret, auget hanc delectationem, subita per multas partes potus distributio, vide Bach. cen. 1. q. 95.*

DEO SIT LAUS ET GLORIA.

COLLEGII PRACTICI GENERALIS
seu ETHICI
DISPUTATIO DECIMA
De
JUSTITIA.

Quam
Auspicio Sacrosanctæ Trinitatis
Et
Consensu Amplissimi Senatus Philosophorum
In
Incluta ad VARNUM Academia
Sub Præsidio
M. JOHANNIS ELERI
Rigâ-Livoni,
Publicè defendendam suscipiet
CONSTANTINUS GIESE
Dantisc. Borussus.
In Acroaterio Majori die horis à 7. matutinis.

Lipsius *alicubi: Videsne ut in Medicina sæpè tristia & tetra propinantur, sed salutis caussâ, itaq; ab hoc fine adeò non odimus Medicos, amamus & laudamus. Simillimum in JUSTITIA: â cujus acerba functione aut ustione salus generis humani pendet.*

Leo turicratidis F. *cuidam percontanti, in qua demum civitate tutò vivere posset? in ea, regessit, quam qui in colunt, neq; plus possident, neq; minus, & ubi justitia viget.* Plut. in apoptheg.

Rostochi
Ex officina Typographica Joachimi Pedani,
Acad. Typogr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0305
DFG

Magnificis, Strenuis, Prosapiâ Nobilissimis, Amplissimis, & Spectatissimis VIRIS

DN. ARNOLDO AB HOLTEN,

Proconsuli in florentissimâ Dantiscanorum republ. gravissimo, quà Ecclesiam, quà rempublicam, quà scholas præclare merito, Protoscholarchæ munificentissimo, Dn. Affini suo perpetim singulariq; honoris cultu venerando:

DN. TIDEMANNO GIESEN,

DN. ADRIANO von der Linden / ejusdem reipublicæ Dantiscanæ Consulibus vigilantissimis longeque dignissimis, Scholarchis gratiosissimis, Patriæ patribus Eminentissimis, Isti præfecto ærarij solertissimo, parenti summâ ac filiali reverentiâ æternum observando, huic Levano perpetuâ singulariq; observantiâ colendo:

Nec Non

VIRO Spectabili, Prudentissimo, Generis Nobilitate & honoris dignitate Amplissimo

DN. SALOMONI GIESEN, Judiciorum publicorum reipublicæ patriæ adsessori justissimo, Patruo æviternum suspiciendo.

Ut Et

Nobilissimis, Florentissimis & Integerrimis VIRIS

DN. ALBERTO } GIESEN, } Fratribus conjunctissimis.
DN. JOHANNI }

DN. CONRADO LEMKEN, Illis Dnn. patruis suis magnifaciendis, huic Dn. Avunculo plurimum amando,

Hanc disquisitionem Ethicam in debiti Honoris signum & majoris benevolentiæ erga se suaq; studia incitamentum L. M. Q. offert & dedicat

CONSTANTINUS GIESE, Dantisc.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0306
DFG

THESIS I.

SEquitur jam *virtus Moralis moderans actiones nostras erga alios*, ut *JUSTITIA, cujus consideratio* hîc *duplex* esse potest. *I. Nominalis*, seu secundum nomen & vocem. *II. Realis* seu secundum rem, pro qua vox *JUSTITIÆ* accipitur & supponitur.

Justitiæ *Consideratio duplex.*

II. Nominalis consideratio *hîc* sit potissimum *duplex. I. Notatio. II. Æquivocatio.*

1. Nominalis *quæ.*

III. Notatio, in qua vocis istius *tum* origo *tum* denominationis ratio enodatur, *hîc pro duplici lingua duplex* esse potest. *I. Latina, quæ duplex* circumfertur. (1) *Apparens & Allusiva magis, juxta quam* per μετάθεσιν seu transpositionem quandam litterarum nonnulli derivare cupiunt *Justitiam à vi sistendo*, eò quod vim sistat. Verùm *allusio hæc potiùs censetur quàm vera deductio & notatio.* (2) *Vera magis, quæ respicere potest vocis Justitiæ derivationem. 1. Grammaticam*, quæ est vocum ut vocum. Et sic *statuunt Justitiam derivari à Jure*, ita ut *Jus* sit primitivum, *Justitia* autem derivativum Grammaticè, quia secundum Grammaticos illud vocabulum judicatur esse prius, quod pauciores habet syllabas. Hinc Wesenbecius in digest. l. 1. tit. 1. num. 3. ait: simplicius est dicere à Jure Justum: Justitiam à Justo; Justi esse additâ particulâ TIA. vide & Scaliger. lib. 3. de causa Lat. ling. c. 98 *2. Logicam & Realem*, quæ est vocum respectu rerum significatarum, & *sic* Philosophi statuunt, *à Justitia denominari Justum & consequenter ipsum Jus*, quippe quod à Justo promanat. Nam juxtà denominationem Logicam illud Philosophis est prius, in quo intellectus noster primùm invenit potentiam obedientialem recipiendi notionem secundam, seu terminum Logicum, id quod contingit in denominante (seu abstracto

1. Notatio, *quæ.*
1. *Latina, quæ.*
(1) *Apparens.*
(2) *Vera magis, quæ respicit deductionē.*
1. *Grammaticam.*
2. *Logicā.*

Metaphysico, à quo vel per quod fit denominatio) quod prius est *tum* denominativo, quod est concretum includens & formam denominantem & rem denominatam; *tum* eo, quod à denominativo illo proficiscitur. Jam verò forma denominans hîc est Justitia, à quâ fit denominatio Justi, tanquam concreti, includentis *tum* formam denominantem videlicet Justitiam, *tum* rem denominatam seu subjectum, cui competit illa forma denominans estq; h. l. HOMO. A Justo autem

NB. autem promanat postea JUS. *Hanc Logicam* derivationem & notationem *priori Grammaticæ præferendam censent Philosophi*, quia Philosophia Practica realis est, non tam vocum inflexiones, quàm rerum significatarum à se invicem derivationes ac dependentias attendens. Hinc Rev. & Excell. Dn. D. Jacob. Martini Præceptor meus honor. Eth. l. 2. c. 15. p. 375. reprehendit Wesenbecium & alios, qui derivationem Justitiæ putant à Jure & Justo esse non tantum Grammaticam, sed & Logicam atq; realem, & ita utramq; hic coincidere.

II. Græca. *II. Græca*, qua δικαιοσυνη ab Aristotele lib. 5. Ethic. ad Nicom. cap. 7. derivatur ἀπὸ τῆς δίχα, hoc est, bifariam seu duatim & divisim, eò quod gladio suo, quem dexterâ & lance, quam sinistrâ tenet manu, in duas quasi æquales partes diffindat, operaq; ex æquo pensitet. Hinc ab Aristot. d. l. Jus vocatur δικαιον quasi δίχαιον, hoc est, bipartitum, & Judex δικαστὴς quasi δίχαστὴς, hoc est, bipartitor. Vide & Cœlium Rhodiginum l. 23. antiq. lect. c. 15.

II. Æquivocatio, *juxta quã sumitur.* *I. Oratoriè.* *II. Theologicè.* *III. Philosophicè & quidem.* (1) *Impropriè magis* 1.

IV. De Æquivocatione notetur, quod Justitia tripliciter aliàs sumatur. *I. Oratoriè* & sic juxta nonnullos supponitur pro officio funebri, seu eo, quod defunctis exhibemus. Quo in sensu Justi dicuntur qui defunctis persolvunt *Justa*, hoc est, exequias & mortuorum sacrificia. *II. Theologicè*, & tunc sumitur pro *Justitia tum* legali *tum* Evangelicâ, de qua Theologos consule, quippe ad quorum cathedram illa spectat. *III. Philosophicè, & sic* sumitur adhuc dupliciter (1) *impropriè magis*, & quidem 1. *Metonymicè, per Metonymiam signati pro signo*, hoc est, quando nomen habitus existentis in mente Justi, sumitur pro systematica ejus conscriptione, in libris contenta,

tenta, quæ est signum repræsentans ipsum habitum in mente Justi, habitum illum conscribentis & designantis. Hoc modo quando Logicus quispiam conscribit Logicam, tunc in systemate illo conscripto Logica non est nisi signotenus, videlicet quatenus repræsentat veram Logicam habitualem in mente autoris, à quâ & ipse autor denominatur Logicus, cum denominatione reali & principali. Eadem ratione Metonymicè & signo tenus saltem terminus Justitiæ accipitur ab illis, qui ipsum describunt per artem & disciplinam in libris contentam, qua ad habitum comparandum utimur. *Confundunt* enim *ipsi ipsum habitum*, id est, rem *cum ejus systematica descriptione*. Hinc quando systematicæ illi conscriptioni accidit, ut actu producat habitum, id fit non principaliter, sed saltem instrumentaliter & secundariò. Cum autem Justitia hîc accipiatur ἑκτικῶς, hoc est, habitualiter, non συστεματικῶς, hoc est, pro conscriptione systematica, hæc Metonymica suppositio hîc erit heterogenea. 2. *Metaphoricè, quando* terminus Justitiæ *propter* aliqualem *analogiam* & convenientiam *in similitudine quadam* cum Justitia vera *attribuitur* (1) *Brutis*, sic Ælianus lib. 2. de anim. c. 8. Delphinos nuncupat Justos, utpote qui venationis piscium partes ita inter se partiantur, ut majorem prædam relinquant ei, qui capturæ causa fuit. Sic idem l. 5. c. 39. de Leonis Justitia quædam refert. Hæc tamen Justitia est impropria & Metaphorica saltem, quia feris ob rationis defectum Justitiæ habitus competere nequit. unde & Philosophi Jus naturæ ad homines solùm restringunt, non ad bestias, vide disput. 11. 2. *Prædonibus*, quatenus ipsi æqualem prædæ distributionem servant. His similiter Iustitia vera non competit, ob iniquitatem in captura exercitam, ob quam cuiq; jus suum non tribuunt. *II. Propriè magis*, & tunc *Justitia est habitus Philosophicus, quo homo aptus redditur ad justa agenda & volenda. In qua* descriptione notetur *conceptus*. (*I*) *Latior, qui* duplici circumscribitur voce, dum *dicitur*. (1) *Habitus* scilicet *acquisitus*, qui acquiri potest propriis actibus ipsius possidentis, hoc est, ejus, qui justitiam possidet, & inde Iustus denominatur. Monent hîc nonnulli, in generalissima hac Iustitiæ descri-

NB.

NB.

2.

(1)

NB.

(2)

(II) Propriè magis.

I.

(1)

ptione rectiùs loco conceptus latioris poni habitum quam virtutem, ob Iustitiam Universalem, quæ non tam est virtus, quam virtutes omnes. (2) *Philosophicus* quia ad Philosophiam Practicam pertinet. (II) *Strictior, qui desumitur (1) à subjecto generaliori denominationis* videlicet *homine*, qui ob habitum Iustitiæ possessum denominatur Iustus (2) *ab objecto*, quod est res justa, ad quam per justitiam homo redditur idoneus. (3) *ab effectu istius habitus*, *qui* est *tum* aptitudo & idoneitas ad justè operandum, *tum* actualis operatio spontanea & voluntaria, quâ quis non tantum aptitudinem illam in actum deducit, sed & deditâ operâ atq; sponte per Iustitiæ habitum eligit & expetit ea, quæ justa sunt.

(2) 2. (1) (2) (3)

Et sic juxta Philosophos Justitia est.

V. Juxta hanc ultimam suppositionem, hoc est, significationem *Justitiæ à Philosophis & Scholasticis* adhuc *duplex constituitur. I. Universalis. II. Particularis.* De singulis hic quædam enodabimus pro majori terminorum istorum explicatione.

(I) Universalis, cujus consideratio.

VI. Justitiæ Universalis consideratio hîc *duplex* esse potest. *I. Nominalis. II. Realis.*

1. Nominalis, *quæ* 1. ἐτυμολογία.

VII. In Nominali enodatur Iustitiæ universalis. *(1) ἐτυμολογία seu Notatio, juxta quam dicitur. 1. Justitia*, quia involvit ordinem ad alios, dum Iustus virtute suâ aliis, imò toti Reipubl. prodest, ubi cum aliis negotij quid ipsi intervenit. *2. Universalis*, quia hæc Iustitia universaliter se extendit ad omne, quod legibus & Iuri consentaneum est, leges autem præcipiunt vel certè præcipere debent de *Omni virtute* v. g. lex vetat fugere turpiter è prælio, quod fortitudinis munus est, prohibet scortationem, adulterium, quod ad temperantiam spectat & sic in cæteris deinceps jubet ea, quæ sunt virtutis, prohibet quæ vitij. vide Arist. l. 5. Eth. c. 3. Unde *Justitia hæc dicitur Universalis (non ratione officij & efficaciæ tantùm*, ut aliàs vult Thomas l. 2. c. 2. q. 58 art. 6. quod Iustitia universalis reliquas virtutes omnes ad finem suum ordinet, dum ipsarum actus ad commune & publicum bonum referre docet, *sed) ratione esse sui*, videl. quod essentia & natura ejus tam latè pateat, quàm ipsa virtus universa & omnis, dum hæc justitia in se se virtutes

1. 2.

conti-

continet omnes, quia cunctis illis, quæ leges præscribunt & præcipiunt, obtemperare & ad illas totam vitam componere docet. *Esse autem Justitiam hanc universalem cum virtute universa unum quid (non relativè tantùm* & propter unitatem ordinis, *sed) realiter & identicè*, patet ex Arist. 5. Eth: Nicom: c. 3. mihi, ubi ait: *Itaq; neq; hæc justitia pars virtutis sed integra virtus est: neq; huic opposita injustitia pars vitij, sed integra vitiositas*. Quid verò virtus & justitia hæc differat ex iis, quæ diximus, jam patet, utraq; enim eadem est, vide & Acciajolum ad. 5. Ethic. c. 1. t. ult. *Ex hisce jam patet*, quid statuendum sit de sententia Thomæ d. l. Ludovici Molinæ de Just. & jur. tom. 1. tr. 1. dis. 1. n. 1. qua statuitur, quod virtus legalis h. e. universalis sit generalis saltem quo ad efficaciam licet aliàs certa tantum species virtutis sit. Argumenta quæ pro hac sententia Thomæ affert Dominicus Soto l. 3. de Just. q. 2. ar. 5. refutata vide gratia brevitatis apud Clariss: Horn. Eth: l. 3. c. 11. p. 436. (II) Συνωνυμία h. e. *Æquipollentium terminorum atq; Epithetorum collectio, dum dicitur Justitia 1. Legalis*, quia quæ opera virtutis leges præcipiunt, ea etiam ad alium, & commune bonum civitatis referre docet Justitia universalis. Eadem fermè ratione dicitur *& legitima*, quia versatur circa legitima (h. e. Justa quodammodò) quæ à legibus instituuntur. *Sunt autem* Νομιμα *h. e. Legalia duplicia. (I) Publica seu Politica*, quæ ad omnia ejusdem civitatis membra pertinent. Hæc hîc potissimùm & principaliter respiciuntur, quia Universalis hujus Iustitiæ doctrina circa politicam institutionem maximè est occupata. *(II) Privata, & quasi singularia* quæ privatim & ad certos extenduntur. 2. *Perfecta maximè*, Arist. 5. Eth. Nicom. c. mihi. 3. *tum* quia virtutum omnium complexus est, virtus autem habentem suum perficit; *tùm* potissimùm quia respicit usum perfectum ad alium, dum Iustitia hæc universalis non solum possessorem intrinsecè bonum reddit, sed & foras progreditur, atque fructum suum ad alium atq; commune bonum transfert. Perfectior autem est virtus unaquæq;, quò latius se diffundit & ad alia se extendit. Nam perfectior gradus virtutis requiritur, ut rectè ibi quis se gerat,

NB.

NB.

2. Συνωνυμία. 1.

(1.)

(2.) 2.

NB.

rat, ubi plures occasiones sunt delinquendi, quàm ubi aut nullæ aut paucæ. Sic sæpè, qui nihil avarè aut injustè egerat privatus, idem postquam ad rempubl. accessit, avarus & injustus fit, quod major sit occasio. Hinc illud Biantis: *Magistratus ostendit virum, quia* juxta Arist, l. 5. Eth. Nicom. c. 3. magistratus respicit administrationem ad alium h. e. commune bonum in societate civili, unde vir, seu possessor virtutis potissimum declaratur.

2. Realis, *in qua.*

VIII. In Reali consideratione *notetur Justitiæ universalis. I. Definitio. II. Formale superadditum. III. Distinctio. IV. Oppositum.*

1. *Definitio.*

IX. Definitio hæc esto: *Justitia universalis est habitus Philosophicus, quo quis legibus & juri congruenter vivit, adeoque secundum omnes virtutes.*

2. *Formale superadditum.* NB.

X. Formale superadditum, quod *est* ratio illa propria, quam Iustitia universalis reliquis particularioribus virtutibus omnibus superaddit, iisq; contradistinguitur, estq; h. l. *Respectus superadditus ad alios.* In hoc enim superaddito respectu ad alios, Iustitia hæc formaliter differt à virtute, quia *virtus* in se considerata, præcisè & expresè involvit ordinem ad subjectum seu possessorem, cui inest, quem simpliciter reddit virum bonum & benè agere facit, juxta Arist. 2. Eth. c. mihi 5. *Est Justitia universalis importat præterea ordinem ad alios*, quibus idem virtute suâ prodest. unde contingere potest, ut quis privatim bonus censeatur, deq; rebus suis rectè disponat, nec tamen se gerat, ut par est, ubi cum aliis negotij quid ipsi intervenit. Hinc vulgò dici solet Iustitiam bonum alienum esse. *Differt itaq; Justitia universalis à virtute ut Respectivũ quid ab absoluto, ita ut justitiæ dicatur universa virtus* (*non absolutè* seu in ordine ad ipsum subjectum seu possessorem, hoc enim sensu quælibet virtus proprio suo nomine vocatur) *sed comparate* pro ut eâ disponimur in ordine ad alium & ad commune bonum, ita ut justitia sit quasi usus quidam & applicatio virtutis, quippe in cujus usu & exercitio ponitur, dum docet parere legibus, quæ de omnibus præcipiunt vel certè præcipere debent, quæ ad publicum & commune

mune bonum pertinent. *Intelligitur* autem *hic respectus seu relatio illa, quam importat justitia, ad alios.* 1. *Supposit aliter diversos & distinctos,* hoc est, *ad diversos homines aut personas,* quia actiones propriè sunt suppositi, ut principii *quod.* v. g. homo propriè dicitur irasci aut timere l. 1. de ani. c. 4. tex. 64. sic & justitia propriè est unius suppositi humani ad alterum, seu unius personæ humanæ ad aliam, videlicet cum homo, animo ad concordiam redacto, sic cum altero vivit, ut fas est & leges jubent. 2. *Non autem ad diversas potentias in uno eodemq; supposito, quia hæc obedientia,* qua una animæ facultas alteri consentit, *non* est *nisi Metaphorica.* Ex hisce patet *Error* 1. *Platonis,* qui 4. de Republ. Justitiam universam non tam in convictu ipsorum hominum, quam concentu facultatum animæ consistere docet, & injustitiam non in eo, quod homo hominem lædat, sed in illarum facultatum itidem seditione & dissidiis positam multis contendit. Verùm hæc omnia saltem Metaphoricè supponenda & accipienda sunt, quia ut una facultas animi alteri (quando videlicet inferior rebellat superiori) propriè non facit injuriam, sic nec justitia proprie dicta est, si una alteri consentiat. (2) *Christophori Ehemij, qui* l. 5. de prin. jur. c. 3. Platonem secutus, *duplicem Justitiam universalem constituit, alteram Absolutam,* quæ animæ vires tantum moderatur, & totius animi rectitudinem respicit; *alteram Relatam seu Politicam,* quæ ad alium refertur, videlicet ad societatem humanam & Rempubl. Verùm Peripateticis implicare videtur contradictionem *Justitia* absoluta. quia justitia semper dicitur ad alium, ceu patet ex Arist. 5. Eth. Nicom. c. 3. ubi ait: Hæc quidem Justitia virtus perfecta est, non absolute tamen, sed ad alterum. Unde Ehemij justitia absoluta nihil aliud est, quàm ipsa virtus nudè & in se spectata.

1.

2.

Error (1)

(2)

XI. Distinctio est, quâ enodatur modus, quo *Justitia universalis differt.* I. *â cæteris virtutibus particularioribus, & tunc ab iis differt (non re & specie sed) formaliter saltem & ratione, tanquam respectivum quid ab absoluto, quod,* ut citant, *Buridanus* 5. Eth. q. 4. & 5. *probat* (I.) *Ratione, quia virtus* licet expresè potissimum & principaliter importet respectum ad

3. Distinctio Justitiæ Universalis. (1) à reliquis particularibus Virtutibus.

subjectum, cui in est, tamen nulla virtus est, quin *consequenter ad bonum publicum suo modo tendat*, ita ut cujusq; virtutis sit complere suum munus etiam gratiâ boni communis,

(1) *quod patet* 1. *ex natura sociabili hominis*, quâ homo, ut animal

(2) sociale, tum demum felicitatem vitæ hujus sentit, cum in civitate vivit, ceu docet Arist. 1. Polit. c. 2. 2. *Ex Inductione specierum.* v. g. Fortitudinis est fortiter pugnare etiam ut bonum commune servetur, quia pars quæq; naturâ ipsa sese periculis objicit, ne totum intereat. Sic nulla est Liberalitas, nulla Magnificentia nisi erga alium, nulla mansuetudo, nulla virtus homiletica, nisi ubi cum aliis vivitur. Si autem virtutum omnium, quæ hominem felicem reddunt, est suo modo ad bonum publicum tendere, certè specie & essentialiter ab iis distincta non erit Justitia universalis, quæ omnia ad publicum bonum referre docet; sed potiùs Justitia hæc erit virtus illa

NB. universa, ita extensa & diffusa. Ex quibus patet *Error Dominici Soto*, qui l. 3. de just. q. 2. ar. 5. ait: Experientia confirmari, homines nonnunquam abstinere, & frugaliter vivere propter honestatem nudam, & ut est particulare tantum bonum, ita ut iidem leges & commune bonum non respiciant, imò leges & ipsum magistratum exosum habeant. Nam certè qui temperanter vivit amore honestatis, seu quod honestum & pulchrum ducat temperantiæ studere, *is per se* nullo modo potest *vel* contemnere leges, de temperantia publici boni causa latas, quippe quas ipse salutares esse judicat; *vel* odisse Magistratum, diligentem earum custodem: quin potiùs ipse,

NB. quantum in se est, vult omnes homines sui similes esse, adeoq; legibus istis communiter obedire. *Dixi notanter per se* illum non posse *vel* leges istas abrogatas cupere, *vel* odisse magistratum, quia ex accidenti & aliâ de causa idem ille Magistratum odio persequi potest, & *quidem* (1) *ob ambitionem*, qua malit imperare, quàm alteri subjectus esse. (2) *ob privatam simultatem*, quam forsan cum eo, qui Magistratum illum gerit, ipse alit. Verùm hæc omnia ex accidenti tantùm contingunt.

2. (II) *Autoritate* Aristot. 5. Eth. c. 3. ubi expressè ait: *Legalem justitiam esse non partem virtutis, sed integram virtutem, &*

utramq;

utramq; esse eandem, sed esse earum non esse idem; quasi diceret utramq; esse idem realiter & re ipsâ, differre tamen formaliter & in formali conceptu, hoc est, in modo essendi & considerandi, *quia videlicet à se invicem discrepant tanquam Respectivum & Absolutum.* Aristoteles autem interdum phrasin differre τῷ εἶναι supponit pro distinctione Solâ rationali vel formali ad summum, quemadmodum differre τῷ λόγῳ nonnunquam sumit pro distinctione reali aut formali, cujus exempla Clariss. Horn. Eth. l. 3. c. 11. p. 430. adducit ex Arist. 1. de gener. t. 41. & 6. Eth. t. 72. *Ex hisce patet Justitiam legalem ab universâ virtute solâ ratione & formali conceptu differre &* specialiorem atq; peculiarem tractationem non mereri, cum ejus ratio sat innotescat, ubi omnes virtutis species explicatæ sunt. *II. à Justitia particulari in specie; & tunc ab hac differt 1. ut Totum à parte*, quia *Justitia universalis* versatur circa omnia, circa quæ versatur studiosus ad observandas leges ob commune bonum & Rempubl. Unde versari dicitur circa aggregatum omnium virtutum: *Contra Justitia particularis* versatur circa materiam determinatam, videlicet circa bona externa suum cuiq; tribuendo, sive prout in iis lucrum quærimus aut damnum experimur. *Unde dicitur & Particularis Justitia*, quia saltem est pars virtutis & una ejus species. Aristot. ipsam vocat τῷ ἐν μέρει & τῷ πρὸς μέρος δικαιοσύνῃ. Vide plura apud Acciajolum ad 5. Eth. Nicom. c. 2. *2. Consequenter etiam extremis*, dum justitiæ universali opponitur παρανομία seu omnium legum & virtutum promiscua violatio, vide th. 12. Justitiæ autem particulari opponitur πλεονεξία seu rerum externarum inæqualis *tum* distributio *tum* commutatio.

XII. Oppositum justitiæ universalis est παρανομία *seu injustitia universalis*, quæ est promiscua violatio seu impugnatio omnium legum honestarum & virtutum, quantum tamen simul esse potest, seu in unum hominem cadere. *Dico notanter, quantum simul esse potest*, hoc est, in unum hominem cadere potest *ob contrariantem, & sese mutuò destruentem naturam vitiorum*: Nam licet oppositorum in declaratione eadem sit

NB.

(2) à Justitia Particulari in specie.

1.

2.

4. Oppositum ut Universalis Injustitia.

NB.

ratio, ita ut quæ de uno oppoſito dicta ſunt, eadem & alteri accommodari poſſint, ſervata proportione rationis oppoſitionis: *tamen ratione ſubjectivæ inhæſionis & inexiſtentiæ Juſtitia univerſalis ſic diſcrepat à ſuâ oppoſitâ injuſtitia, quod* videlicet *Juſtitiæ univerſali non repugnet, ut ſecundum totam ſuam latitudinem,* (hoc eſt, ſecundum omnes virtutes) *in uno numero homine* ſeu uno individuo ac ſuppoſito humano *eſſe poſſit*, cum dicat perfectionem quandam virtutum, quæ inter ſe ita non contrariantur, vide Acciaj. 5. Eth. c. 1. *Contrà Injuſtitiæ Univerſali repugnat ſecundum totam ſuam latitudinem,* (hoc eſt, ſecundum omnia vitia) *eſſe ſimul in uno ſuppoſito* ſeu individuo humano *propter contrariantem naturam vitiorum*, quâ ſe mutuo expellunt è communi ſubjecto, v. g. unus idemq; numero homo ſimul laborare nequit avaritia & prodigalitate; audaciâ & timiditate, cum unum horum vitiorum alterum naturâ pellat, ita ut oppoſita illa in idem ſubjectum ſimul cadere nequeant.

(II) *Particularis, quæ conſiderari poteſt. 1. Antecedenter. NB.*

XIII. *Particularis Juſtitia* eſt, quæ de bonis externis ſuum cuiq; tribuit. *Hæc rurſus conſiderari poteſt* potiſſimùm dupliciter. *1. Antecedenter*, quatenus eſt cauſa Juris, tanquam effecti immediati, ita ut habitus Juſtitiæ, & Judiciũ de civitate diſponenda ex habitu illo deductum, cauſa ſtatuatur legum & conſtitutionum honeſtarum. Νομοθέτας enim ſeu Legislatores oportet fuiſſe viros juſtiſſimos & prudentiſſimos, qui niſi juſtitiam & æquitatem ſpectaſſent, juſtas leges ferre non potuiſſent, quia *antequam leges ferantur, de rationibus legum diſputandum & conſultandum.* Rationes autem legum Cicero 1. dell. deſumendas cenſet ex intima Philoſophia, hæc enim leges derivat ex juſtitia juxta Clariſſ. Arniſ. doctr. Pol. l. 1. c. 17. p. 331. qui Polit. l. 2. proœmi c. 3. ait: Rationes legum non aliunde peti poſſunt quam ex diſciplina morali & civili. Hæc ſignificatio juſtitiæ hic potiſſimum attenditur à Philoſophis teſte Rev. & Excell. Dn. D. Jacob. Martini Præcep. meo honorando Eth. l. 2. c. 15. quia *Juſtitia eſſe poteſt etiam ſine jure & legibus*, juxta illud Philoſophorum: *Juſto non eſt lex poſita*, quia etiam ſine lege facere poteſt ea, quæ ſunt legis. De hoc axio-

axiomate Philosophico agam Deo auxiliante in tractatu meo axiomatico. *II. Consequenter*, quatenus aliqualiter est effectus juris, tanquam causæ exemplaris & Normæ dirigentis *tùm* Judices, qui secundum jus & leges præscriptas definire causasque dicere debent, ita ut jus illud suo modo sit causa justi judicij; *tùm* subditos, qui ad regulam juris & legum actiones suas componere debent, ita ut & hîc leges in subditis justorum actuum seu justitiæ causa dici possint, dum & subditi hi secundum leges agendo habitum justitiæ sibi comparant & acquirunt. *Ex hac distinctione* Justitiæ particularis *patet decisio quæstionis tritæ; an Justitia sit causa juris & legum, an verò contrà? si enim justitia considerantur antecedenter* ratione legum primum inveniendarum, adeoq; quoad inventionem legum, *tunc earundem causa censetur; sin verò consequenter*, ratione legum jam inventarum, adeoque quoad legum applicationem, & directionem *tum* judicum, *tum* subditorum, *tunc effectus legis censeri potest Justitia*, quatenus per crebras actiones justas, ad regulam juris compositas, tandem justitiæ habitus introduci potest: vide Rever. & Excell. Dn. D. Meisnerum p. m. præc. meum hon: de legibus lib. 4. s. 1. q. 7. Cum autem multiplicem usum in justitiâ obtineat LEX, de eâ agam certo modo in disp. II.

2. Consequenter.

NB.

XIV. Realis consideratio justitiæ particularis potest esse duplex I. Absoluta, quâ ipsa in se & suâ naturâ consideratur extra comparationem cum alio suo opposito. *II. Respectiva*, qua ipsa consideratur in collatione cum opposito *tùm* suo, vid: injustitia particulari, *tùm* juris & justè facti, vid: injuria.

II. Realis, *quæ*.

XV. Absoluta adhuc esse potest *duplex I. Generalis*, qua Justitia particularis generaliter consideratur, secundum ea præcisè, quæ utrique Justitiæ &|Distributivæ & commutativæ communia sunt. *II. Specialis*, qua enodantur species justitiæ secundum ea, quæ cuiq; speciei sunt propria.

(I) Absoluta, *quæ rursus*.

I. Generalis, *in qua*.

XVI. In Generali consideratione *notari potest. I. Specificationis præcognitio & probatio, quâ videl. præcognoscitur & probatur, quod Justitia hæc Particularis sit nova & certa species virtutis*

I. Specifi-

cationis præ cognitio & probatio.

tutis moralis, contradistincta reliquis specialioribus virtutibus, quod potissimùm *probatur ex loco oppositorum h. m. Injustitia particularis est peculiaris species vitiorum*, nec ad ullum cæterorum vitiorum pertinet. *E. & justitia Particularis erit peculiaris species virtutis. Sequela* patet ex Canone Logico: *Oppositorum eadem est ratio, scil:* ratione cognitionis, servatâ tamen proportione quoad oppositionem. De hoc axiomate alibi fusius agam. *Antecedens probari solet tripliciter. 1. quia* πλεονεκτεῖν

(1) seu plus justo sibi capere de bonis externis *ad nullum cæterorum vitiorum pertinet:* Nam qui locum deserit in acie, timidus & ignavus dicitur, qui maledicit cuiquam illegitimè, iracundus est, qui verò plus accipit, quam debuit, & lucratus est injustè, nullius illorum vitiorum & similium arcessitur, sed pe-

(2) culiare vitium constituit. *2. quia, si quis adulterium committat ideô ut quæstum faciat, is* non tam intemperans quam *injustus habebitur*; contrà si idem id faciat tantum ob libidinem, & quidem etiam cum jactura suorum bonorum, non tam injustus, quam intemperans existimabitur. vide Arist: Eudem. l. 5. c. 1. simile judicium fiat & de cæteris vitiis ob rationis pari-

(3) tatem. *3. quia actiones aliorum vitiorum peculiare quæq; nomen obtinent*, ast illa quâ quis lucratur plus, quam decet, non aliter quam injusta nuncupatur. *II. Ipsa tractatio, in quâ notetur Justitiæ particularis 1. Definitio. 2. Objectum. 3. Proportio. 4. Effectum.*

II. Ipsa Tractatio, in qua Justitiæ Part: (I) Definitio, *& quidem.*

XVII. Descriptiones variæ exhibentur ab Arist: quæ tamen non accuratæ censentur, sed imperfectæ planè *partim ob nimiam generalitatem* & nominalem saltem explicationem, ut est 5. Eth: c. 1. quâ justitia dicitur ea, quâ justa volumus & facimus. Nominalis enim hæc potius videtur explicatio, quàm realis descriptio, cum perinde sit ac si dicerem, Fortitudo est, quâ fortiter agimus, Temperantia, qua temperanter: *partim ob nimiam angustiam & particularitatem*, ut est illa in libello de virtutibus, qua justitia dicitur virtus animi, distribuens id cuique, quo dignus est. Hæc enim descriptio soli distributivæ justitiæ competere videtur, cum tamen accurata definitio suo definito adæquata esse debeat, ita ut nec excedat

cedat, h. e. latior sit; nec deficiat, h. e. angustior sit. Unde Clarisc. Horn. Eth. l. 3. c. 11. censet, Aristotelem neutro loco accuraram Justitiæ definitionem assignare voluisse; Et Autores nostros ob hanc causam retinere voluisse definitionem, quæ à nonnullis Simonidi adscribitur, estq; hodie JCtorum. *Nos hac vice enodabimus duas illas usitatas definitiones, quarum I. est Philosophorum quorundam & Scholasticorum.* II. JCtorum & aliorum.

XVIII. Prior definitio hæc est: Justitia Particularis est virtus moralis, servans mediocritatem, neq; plus neq; minus justo sibi vendicando in distributione & permutatione rerum externarum, imò omnium, in quibus injuria cuiquam fieri potest. Hæc definitio *resolubilis est in conceptum* duplicem. *I. Latiorem & Genericum, qui* est *virtus moralis*, quia justitia particularis facultatem appetentem in homine moraliter perficit, ut homo scienter, liberè & constanter justa appetere & agere possit in rerum externarum distributione & permutatione. Naturam virtutis moralis si expetis, lege disp. 5. thes. 10. & seqq. *II. Strictiorem & Specificum magis, qui* hic *desumitur (I.) à Formali ratione, quæ est Mediocritas, quam homo justus hîc specialiori modo observat, dum nec* de externis bonis (v. g. pecuniis, honoribus, & id genus aliis) plus sibi vendicat, & minus alteri relinquit, *nec* de Malis (v. g: oneribus, pœnis, & similibus) minus sibi & plus alteri tribuit, quàm par est, & jure illi debetur. *Dixi notanter hominem justum hic specialiori modo respicere Mediocritatem*, quia hujus mediocritatis ratio, quam observat Justitia, haud parum discrepat à mediocritate, in qua reliquæ virtutes dicuntur consistere teste ipso Arist. 5. Eth. Nicom. c. mihi. 9. ubi ait: Justitia verò non eodem modo, quo aliæ superiores virtutes mediocritas est &c. Quæ omnia ut accuratius percipiantur, notetur, quod *Mediocritas* quæ *in justitia* attenditur, *considerari possit. 1. ratione extremorum; Et sic justitia versatur inter duo extrema* (videl: inter plus & minus) *ratione saltem à se invicem discrepantia*, quia in uno eodemq; subjecto una eàdemq; actione simul concurrunt & Excessus & Defectus, unde & uno nomine injustitiæ veniunt, *ita*

(1) *Philosophorum & Scholasticorum quorundam: in qua definitione conceptus est.* 1. Latior. 2. Strictior, *qui desumitur 1. à formali. Vid. mediocritate, quæ considerari potest ratione.*

(1) Extremorum.

ita ut injustitia locum duorum extremorũ obtineat, vid: pluris & minoris, seu tam ejus, quod est in excessu, quàm ejus, quod est in defectu, quia una eademque actio injusta plus & minus habet, dum una eademque actione conficit plus & minus h. e. excessum & defectum, *qui hîc sunt idem re, & ratione saltem discrepant, prout subeunt rationes pluris & minoris* h. e. *excessus & defectus.* v. g. injustus, qui defraudat alterum in vendicanda sibi pecunia, unâ eademq; actione & modum excedit, quia plus boni sibi sumit quàm par erat, & simul deficit, quia minus, quàm oportebat alteri relinquit, unde utrumq; Extremum in uno eodemque subjecto concurrit propter unitatem & identitatem actionis, quâ utrumque producitur. Vide th. 6. disp. 6. *Contrà* reliquæ virtutes singulæ versantur inter duo extrema vitia, seu vitiosos habitus, realiter & secundum rem à se invicem distinctos, quia fiunt duabus distinctis & contrariantibus actionibus, unde se mutuò pellunt è communi subjecto, ita ut simul in uno eodemque numero homine, tanquam subjecto, concurrere nequeant & Excessus & defectus. v. g. qui in erogandâ pecuniâ avarè agit, quoad dationem deficit tantùm, qui verò prodigaliter, excedit tantùm modum, ita ut impossibile sit unâ eademque numero actione agere & avarè & prodigaliter, quia illa vitia sibi mutuo sunt opposita & realiter seu secundum rem à se invicem distinguuntur, quia realiter distinctis, imò contrariantibus, actionibus committuntur, quarum una tantùm modum excedit, altera autem tantùm deficit, unde liberalitas intercedit inter avaritiam & prodigalitatem, tanquam inter duos distinctos & peculiares habitus vitiosos. Sic qui peccat in Temperantiam, ille simul deficere & modum excedere non potest, sed id duabus diversis, imò contrariis, actionibus conficit. Idem Judica de Fortitudine, quæ media est inter audaciam & timiditatem, tanquam duo realiter distincta vitia, quia Audacia tantùm excedit temerè omnia audendo, timiditas autem deficit nihil audendo: vide Donatum Acciajol: in 5. Eth. c. 5. text. 59.

(2.) Modi specialioris.

2. *Ratione modi specialioris, juxta quem in cæteris virtutibus est Mediocritas rationis tantùm,* quæ consi-

derat

stit in moderatione rectæ rationis, ita ut nec superet, nec deserat id, quod adesse oportet, pro circumstantiarum conditione ac diversâ ratione, v. g. in Temperantia si quis mediocritatem observat, tantum comedit & bibit, quantum habito respectu valetudinis & circumstantiæ personalis, localis &c. licet, quæ determinatio cum multis modis variet, à rectâ ratione præscribi & constitui debet, cum mediocritas vera non cēseatur nisi ab illa constituatur. Hinc in Ethicis atq; mora ibꝰ pro circumstantiarū diversitate diversis personis diversa competere debent, v. g. in cibi distributione Magister Athletarum majorem quantitatem assignabit Miloni Crotoniatæ aut Therageni, quam alteri discipulo, non adeò robusti corporis, vide disp. 5. th. 16. *Ast in Justitia datur Mediocritas & rationis & rei etiam, quatenus tamen rei cum Mediocriate rationis amicè conspiret:* vide Thom l. 2. cap 2. q. 58. art. 10. Donat. Accia. l. 5. Eth. c. 4. t. 43. Quam primùm enim in justitiâ æqualitas rei adest, puta ut nec plus nec minus quisquam sibi vendicet, quàm par erat, mediocritas illa actutum etiam rationi consentit, ut nullam præterea conditionem personæ, temporis aut simile qnid à ratione addi necesse sit, aut inde peculiarem rationem medij arcessi, quod contingit in iis casibus, in quibus quo ad rerum distributionem æqualitas est meritorum & præmiorum, vel quo ad commutationem exæquatio lucri & damni: vide Clariss. Horn. Eth. l. 3. c. 11. Hinc hæ duæ mediocritates, vid: Rei & Rationis, ab Ethicis quibusdam non censentur exactè oppositæ species. *(II) à proprio actu seu operatione, quæ duplex i. Distributio. 2. Permutatio* vide th. 24. ubi *nota errorem Christoph. Ehemij*, qui de prin. Juris l. 5. c. 5. ideo Aristotelicas Justitiæ descriptiones rejicit, quod explicent Justitiam ex actione & effectu. Nam definitio virtutis nulla dari melior potest, quàm quæ per proprium actum & objectum naturam ejus exprimit. *(III) ab objecto*, videlicet re externa, adeoque omni, in quo Injuria fieri potest cuiquam, vide th. 20.

XIX. Posterior definitio, quæ teste D. Jac. Martini Eth. l. 2 p. 382. Simonidi adscribitur à Platone l. 2. de Repub. estq; de

NB.

2. ab actu proprio.

3. ab objecto.

(II JCtorum, & nonnullo

rum alio rum. Quæ enunciatio definitiva resolvatur.

1. In Subjectum.

NB.

JCTORUM. & habetur §. 1. Inst. de Justi: & Jur. & l. 10. ff. de Just. & Jure, & quam nonnulli alij retinent, *hæc est: Justitia est constans & perpetua voluntas jus suum cuiq; tribuendi: Hæc definitiva Enunciatio resolvi potest* in sua Extrema, ex quibus constat, videl. *1. in subjectum, quod est ipsum definitum, &* h. l. *Justitia particularis*, quippe ad quam solam propriè juxta Scholasticos pertinet Jus suum cuiq; tribuere, ita ut Justitiæ universali idipsum non competat per se & essentialiter, quippe cius actus omnes simpliciter respiciunt conformitatem vitæ ad juris & legis præscriptum, dum Justitia Universalis præcisè docet vitam conformem reddere Juri & legibus, hoc est, facere id quod Jura præcipiunt. Hinc ita argumentor: *Cujus actus omnes simpliciter & præcisè respiciunt conformationem vitæ ad Juris & legis præscriptum, illud per se, necessario & semper Jus suum alteri non tribuit. Atqui de justitia universali verum prius. E. & posterius. Major* probatur ex eo, quod aliud sit secundum Jura vivere, aliud autem Jus suum cuique tribuere, ceu patet ex utriusq; mutuâ separatione actuali in quibusdam exemplis v. g. qui fortiter pugnat, sobriè ac temperanter vivit, mitis ac mansuetus est, ille certè vivit secundum leges, quippè quæ in Republ. benè constitutâ sic jubent, nec tamen ille propriè & philosophicè jus suum alteri tribuit, cum citra alterius injuriam, damnum aut incommoditatem intemperans & timidus quis esse possit. *Similiter* quando vir quispiam liberalis vi Justitiæ universalis alteri ex liberalitate quid cõcedit, ad jus alterius id non spectat, nec deberi ei id dici potest *vel* ratione speciei, hoc est, qua homo est, *vel* ratione individui, videlicet pro ut est hæc vel illa persona & individuum humanum, nisi hîc abuti cupias vocabulis Juris & debiti, vide Clariss. Horn. Eth. l. 3. c. 11. *Dixi notanter in propositione majore*, illud *per se, necessario, & semper* alteri jus suum non tribuit, quia quandoq; usu venire potest, ut Justitia etiam universalis Jus suum alteri tribuat, ex accidenti videlicet, quatenus Particularem Justitiam certâ ratione & modo includit, v. g. Adulter, & Intemperans dicitur quatenus libido ejus simpliciter spectatur; & injustus, si determinatè actio illa consideratur,

NB.

quate-

quatenus videlicet cum eâ muliere consuescit, quæ alterius uxor est, unde & marito injuriam facit. Simile Judicium & de timiditate instituas, si nempè timidus eâ alteri injuriam facit; *Quod autem aliquando saltem contingit & ex accidenti, id naturæ Justitiæ universalis per se & necessariò adscribi nequit.* Idem de aliis Judica virtutibus, videlicet Urbanitate, modestia &c. *Minor patet Inductione exemplorum tum* allegatorum, *tum* helluonis Intemperantis, qui licet quotidiè se ingurgitet, & sic in Ius, hoc est, Reipubl. leges peccet, tamen quà helluo est, alteri homini injuriam propriè non facit. Ex quibus jam patet, non ita recto talo stare illorum sententiam, qui hanc definitionem etiam Universali Iustitiæ propriè & per se assignant. *II. In Prædicatum, quod* est *ipsa Definitio, constans conceptu duplici. (1) Latiori, qui* suo modo loco generis ponitur, dum ob suam generalitatem & latitudinem etiam aliis virtutum moralium speciebus competit, & *hîc duplici voce circumscribitur, dum dicitur 1. Voluntas, quæ vox hîc sumitur, (1) non naturaliter seu potentialiter*, pro naturali facultate animæ rationalis, qua homo res, ab intellectu cognitas, appetit vel aversatur, vide disp. 3. thes. 11. si enim terminus voluntatis in hac significatione acciperetur, definitio hæc esset vitiosa, peccans in Canonem Logicum: *Genus & definitum debent esse ejusdem prædicamenti, ejusdemq; lineæ prædicamentalis*, hoc est, Genus & species definita non tantum esse debent in eodem prædicamento, sed & sub eâdem lineâ prædicamentali in descensu, seu per subordinationem, ita ut genus non sit sub aliâ specie opposita illius prædicamenti, quod tamen vitium hic contingeret, si voluntas hîc acciperetur pro facultate illa naturali. Nam licet Iustitia & voluntas sint in eodem prædicamento, videlicet qualitate, tamen non sunt sub eâdem linea istius prædicamenti, sed potius sub oppositâ, dum Iustitia ponitur sub Habitu, prima qualitatis specie; Voluntas autem sub potentia naturali, secundâ qualitatis specie, & habitui opposita, ceu ex scala prædicamentali Qualitatis luculenter patet. Quia autem ICti voluntatem in hac primâ significatione pro naturali illa facultate animæ rationalis hîc non accipiunt,

2. In Prædicatum, *quod ipsa est Definitio constãs conceptu.*
1. Latiori.
1.
(1)
NB.

cipiunt, Agricolal. 2. de inventione Dial. c 5. minus legitimè videtur eos refutâsse, ex eo, quod voluntas sit facultas mentis, Iustitia autem virtus seu habitus voluntatis; quia ipsi voluntatem in tertia saltem significatione hic accipiunt, videlicet pro habitu, inclinante voluntatem ad agendum justa constanter. (2) *Neq; Intentionaliter seu actualiter*, pro actu aliquo seu proposito & Intentione rectè semper agendi. In hac enim significatione voluntatem similiter accipi non posse patet ex eo, quod intentio, hoc est, propositum perpetuò rectè agendi, etiam de uno actu possit intelligi, qui tamen non parit habitum, & in eum etiam cadere potest, qui in Iustitiâ nihil dum est confirmatus, imò vix ejus initium aliquod possidet. Unde ad Iustitiæ habitum constituendum non sufficit nudum propositum seu intentio *tum* una, *tum* multiplicata & iterata, qua quis sæpè intendit Ius suum cuiq; tribuere, quia & injustus semel vel bis velle potest, quod justum est, exemplo Cambysis, qui justum quid voluit & egit excoriando iniquum Iudicem. Sic & incontinens sæpè, ubi expletâ jam libidine pœnitentiâ ducitur, proponit animo & vult perpetuò deinceps abstinere, ast ubi paulo post rursus amabilis ejus species, quod volupe est, sensui ipsius fortiter imprimitur, ut illius animum pelliceat, imò continuò solicitet & stimulet ad explendam libidinem, tunc certè incontinens ille novâ victus cupiditate aliud appetit, & denuò proruit in id, quod perpetuò fugere antehac decreverat. *Ex quibus patet quod Soto absq; causa distinguat inter voluntatem perpetuam*, quæ solum notet propositum atq; intententionem sic operandi, *& constantem*, quæ eidem proposito addat firmitatem, ita ut eo quis non nutet aut vacillet. Nam in definitione non dicitur, quod Justitia sit voluntas perpetuò Jus suum cuiq; tribuendi, sed quod sit voluntas constans & perpetua hoc faciendi, quia non sufficit ad Justitiæ habitum semel atque iterum animo proponere, te cuiq; id concessurum, quod ipsi debetur, sed oportet te constanter & semper ita esse animatum juxta naturam habitus moralis. (3) *Sed Habitualiter*, pro habitu voluntatis, seu virtute morali, quæ voluntatem tanquam subjectum

(2)

NB.

(3)

jectum Principale moraliter informat & perficit, ut inclinetur ad constanter cuiq; jus suum tribuendum. *Sumitur itaq; hîc voluntas (non propriè sed) Impropriè, & quidem Metonymice per Metonymiam subjecti pro adjuncto*, dum voluntas, quæ est subjectum Justitiæ supponitur & accipitur pro ipso habitu morali Iustitiæ, qui est adjunctum voluntatis: sed tunc huic Impropriæ &Tropologicæ suppositioni obstare videtur Canon ille Logicus. *Definitio constet verbis propriis, non tropicis ac Metaphoricis.* Aristot l. 6. Topic. cap. 2. §. 4. *Ratio* canonis *desumitur ex fine definitionis, qui est notificare & quàm maxime illustrare definitum*, illudque reddere evidenter cognitum, quia definitio est λόγος τῆς οὐσίας, hoc est, Ratio notificans essentiam alicujus rei. Aſt verba Tropica & Metaphorica obscura sunt, quæ mentem potius obscurant quàm illustrant, unde & è logicâ proscribuntur, antequam explicantur,& ad propriam significationem reducuntur. Ubi tamen *notes velim, obscuritatem illam*, quam Tropologica verba aliàs continent, *quandoq; corrigi & tolli diuturnâ consuetudine & usu*, ita ut vox aliqua ab obscuritate recedat, quia est recepta hodiè & longo usu frequentata atq; confirmata. Unde & vox illa ob obscuritatis illius aliqualem remotionem aptior fit ad definiendum, quod de vocabulo voluntatis in definitione præsenti interpretantur ICTI, qui id retinent, ob obscuritatis illius remotionem ex diuturnâ consuetudine, ob quam causam & descriptio illa justitiæ suo modo tolerari potest, licet aliàs non sit exactè & rigosè Logica. Hinc Thomas 2. 2. quæst. 58. ar. 2. hanc, tanquam magis quadrantem ad formam exquisitæ definitionis, substituere cupit: *Justitia est habitus, secundum quem aliquis constanti & perpetuâ voluntate jus suum unicuiq; tribuit.* Quia autem per voluntatem in ICtorum definitione intelligitur habitus, ideò dicitur. 2. *constans & perpetua*, scilicet, *perpetuitate aut constantia illa generali, quàm omnis virtus Moralis, ut habitus voluntatis, postulat*, videlicet, ut quis ex certo judicio rationis, firmo & constanti animo cuiq; jus suum tribuat. Nam. 2. Eth. c. mihi 3. *tria requisita virtutis moralis* Arist: ponit

NB.

2.

nit videl. *ut quis agat* (1) *Sciens* (2) *Eligens propter ipsa* (3) *Stabili atq; immutabili animo*, ita ut justus non transeat ex extremo in extremum, videlicet ut in actionibus suis ex semitâ Justitiæ non exorbitet in tramitem injustitiæ. Unde & virtus moralis dicitur Habitus proæreticus seu electivus, videlicet quod agat & scienter seu ex προαιρέσει atque libera electione, non à casu, & constanter seu firmiter, non autem semel. vide

(1) disp. 5. th. 12. *Ex quibus patet* (1.) *Accursium* ad instit. *Agricolam* l. 2. de invention: dialect: c. 5. & alios non ita accutatè censere, ob hoc requisitum videlicet constantiam & perpetuitatem *vel* definitionem Justitiæ apud Ulpianum de solâ divina, non humanâ justitiâ accipiendam esse, *vel* Epitheta illa (constans & perpetua) ejicienda, cum tamen Epitheta illa

(2) adjecta saltem explicent generalem vim virtutis seu habitus moralis. (2.) *Paulum Castrensem* ad l. 10. ff. de just. & jure *absq; prægnanti causa distinguere inter voluntatem perpetuam*, quæ debet esse generalis sine exceptione personarum, & *inter constantem*, quæ debet esse stabilis & firma in proposito, *ita ut ex mente illius*, quantum colligere licet, *voluntas perpetua dicatur ratione objecti universalis*, hoc est ut justus in omni re ac unicuique personæ tribuat id, quod suum est, *constans autem ratione durationis & continuationis*, seu ut semper id faciat. Nam licet hæc Epitheta (constans & perpetua) idem denominare videantur, cum & generaliter competant omni virtuti morali, tamen sæpè synonyma in definitionibus connectuntur ob majorem & graviorem explicationem, seu ut magis juvent cognitionem, cujus exempla vide apud Clariss. Scheibl. Topic. c. 30. n. 135. (II.) *Strictiori & specifico magis, qui* 2. Strictiori, *qui desumitur.* soli justitiæ competere videtur, & *desumitur 1. ab objecto, videlicet jure cujuvis*, dum jus suum cuiq; tribuit. *Sumitur autem jus in bonam tantum partem apud Scholasticos, ita ut hic per jus suum propriè intelligatur illud, quod alicui sic debetur, ut ipsi denegari nequeat citra injuriam* (1.) *ipsius, cujus jus illud esse dicitur, uti fit in bonis*, videlicet in præmiorum distributione, de quibus quilibet bene meritus accipere debet, quantum ipsi debetur, seu quantum sine ipsius injuria ei denegari nequit,

(1) *ab objecto.*

NB.

nequit, quia bene merito præmium dignum denegari non potest citra ipsius injuriam. Hinc Achilles Homericus ideò negat se amplius militare posse sub Agamemnonis imperio, quod æquali honore apud eum sit fortis & ignaviſſimus, quia hoc modo benè merito non tribuitur jus ſuum, hoc eſt, tantum præmij, quantum ſine ipſius injuria ei denegari nequit. (2.) *Alterius. cujus interest Juſtitiæ opus præſtari & effici, ita ut idipſum omitti non poſſit, citra alterius injuriam, ceu ſit in malis*, videlicet pœnis & oneribus. Sic onera, licet ei, cui imponuntur bona non ſint, tamen citra cæterorum concivium injuriam hic iis ſublevari nequit, quippe quibus ſubvenire decet juſtâ & æquali diſtributione onerum, ita ut æqualiter ſimul & alij ferant. Hinc licet nemini injuria fiat, cum ab onere aliquo ſublevatur, tamen Scholaſtici cenſent, citra alterius concivis, cui onus illud ſimul imponitur, injuriam, illum immunem ab eo præſtari non poſſe. *Simile* Judicium ob rationis paritatem de pœnis inſtitue. Licet enim homicidæ bonum non ſit, ut capite plectatur, nec ipſi injuria fiat, ſi à juſtâ & debitâ hac pœnâ abſolvatur, tamen læſi intereſt, ut in pœnæ inflictione delictum puniatur, quia aliàs iniquus in ipſum eſſet judex, dum læſo non tribuit jus ſuum. *Ex hiſce jam patet, non ita accuratam cenſeri ſententiam* (1.) *Eorum*, qui jus hîc nimis ſtrictè & preſſè accipiunt pro dominio rei, cum hic generale ſumatur pro omni eo, quod alteri debetur. ut citra injuriam ei denegari nequeat (2.) *Gregorij de Valentia*, qui tom. 3. diſp. 5. q. 2 ar. 3. putat, jus ſuum alicui dari, cum ipſi quippiam *vel* additur, ſi minus habet, quam debet; *vel* detrahitur, ſi plus habet, quàm debet. Unde porrò ait: *Ex quâ re patet, reddi juxta definitionem hanc jus ſuum ei etiam, qui ſecundum juſtitiæ leges punitur, per ſubtractionem alicujus boni ſui, ut redigatur ad æqualitatem cum eo, cui iniquè ipſe abſtulit.* Sed confutatur hæc Valentiani ſententia à Clariſ. Horn. Eth. l. 3. c. 11. quia jus in bonam tantum partem accipitur, ita ut jus ſuum furi propriè non tribuatur, cum ſuſpenditur, nec jus ejus hoc ſit, ut ſuſpendatur, niſi admodum populariter & improprie. 2. *ab actu proprio, videlicet tributione*, dum tribuit cuique

2.

NB.

(1)

(2)

(2) *ab actu proprio.*

cuique jus ſuum. virtus enim ſecundum Thomam ritè deſcribitur per actum ſuum ſeu officium, quod facit. *Intelligitur autem hic tributio, ſeu vox tribuere (non ſpecialiter* quatenus ſtrictè ſumitur pro nudâ diſtributione rerum, ſic enim definitio data particularis & anguſta nimis foret, ſoli Diſtributivæ competens, *ſed generaliter, pro ut abſtrahitur à diſtributione & permutatione*, ita ut utriq; (videlicet rerum & diſtributioni & permutationi) ritè aptari poſsit. Exemplo emptoris, qui cum precium mercium perſolvit venditori, jus ſuum ei tribuit. *Sed tunc ut docet Dominicus Soto.* lib. 3. de Juſt. q. 2. ar. 7. *vox illa tribuendi duplicem involvere videtur actum vid. (1.) primario & principaliter actum aſſignandi jus ſuum cuique* quo actu juſtus cuique tribuit id, quod ipſi debetur, nec denegari poteſt citra ejus injuriam (2.) *Secundario & conſequenter etiam actum abſtinendi ab injuria*, ſive ut neminem lædam. *Dixi notanter* actum abſtinendi conſequenter notari in voce tribuendi, quia poſterior hic actus in priori includitur, qui enim cuiq; jus ſuum tribuit, conſequenter neminem lædit. Hinc *Buridanus* 5. Eth. qnæſt. 2. immeritò definitionem præſentem reprehendit ex eo, quod non comprehendat omnes juſtitiæ actus, cum ex tribus juris præceptis, videlicet *Honeſtè vivere*, *Neminem lædere*, *jus ſuum cuiq; tribuere*, ultimum ſaltem complectatur & exprimat. *Sed* rectè *hæc confutat Dominicus Soto d. l. 1. quia non neceſſariò requiritur omnium actuum expreſſio ſeu explicita poſitio*, modò definitio legitimè & proportionatè ſuo definito ſit adæquata. 2. *quia primus actus, videlicet Honeſtè vivere, eſt nimis generalis*, competens non uni virtuti ſpecialiter & peculiariter, ſed omnibus communiter, quia omnes virtutes in ſuis actionibus reſpiciunt moralem informationem, ut vid: honeſtas in eis refulgeat vide diſ. 3. th. 3 & diſ. 4. th. 13. Quod autem omnibus virtutibus commune eſt, nullibi accuratè particulariter explicari poteſt, tanquam unius proprium. Hinc *Ægydius Hortenſius* in comm. de Juſt. & jur. ad §. juris præcepta: ait: Primum enim honeſtè vivere latiſsimè patet adeoq; ineſt cæteris duobus, non contrà eà illi in ſunt, quia & ho-

(b)

2.

Error Buridani.

(1)

(2)

& honestè vivit, qui neminem lædit, vel jus suum cuiq; tribuit. Siquidem potest quisq; honestè vivere secum solo: at soli non convenit prohibitio, ne alterùm lædat, aut jussus, ut jus cuiq; suum tribuat, cum nec si velit alterum lædere, vel jus suum cuique tribuere, id tunc possit, &c. 3. *quia secundus actus abstinendi videlicet Neminem lædere includitur ab illo actu, quo Jus suum cuiq; tribuo*, ita ut hoc actu nominato etiam ille subintelligatur. Nam certè qui Jus suum cuiq; tribuit, ille neminem lædit; Undè juxta Scholasticos quoad Philosophicum loquendi modum peculiares & realiter distincti actus Justitiæ nō sunt. Hinc quando pœnæ latroni, furi aut adultero justæ & debitæ infliguntur, hi homines scelerati moraliter propriè non læduntur, quoniam *phrasis* illa *Neminem lædere, hîc non accipitur Physicè, sed Ethicè & moraliter, ita ut respiciat actum abstinendi ab injuriâ*, ne videlicet alteri injuriam inferamus, undè in justæ pœnæ inflictione Magistratus sceleratos hosce moraliter non lædit, quia non afficit ipsos injuriâ, quin potius læsis à fure, latrone &c. jus suum tribuit, quippe quorum interest, ut delictum puniatur, ni aliàs ipsos læsos Judex ulterius lædere vellet, denegando ipsis illud, quod eis debetur, nec citra eorundem injuriam omitti aut denegari potest. Quapropter Magistratus in pœnæ justæ inflictione ipsis læsis tunc jus suum tribuit, ne eos ulteriùs moraliter lædat, denegando eis jus suum. Sic si quis gladium depositum furioso, ut tali, quoad usum certi temporis reddere detrectat, ipse non videtur Philosophicè & propriè jus suũ ei denegare, quia ille prudenter in utilitatem *tum* ipsius deponentis, *tum* alterius, qui forsan obvius gladio furiosi vulnerari posset, usum saltem ad tempus, non possessionem, ipsi denegat, cum ipsa etiam recta & prudens ratio dictet, in tali casu ob circumstantias peculiares aliquem furioso citra injuriam ejus ipsi denegare posse depositi usum ad tempus. Ast recta & prudens ratio est forma adsistens & dirigens omnium virtutum moralium, vide disp. 5. th. 18. Undè qui in tali casu illam ut ducem sequitur, licitè & justè moraliter egisse censetur, quod patet ex opposito, quia aliàs si furioso in tali casu gladium redderet,

(3)

NB.

imprudenter & iniquè egisset. Quâ ratione autem illa tria & distincta juris præcepta proponat Ulpianus JCtis prudentioribus dijudicandum relinquo, quippe ad quorum cathedram illud spectat, mihi Scholasticorum vestigia jam terere libuit, unde veniam benevolè æquus lector dabit, si in hisce nonnullum Scholasticorum dissensum ab aliis adverterit.

(II) Objectum, *ut Res Externa restricta ad lucrum & damnum, ita ut jus in ea spectari debeat.*

XX. Objectum, circa quod versatur justitia Particularis, *est Res Externa* (videlicet honor, pecunia & alia fortunæ bona, seu quæ ad salutem hominis pertinent) *prout restricta & limitata est ad lucrum & damnum*, h. e. pro ut in ea ob lucrum quoddam aliquid delinqui potest, dum in ea alter lucrum quærit, alter damnum experitur, undè ad æqualitatem illa in justitia redigi debet, ut jus suum cuiq; tribuatur. *Dixi consultò Objectum esse hîc Rem externam, pro ut est limitata ad lucrum & damnum*, quia per hanc restrictionem adjectam objectum illud specialiter Justitiæ competit, illamq; à reliquis virtutibus suo modo distinguit. Licet enim & reliquæ virtutes particulares materialiter versentur circa hanc rem externam (v. g. circa pecunias Liberalitas & Magnificentia, circa honores Modestia & Magnanimitas) tamen non eâdem formalitate, seu modo versandi circa illam occupantur, dum res hujusmodi ibi simpliciter cõsiderantur, pro ut in appetendo mediocritas circa ea servari debet, hîc autem Justitiæ objiciuntur determinatè, videlicet quatenus in iis spectatur damnum, fraus & lucrum. Ubi tamen duo *notes velim.* 1. *Rem illam Externam*, circa quam versatur Justitia, *constitui duplicem* (1) *Bonam*, ut honores, præmia, contractus voluntarij &c (2) *Malam*, ut onera, Pœnæ. 2. *Nomina illa* videlicet *Lucrum & damnum, considerari posse dupliciter*, 1. *quoad primævam originem*, & sic hæc nomina sunt orta ex contractib? spontaneis, quos faciunt homines sponte suâ, quippè in quibus propriè lucrum & damnum dicitur, ceu patet in Emtione & venditione, vide Arist. 5. Eth. Nicom. c. mihi 7. 2. *quoad ulteriorem ampliationem*, juxta quam nomina illa per similitudinem quandam postea ad ea etiam translata sunt, quæ invitis hominibus fiunt, & in quibus lucrum propriè dictum non conceditur à legibus, ut

I.

2.

(1)

(2)

fiat

fiat in læsionem & damnum alterius, undè & ad æqualitatem redigi debet. vide Donat. Acciajol. in 5. Eth. cap. 4. t. 41. Unde *nomina ista*, licet non æquè accommodè omnibus tribuantur, *hîc sumuntur* (non specialiter quoad primævam Impositionem, sed) *generaliter & latius*, ita ut lucrum hic generaliter notet plus boni & minus mali, contra damnum importet plus mali & minus boni. E. G. Titius percussit Sempronium, Sempronius damnum accepit, quia percussus est, sed lucrum est penes Titium, tanquam percutientem, undè judex bonus, ad quem dissidentes confugiunt, medium inter duo illa, videlicet lucrum & damnum statuere debet redigendo illa ad æqualitatem.

(III) Proportio, *quæ duplex alias constitui solet.*

XXI. Quia autem *Justitia medium quid* est *inter sua Extrema, videlicet nimium & parum*, seu lucrum & damnum, certè justus jus suum cuiq; non aliter tribuit, quam mediocritatem seu æqualitatem inter duo illa statuendo, ceu patet ex opposito videlicet nimio & excessu, qui enim plus sibi capit, quam decet, de bonis, iniquus certè est in eum, cui quidquam de illis ereptum est, contrà qui tantùm saltem capit, quantum decet, neminem defraudat, aut injuriâ adficit. Cum autem Æqualitas illa Justitiæ consistat in aliqua proportione seu proportionalitate (quibus terminus nos jam in Ethicis promiscuè utimur, licet alias in Mathematicis suo modo distinguantur) proportionum autem natura & differentiæ ex Mathematicis petendæ, & hic rebus Ethicis ac moralibus pro instituto nostro accommodandæ, hic obiter saltem, & quantum nobis conducibile, proportionum differentias ex Mathesi explicare lubet, quia explicare nequit Ethicus, quid in civilibus vocet proportionem Geometricam, quid Arithmeticam, nisi ex Mathematicis utriusq; explicationem propriam supponat. *Dixi notanter hîc obiter & pro instituto saltem differentias illas explicandas esse*, ne, si anxiè nimis illas persequamur, doctrinam hanc Ethicam magis impeditam reddamus, quam explicemus, ceu monet Cajetan: 2. 2. q. 61. ar. 2. Est autem ἀναλογία seu proportio magnitudinum aut numerorum certa quædam comparatio, h. e. mutua inter se affectio.

Proportio a

(1) Primaria, & *sic esse solet aliàs.* (1) Geometrica.

Constituitur autem *ejus Distributio duplex. I. PRIMARIA seu principalis, juxta quam proportio in genere aliàs triplex. (I) GEOMETRICA, quæ est æqualitas rationum*, in qua numeri ita progrediuntur, ut quoties primus continetur in secundo, toties tertius contineatur in quarto, quartus in quinto & sic deinceps. Hujusmodi ἀναλογία datur in his numeris

3 — 6 — 12 — 24 — 48.

ubi semper in processu est æqualis ratio continentiæ videlicet dupla, ut enim ternarius continetur bis in senario, sic & duodenarius itidem bis continetur in viginti quatuor, & hic in quadraginta octo, ita ut *in Geometrica proportione semper & per se habeatur ratio continentiæ proportionalis*, dum ibi attenditur, quoties unus numerus proportionaliter contineatur in altero.

2. Arithmetica,

(II) ARITHMETICA, quæ est æqualitas differentiarum, qua numeri progrediuntur secundum æqualem à se invicem distantiam, ita ut quantum primus abest à secundo, tantum tertius distet à quarto &c. Talis proportio Arithmetica datur in his numeris.

2 — 4 — 6 — 8 — 10

quia ubique differentia, hoc est, distantia, est binarius, ita ut quantum distat secundus à quarto, tantum sextus ab octavo, & hic rursus à decimo. *Licet autem hujusmodi proportionum differentiæ primo & principaliter competant numero abstracto*, &, ut vocant, numeranti, undè & ad Matheſin earum explicatio propriè pertinet, *tamen minus principaliter propter usualem applicationem etiam numero numerato insunt*, seu omni materiæ, quæ numerari aut ad numerum aliquem aliquo modo exigi potest v. g. hoc loco certâ ratione rebus moralibus & negotiis hominum accommodantur, quia & in iis, ut justis, requiritur aliqua æqualitas & proportio, quæ cum sit diversa in diversis justitiæ speciebus, dum alia proportionis differentia competat Justitiæ distributivæ, alia commutativæ, Ethici terminos Mathematicarum proportionum ad explicandam rerùm civilium æqualitatem certâ ratione retinent, ob similitudinem quandam, quam deprehendunt inter res morales & Mathematicas. *Unde saltem in similitudine quadam (non in omni-*

NB.

NB.

omnimoda convenientia) *terminos illos accommodant suis rebus moralibus*, ita ut, quando dicunt, Justitiam distributivam consistere in proportione Geometricâ, Commutativam autem in Arithmeticâ, hoc unicè velint, in justitia distributiva simile quidquam occurrere illi, quod Mathematici in suis rebus Mathematicis Geometricam proportionem nuncupant; in commutativa justitia autem afferri tale quid, quod in similitudine correspondeat Mathematicorum proportioni Arithmeticæ. *Hinc & Ethici in Justitiæ tractatione duplicem habent proportionem* (*I.*) *Geometricam, in qua per se habetur proportionalis ratio & personarum*, quibus quid est distribuendum, *quoad dignitatem* & meritum earum, *& rerum distribuendarum*, *quoad earundem precium*. *Dicitur hæc proportio Geometrica*, quia ut in Geometricâ proportione propriè dicta respicitur æqualitas (non differentiarum, sed) rationum quoad mutuam continentiam proportionalem; sic & hic respicitur æqualitas rationum, quoad *tum* personarum dignitatem, *tùm* rerum precium. v. g. sumantur quatuor termini, vid: duæ personæ diversæ dignitatis & meriti, ut Achilles & Ajax; & duæ res diversi precij, ita ut Achilles sit dignitatis & meriti ut XII. Ajax autem ut VI. Similiter una res distribuenda sit precij ut VIII. Altera autem ut IV. Fiat horum terminorum mutua ad se invicem collatio secundum formam Geometricæ proportionis hoc modo.

NB.

Sic & in Ethicis secũdum analogiam saltem est Proportio. 1. Geometrica.

12 ——— 6. 8 ——— 4

Achilles - Ajax Res Achillis -- Res Ajacis.

Hinc ita: *Qualis est ratio Achillis*, qui est XII. *ad Ajacem*, ut VI. *talis erit & ratio rei Achillis*, quæ est VIII. *ad rem Ajacis*, quæ IV. *Atqui ratio Achillis ad Ajacem est dupla*, dum Achillis persona ut XII. bis continet Ajacem ut VI. adeoq; in dignitate & merito duplo major est Ajace *E. & Ratio rei Achillis*, quæ ut VIII. *ad rem Ajacis*, quæ ut IV. *dupla erit*, hoc est, res Achilli distribuenda bis continebit rem, Ajaci competentem, itaut quoties in præmiorum distributione tribuuntur Achilli 8. talenta, toties Ajaci saltem 4. porriguntur. vide Donat.

2. *Arithmetica.* Acciajol: 5. Eth. c. 3. n. 29. (II.) *Arithmeticam, in qua solum attenditur æqualitas rei commutandæ nulla habitâ ratione personarum PER SE. Dicitur* hæc proportio *Arithmetica*, quia ut in Mathematicis proportio Arithmetica respicit nudam numerorum à se invicem distantiam, sic & hic justitiæ commutativæ proportio æstimatur simpliciter ex sola rerum commutandarum æquali distantia à lucro & damno, seu eo, quod plus & minus est. Unde justitia commutativa facit, ut contractus omnis æqualiter inde absit, ne alterutra pars de lucro gloriari vel de injuria & damno conqueri possit. v. g. Agricola & vinitor inter se justè commutare cupiunt frumentum & vinum, quæ cum sint res dissimiles & inæqualis precij, dum modius frumenti venit uno floreno, vas autem vini quatuor venditur florenis, res istæ dissimiles in permutando redigi debent ad æqualitatem, seu æqualem distantiam à

NB. lucro & damno, quæ hic fit, si de re imperfectiori accipiantur tot illius generis, ut adæquent perfectionem alterius rei, sic enim una res permutata fiet tanta & talis, quanta & qualis altera erat, videlicet si in hoc casu Agricola vinitori det quatuor modios frumenti, qui adæquant perfectionem & valorem unius amphoræ seu vasis vini: vide de hac Arithmetica proportione th. 39. *Constituitur* autem *à Mathematicis utraq; proportio* (Geometrica scilicet & Arithmetica) adhuc *duplex*.

1. *Continua* in qua actu tres tantum dantur termini, qui tamen potestate quatuor sunt, cum inrermedius duorum vices gerat, quippe qui bis sumitur. *Hujusmodi Exemplum est in proportione* (1.) *Geometrica*.

(1) 4 —— 8 —— 16.

Quoties n. continetur quaternarius in octonario videlicet, bis, seu per rationem duplam, toties continetur & octonarius in sedecim, videlicet similiter bis. (2.) *Arithmetica*.

(2) 2 —— 4 —— 6

Quantum enim distat binarius à quaternario, videlicet duabus unitatibus, tantundem & quaternarius à senario. 2. *Disjuncta*, in qua omnes quatuor termini sunt distincti, cujus exempla

empla in utriusque definitione jam dedi. Hæc disjuncta proportio, in justitia hic usui est, non ita continua, quia *in omni justitia quatuor distincta ad minimum requirnntur videlicet* (1.) *Duæ distinctæ personæ*, quibus aliquid est justum, jus enim & justum ad alios refertur, quia justum est aliquibus tale, quod patet ex opposito videlicet injuria, quæ ut propriè ad nosmetipsos non datur, ita nec justum. (2.) *Duæ Res, formaliter sumptæ*, hoc est, quatenus in iis spectatur lucrum & damnum, quæ, ut extrema, ex unâ re oriri possunt, & ad æqualitatem tanquam eorundem medium redigi debent. Quatenus enim justum est æquale quid, duarum rerum est, tanquam medium quoddam earum, quatenus verò est justum huic vel illi, eatenus est duarum personarum, ita ut *ad minimum quatuor requirantur, in quibus consistat justitia: duo*, quibus aliquid sit justum, *& duo*, quorum sit justitia & æqualitas v. g. distribuenda sit justè inter exercitū præda aliquot 1000. aureorum, habeo hîc in proportione Geometrica (1.) Duas distinctas personas, videlicet Capitaneum & gregarium militem, quibus distributio justa fieri debet. (2) Duas etiam res formaliter sumtas, h. e. sub æquali & justa distributionis ratione consideratas, ita ut neutra dictarum personarum capiat plus ac decet, vel minus. *Dixi notanter ad justitiam duas requiri res formaliter sumptas, seu sub æqualitate proportionata consideratas, & in respectu ad lucrum & damnū, quia hic res respiciuntur (nō absolutè* &præcisè, sic enim quandoq; una res esse potest inter duas personas, ceu patet in commutativâ justitiâ de depositō, commodato &c. ubi saltem una res esse videtur, si videl: præcisè & absolutè spectetur id, quod deponitur aut commodato datur; *sed) determinatè & respectivè, videlicet sub conditione æqualitatis inter lucrum & damnum*, quippè quæ ex unâ illâ re (videlicet depositō vel commodato) oriri possunt, & ad æqualitatem à justitia redigi debent, ut medium inter illa tanquam extrema statuatur. Quomodo autem una res duplicem admittere possit respectum Exemplo injustitiæ addiscere poteris, ex Eth. 18. (*III.*) *HARMONICA seu MUSICA aliàs* in qua numeri ita ordinantur, ut eadem sit proportio maximi ad

(1)

(2)

NB.

3. Harmonica, *quæ*

hic à Scholasticis nõ attenditur.

ad minimum, quæ est differentiæ, intercedentis inter majores duos, ad differentiam, quæ intercedit inter duos minores v. g.



Sicut enim senarius tanquam maximus bis continet ternarium, tanquam minimum, ita differentia, quæ intercedit inter majores duos (nimir: senarium & quaternarium) ut binarius, bis continet differentiam, quæ intercedit inter duos minores (nimirum ternarium & quaternarium,) puta unitatem: vide Donat Acciajol. 5. Eth. c. 3. t. 29. Hæc proportio HARMONICA, licet aliàs Johanni Bodino de Repub. l. 6. c. 6. valde arrideat, hîc in Ethicis à Practicis Philosophis otiosa censetur, & ad nostrum institutum nihil faciens, cum *omnis æqualitas, quam Justitia hic observat, æstimetur vel ex Personarum dignitate* ceu fit in justitiâ distributiva juxta th. 32. *vel simpliciter ex rerum ipsarum modo & mensura*, ceu contingit in commutativâ justitia, vide th. 39. Tertium dari nequit, unde & Harmonica proportio otiosa judicatur, ceu uberius ex thesi 32. patebit.

(II) *Secundaria.*

II. Secundaria & Minus principalis, juxta quam ex mente nonnullorum *Proportio* adhuc *statuitur*

1. *Directa* in qua primus terminus cum secundo, & tertius cum quarto directè comparatur v. g. sicut se habent 4. ad 8. sic se

2. habent 16. ad 32.

2. *Permutata* in qua primus terminus cum tertio & secundus cum quarto mutatur v. g.

6 — 12 — 18 — 36.

ubi dico, sicut se habent 6. ad 18. ita se habent 12. ad 36. Sex enim in 18. ter & 12. in 36. similiter ter continetur. De hac consideratione alibi.

IV. Effectum, *Ut JUS, cujus enunciatio definitiva resolvi potest in.*

XXII. Effectum immediatum Justitiæ, juxta Rev. & Excellent. Dn. D. Jacob. Martini præc: meum honor: l. 2. Eth. c. 15. & 16. *est jus, quod est præceptum in mutuæ societatis usu, hominibus à rectâ ratione præscriptum*.

XXIII. Hæc Enunciatio Definitiva similiter *resolvi potest*

in

in sua extrema ex quibus constat, videlicet *I. in Subjectum quod* hoc loco est ipsum definitum,& quidem *jus, cujus Enodatio Nominalis hîc duplex* esse potest. *(I.) Notatio, quæ* duplex esse potest *(I.) Apparens & alluſiva magis, juxta quam jus 1. per Metathesin seu transpositionem* quandam litterarum nonnullis dicitur *quasi vis*, quia juri nihil se magis opponit quam vis, adeò ut plerumq; ab hac etiam obruatur; Nam cui vis est, jus non metuit *2. aliis* dicitur *quasi juxta sit*, propter æqualitatem, quam ubiq; servat, verum utraq; derivatio alluſio potius est, quam vera notatio. *(II.) Verisimilior, juxta quam jus à Justitia* derivatur, per denominationem Logicam juxta thes. 2 Alias derivationes Lexicographis examinandas relinquo. *(II.) Æquivocatio, juxta quam* inter alias suppositiones, quæ æque huc non spectant, *jus sumitur 1. pro ἐξουσία seu potestate, autoritate & privilegio concesso*, sic Cicero ait pro Archia: suo jure noster ille Ennius sanctos appellat Poëtas. Hinc αὐτεξούσιοι sui juris, seu pro suo jure quid facere dicuntur, qui alterius imperio non sunt subjecti. simili fermè modo de juris ratione, ad aliquem pertinente, interpretari poteris & illud tritum. *Qui succedit in locum, succedit in Jus. 2. Pro necessitudine seu conjunctione quadam*, quo sensu dicimus Jus agnationis, Jus affinitatis &c. *3. Pro loco Judicij*, in quo jus reddebatur, *per Metonymiam subjecti pro adjuncto.* Hinc in jus vocare olim significabat ad tribunal & sedem Prætoris vocare, quia eo in loco reddebatur jus. *4 Pro arte æqui & boni* l. 1. ff. de Just. & Jur. ubi tamen Ars impropriè sumitur. 5. *Æquipollenter pro lege*, ut apud Virgil: l. 1. Æneid. Remo cum fratre Quirinus jura dabant, sic & Imperator quandoq; videtur jus appellare legem illam, quam cum ipso genere humano rerum natura prodidit. Quia autem hi duo termini, videlicet JUS & LEX, sæpè æquipollenter sumuntur, ideò inter alias rationes perutiles ob hanc etiam causam in disput. 11. de legibus, Deo auxiliante, agere lubet. *6. In præcipuâ & strictâ suppositione Ethica pro præcepto, quod in mutuæ societatis usu præscribit ratio.* In hac ultima & stricta significatione Philosophi

1. In Subjectum, *vid. J U S, cujus 1. Notatio.*
1.
(1)
(2)
2.
2. *Æquivocatio.*
1.
2.
3.
4.
5.
6.

2. In Prædicatum, *quod est ipsa definitio resolubilis in conceptū.*

1. *Latiorē.*

1.

2.

2. *Strictiorem, de sumptum.*

(1) *à Subjecto.*

(2) *à Causa.*

NB.

1.

2.

3.

4.

II. Specialis, *in qua Distributio Justitiæ notatur, de qua attendatur.*

Practici terminum Juris plerumq; accipiunt. Undè & nos eum Dn. D. Jacob. Martini illam hîc retinemus. *II. In Prædicatum, quod* hoc loco est *ipsa definitio, constans conceptu.* (1) *Latiori, qui* hîc est *præceptum*, quoniam jus præcipit agenda & factu necessaria. Unde *Jus tanquam præceptum duo implicare & importare videtur: 1. Jussum*, videlicet actum illum præcipientis rationis *tum* interiorem, qui est voluntatis & Electionis, *tum* Exteriorem, qui est, quo *vel* scriptura *vel* aliâ ratione significatur. 2. *Materiam seu Rem jussam*, quæ in jure præcipitur. Hæc dicitur justa propter qualitatem, quam assumit à jure seu jussu rationis. Unde justum dicitur ipsius juris seu præcepti contentum, hoc est, materia seu res, quæ jussu seu præcepto illo continetur. (II) *Strictiori, qui desumitur 1. à subjecto Juris*, cui videlicet jus competat, quod hoc loco sunt homines mutuæ societatis, quippè quorum usui & utilitati jus est destinatum. Inter illos enim Jus versatur, qui possunt evadere injusti, cum privativè opposita aptè nata sint fieri in iisdem: 2. *à causâ, quæ est recta nostra ratio*, quatenus justa & honesta nobis præcipit, ita ut jus à recta ratione & consequenter à Justitia dependeat, tanquam effectum à sua causa; unde hîc pro majori horum terminorum explicatione ex Rev. & Excell. Dn. D. Jac. Mart. d. l. *nota: Quod apud Philosophos.* (1.) *Ratio nostra seu præceptrix illa naturæ vis*, quatenus justa & honesta nobis præcipit *vocetur alias LEX, in stricto* scilicet & specialiori usu, v. g. dum jubet datam fidem servari. (2) *Jussus* & actus ille rationis, quo jubet fidem serves, *Jus* nuncupetur. (3) *Justum dicatur res illa, quæ est justa*, ut h. l. observatio fidei. (4) *Juste factum* tandem nominetur *ipsius justi effectio*, ut h. l. observatio, quando in actum deducitur.

XXIV. Sequitur jam *specialis Justitiæ Particularis consideratio, qua* enodatur distributio ejus, & *explicatur quotuplex sit Justitia. Constituitur autem Justitia* à Dd. communiter *duplex* videlicet. *I. Distributiva*, quæ res rectè distribuere docet. *II. Commutativa*, quæ ritè commutare docet. *De hac distributione duo* hîc breviter *notentur 1. Modus* distributionis præsentis,

tis, videlicet an Justitia dispescatur in Distributivam & commutativam, tanquam Genus in suas species, vel tanquam species specialissima in suos diversos solummodò modos. 2. *Specialior enodatio* cujusvis Justitiæ, qua singillatim enodatur natura cujusvis Justitiæ specialioris, *tum* Distributivæ, *tum* Commutativæ.

XXV. *De modo* præsentis distributionis *notetur, quod sit divisio Generis in suas species*, ita ut justitia tanquam Genus dispescatur in distributivam & commutativam tanquam in species substratas, & sub justitia, ceu genere, contentas, *quod patet I. Ex testimonio Arist.* qui 5. Eth. Nicom. edit. Pac. c. 7 post quam de justitia Distributativa egerat sic infert: *Atque hæc una justi species est, Reliqua verò altera juris est emendativi, quod in commerciis tum spontaneis tum involuntariis sit, diversamque a priore speciem habet. II. Ex specificè diverso objecto formali & consequente proportione seu æqualitate.* Hinc ita: *Quæcunq; differunt specificè distincto tum objecto formali, ut tali, tum æqualitate & proportione, illa etiam à se invicem totâ specie differunt: Atqui verum prius de Distributiva & Commutativa Justitia. E. & posterius. Major* probatur ex eo, quod habitus potissimum distinguantur ex distincto objecto formali, hoc est, distinctè & diversimodè considerato, seu sub diverso & distincto modo atque actu versandi circa illud objectum, ita ut ubi sit planè distinctus modus, seu actus versandi circa illud objectum, ibi etiam distinctus sit habitus, quia objectum formaliter consideratum (hoc est, sub distincto modo & actu versandi circa illud) distincto signit habitus, *ceu patet 1. Exemplo nonnullorum particularium habituum*, videlicet Liberalitatis & Justitiæ, licet enim circa rem externam videlicet divitias, versetur & Justitia & Liberalitas, tamen propter diversum operandi modum hi habitus inter se distinguuntur, cum Justitia intendat rectam permutationem & distributionem, Liberalitas autem liberalem & legitimam largitionem. 2. *à pari*, videlicet potentiis sensitivis, quæ itidem distinguuntur à se invicem per diversa objecta formalia, hoc est, considerata sub

I. Modus.

I.

2.

(1)

(2)

diverso modo versandi circa illa. v. g. visus distinguitur specie ab Auditu, quia visus versatur circa colorem sub ratione visibilitatis, seu quatenus color per impressionem speciei intentionalis movet potentiam visivam ad eliciendam visionem, seu actum videndi, quæ omnia de auditu affirmari nequeunt. (1) *Minor probatur (1) de objecto formali specie diverso*, quia utrobiq; est diversa ratio debiti, diversusq; specie actus. Nam *debitum in* justitia *distributiva est* omne distribuendum, ut *publicum & commune*, hoc est, quod eà ratione debetur, quatenus est communitatis seu Reipubl. tanquam totius. *Debitum* autem in justitia *commutativa est privatum quid, seu quod alicui ut privato privatim debetur*, tanquam proprium & privatum debitum: Undè & propter debita hæc formaliter distincta, specie distincti utrobiq; sunt actus videlicet distributio & commutatio. vide plura apud Lud. Molinam tom. 1. de Iust: & Iur. tr. 1. disp. 12. n. 3. Gregor. de Valentia. tom. 3. (2) disp. 5. q. 5. p. 1. *(2) de proportione diversa*, quæ & utrobique diversa est propter diversum objectum seu debitum, diversumq; actum versandi circa illa debita. *Nam in distributivâ* Iustitia *requiritur Geometrica proportio* juxta th. 32. *In Commutativa* autem *Arithmetica* juxta th. 39. quia par est, formaliter distincta debita distinctà etiam proportione tribui. Hinc ex NB. Clariss. Horn. Eth. l. 3. c. 9. n. 24. notes velim, *differentiam* (1) *Justitiæ distributivæ consistere. 1. Principaliter & formaliter in diversa ratione debiti*, quia enim Iustitiæ munus est debitum unicuiq; reddere, certè diversa ratio debiti ipsam distributionem & commutationem discriminabit, ut vult Domin. Soto l. 3. q. 5. ar. 1. Dum *debitum in distributione est publicum quid*, competens alicui secundum quid, videlicet quatenus est pars & membrum civile totius communitatis seu Reipub.; quod enim totius est quodammodo etiam est partium; *Debitum* autem *in Commutatione est privatum quid*, competens alicui ut privato simpliciter tanquam propria quædam possessio. (2) *2. Consequeter etiam in diversâ ratione proportionis & æqualitatis*, quia proportio, quæ utrobiq; observatur, ipsâ Distributione & Com-

& Commutatione naturâ posterior censetur, dum ipsius objecti formalis seu debiti naturæ diversæ conformari debet.

XXVI. Ex hisce patet *Error Buridani*, qui, ut citant, 5. Eth. q. 7. putat modalem saltem esse discrepantiam inter distributivam & commutativam justitiam, ita ut justitia sit species infima, dividatur autem in distributivam & commutativam, tanquam in diversas saltem rationes & modos redigendi res ad æqualitatem.

Error Buridani.

XXVII. In speciali Justitiæ distributivæ tractatione notetur ejusdem. I. Definitio. II. Objectum. III. Subjectum. IV. Caussa distributionis. V. Proportio. De singulis breviter.

II. Specialior enodatio Justitiæ.

(I) Distributivæ, *de qua notetur.*

XXVIII. Definitio hæc esto; *Justitia distributiva est Justitia Particularis æqualitatem servans in attributione eorum, quæ totius communitatis sunt, ad partes, ut tales.* Cujus definitionis enodatio ex subsequentibus cum pateat, hic saltem nota, quâ ratione justitia, quæ in definito ponitur, possit in definitione repeti & loco generis poni, cum tamen Regula Logica sit. *Definitum non debet ingredi definitionem, sivè oblique sive directè in eo ponatur. Intelligendus* enim *est Canon de definiti voce incomplexa seu simplici*, quando definitum una & simplici effertur voce; *Non autem æquè de voce complexâ*, quando pluribus vocibus definitum circumscribitur, propter simplicis alicujus termini & vocis defectum, ut hoc loco. *Ratio* est, quia tunc altera pars definîti fungitur loco generis, unde & absq; τautologiæ resumi potest in definitione, quod plurimis exemplis ex Arist. aliàs declarari solet.

(I) *Definitio.*

NB.

XXIX. Objectum, circa quod versatur Justitia distributiva, *considerari potest dupliciter. I. Generaliter secundum abstractam suam naturam*, & communia attributa, *& tunc objectum distributionis est omne id, quod ut publicum & ratione totius communitatis distribui potest inter partes istius communitatis, ut tales*, hoc est, inter eos, qui unius civitatis cives sunt, & quidem ut tales, seu pro ut sunt cives. Hinc ad Justitiam distributivam non pertinet quidquam, nisi quod de communibus totius Republ. bonis aut malis cuiquam debetur & quidem, qua ejus pars seu civis est, quod patet ex Arist. testimonio 5. Eth. edit. Pac. c. 7. ubi ait: *justum enim distributivum eorum, quæ commu*

(II) *Objectū, quod consideretur.*

1. Generaliter, *& tunc Objectum illud est.*

NB.

communia sunt, semper fit ea proportione, quæ dicta superius est. Hinc justitia distributiva respicit Objectum suum, ut est. (I.) Commune & Publicum quid, ita ut sit totius communitatis, & inter membra ejus, videlicet cives, distribuenda, *Hinc quicquid non est debitum commune,* seu non debetur cuiquam tanquam de communibus bonis, neque ferendum imponitur ut publicum & commune onus, *ab Arist. non censetur Justitiæ distributivæ objectum, sed commutativæ ut est. 1. Pœna & supplicium,* quippe quod non est cõmune quid, & totius cõmunitatis, nec civibus tanquam de publico depromitur, ut eorum singuli partem auferant. *2. Stipendium & beneficium,* quod cuiquam persolvitur & offertur pro operâ peculiariter præstitâ sive ex certâ oligatione hæc facta sit, sivè ex nudo honestatis & justitiæ amore v. g. si consiliarius quispiam consilium egregium principi dederit, vel miles rem in bello strenuè gesserit, vel conjurationem quis detexerit, quia hujusmodi stipendij persolutio aut beneficij compensatio non est commune & publicum quid, obtingens cuiquam ideò, quia civis est; sed *est privata saltem compensatio & merces* oblata alicui privatim, videlicet quia labore & industriâ suâ id peculiariter commeruit. Unde ejusmodi beneficiorum collationem ad justitiam distributivam non pertinere censet Clarisſ. Horn. Eth. l. 3. c. 12. n. 13. *(II.) Distribuendum in omnes partes, seu cives, istius communitatis, secundum aliquam portionem cuig; debitam, pro quantitate tamen summæ distribuendæ,* quia enim ut vult Lud. Molina. tom. 1. de Just. & Jur. tr. 1. disp. 12. n. 3 Respublica statuitur collectio quædam omnium suarum partium, certè ejus bona & partium sunt, in commune tamen ab eis possessa, unde si dividenda sunt illa bona, per reipubl: partes sunt distribuenda & unicuique sua portio debetur. *Dixi consultò* secundum portionem aliquam debitam, pro quantitate tamen summæ distribuendæ, quia Distributio hîc non fit simpliciter seu absolutè, ut videlicet quis semper recipiat tantum, quantum virtus ejus simpliciter meretur, sed determinate & secundum quid, videlicet quantum ex hac vel illa boni distribuendi summa capi potest, & alicui debetur, quia propter summæ distri-

2. Commune & Publicum quid.

1.

2.

2. Distribuendum in omnes partes istius communitatis.

NB.

distribuendæ parvitatem in justâ distributione rarò tantum quis capit, quantum per se virtus ejus merebatur, modò ipsi illa portio attribuatur, quæ ei debetur ex tali determinata summa distribuenda, & in collatione atque respectu ad aliam personam seu concivem v. g. sint agri ab hostibus capti inter cives dividendi, hic si justa debet esse diribitio, præclarissimo omnium civium, (qui non tantum nobilissimo loco natus, ita ut majorum ejus in rempublicam merita extent insignia, sed & ipse primo loco rempubl. administret) nobilissima agrorum portio assignabitur, non quidem quantum simpliciter virtus ejus meretur, sed quantum in collatione ad cives ex quantitate datorum agrorum ipsi debetur. *Similiter* prout major aut minor pecuniæ summa ab hostibus capta in promptu est, ita & unicuiq; militi majus aut minus præmium assignabitur. Hinc Thomas 2. 2. q. 61. ar. 4. ad. 2. ait: *In Justitia distributiva non attendatur æqualitas ejus, quod quis accipit, sed ad id quod alius accipit secundum modum utriusque personæ. Quia autem objectum distributivum est quid distribuendum inter cives, sequitur quod & Totum quoddam sit, naturâ prius partibus, in quas dispescitur v. g.* Tota summa prædæ, inter milites distribuendæ, prior est portione, quam ex eâ capiunt singuli, videlicet imperator, Legatus, Gregarius Miles &c. Ex quo simul *patet pœnas non esse objectum distributivum*, seu propriè sub distributionem cadere. (1.) *Quia omnibus civibus earum aliqua portio non cedit*, dum nunquam pœnæ civibus omnibus irrogantur. (2.) *Quia aggregatio pœnarum istarum*, quæ multis simul infliguntur, *non est prior singulis pœnis*, quæ huic aut illi nocenti specialiter infliguntur. *II. Specialiter, quoad specialem distributionẽ, juxta quam objectum distributivum est 1. Bonum*, ut est *Præmium publicum*, seu ad totam communitatem pertinens, quia juxta hanc justitiam oportet bene merita præmiis mactare; imò ut præmia publica ad totam communitatem spectant, ita etiam ad singulos cives eatenus spectant, quatenus sunt ejus membra civilia. Est autem Publicum illud præmium *vel* honos *vel* pecunia, *vel* agri ab hostibus capti, vel simile quid *2. Malum, ut* sunt *onera publica*, quæ ad totam communitatem spectant, & hinc eadem ratione

NB.

1.

2.

2. Specialiter.

1. Bonum.

2. Malum.

one imponuntur civibus, prout sunt ejusdem partes seu membra civilia.

(III.) *Subjectum.*

XXX. Subjectum, cui præmium vel onus distribuitur, *est persona publica, ut talis*, hoc est, pro ut publico nomine ipsi præmium confertur vel onus imponitur eatenus, quatenus est civis & pars civilis ejus communitatis, cujus *vel* bona illa sunt oblata, *vel* mala imposita. *Consistit itaq; Justitia distributiva in ordine partium Reipubl. ad se invicem*, pro ut videlicet cives sunt. Hinc *civis in iis, in quibus personæ privatæ rationem obtinet, subjectum distributivæ non censetur*, ceu patet.

NB.

1. *in pœnis*, quippe quibus nemo ideò afficitur, quia civis est, sed quia delinquens est. Unde licet civis sit, qui punitur, non tamen ideò & eo nomine punitur, quia civis est, sed quia hoc aut illud deliquit, quod puniri Reipub. interest. Ob quam causam, licet inflictio pœnarum & vindicatio injuriæ factæ pertineat ad Rempub. & publicam potestatem, quippè ad quam pertinet ejus exercitium, tamen actus justitiæ commutativæ censetur, *quia persona lædens hîc consideratur non præcisè ut civis, sed ut delinquens.*

2. *in Contractibus*, videlicet si inter cives ejusdem reipub. intercedat emptio & venditio, Emptor venditori precium solvere tenetur juxta proportionē Arithmeticam non minus, atque alius Extraneus & peregrinus, quoniam uterq; hîc consideratur ut privatus.

(IV) *Causa distributionis.*

XXXI. Causa distributionis constitui potest *duplex. I. Efficiens*, à qua distributio instituitur, ut est Respubl. seu Magistratus, & in præmiis potissimùm ipse princeps, quia præmium magis videtur delectare majusque acquirere pondus, si à manu ipsius principis proficiscatur. Hoc nomine *Trajanum* commendat Plinius in paneg. quod bonos cives faciat, non pœnis malorum, sed præmiis bonorum.

1. Efficiēs.

II. Finis, qui est *publicæ utilitatis & Reipubl. conservatio*, ceu *patet. 1. in præmiis*, quippe quorum distributione justâ respubl. conservatur, si, quantum in unoquoq; civium est virtutis, seu dignitatis & meriti, tantum is præmii consequitur; quemadmodum contrà Respubl. turbatur, & paulatim labefactatur, si jus suum cuique hoc modo non tribuatur, & vir probus non auferat

2. Finis.

1.

plus

plus præmij, quàm peſſimus. Qui enim male conſultis impunitatem, rectè factis nullum præmium pollicetur, nec illos à crimine, & hos deterret à laude, dum bonus ſegnior ſit, ubi negligas, malus improbior. *2. in oneribus*, quippe quæ civibus imponuntur propter ipſos, & communem reipubl. ſalutem, quæ oneribus illis, impoſitis civibus, procuratur. Quare onera non detrectent cives, cum ejus ſit ſentire incommodum, qui ſentit commodum, oporteatq; ſumptus eum facere prius, qui quærit lucrum.

XXXII. Proportio, quæ *in diſtributione* obſervatur, *eſt Geometrica, quæ reſpicit æqualitatem rerũ ad perſonas per ſe*. Quia enim objectum diſtributivum (videlicet præmium & onus publicum) ſingulis civibus, tanquam membris, debetur propter totum, quod conſtituunt, certè tribuatur etiam civibus oportet juxta proportiouem, quam habent ad ſuũ totum ſeu communitatem & rempublicam, quæ proportio in juſtà & rectà diſtributione cenſetur Geometrica. Et hæc eſt: *Sicut ſe habet perſona & meritum unius civis ad perſonam, ſeu meritum alterius, ita etiam ſe habet præmium vel onus unius civis, ad præmium vel onus alterius.* Cum autem *cives conſiderati in toto complexu*, hoc eſt, prout omnes cives totius civitatis ſimul attenduntur, *ſint diſſimiles*, ita ut alij majores, alij minores reipubl. iſtius partes conſtituant, pro ut videlicet reipubl. magis vel minus utiles cenſentur, certè pro diverſitate hac perſonarum ſeu dignitatis civium in republ. diverſa etiam ſunt præmia & onera, ita ut majus præmium & onus ferat, qui major pars reipubl., minus, qui minor. *Ratio* hæc datur; *Si enim quod commune eſt, ideò huic aut illi meritò conceditur, quia pars eſt civilis iſtius communitatis, meritiſſimò illi datur, cujus præcipuæ in eâ partes ſunt*, v. g. cujus civis meritum duplo majus eſt alterius merito, ejus præmia etiam duplo majora ſint præmiis alterius, ſic enim diſtributio juſta ad æqualitatem ſeu proportionem Geometricam redigetur, & quisq; id conſequetur, quod ipſi competit. Sit Præda aliquot 1000. aureorum diſtribuenda inter diverſas perſonas alicuius communitatis, videl. militem gregarium & primipilum, hîc ut juſtè fiat diſtributio,

(V) Proportio, *quæ Geometrica.*

NB. Geometrica autem per ſe attendit perſonarum dignitatẽ, quæ variat, dum perſonæ æſtimatio ſumi quandoq; ſolet.

NB.

diversum meritum personæ accuratè pensandum erit. Si enim hîc gregarius miles ſic habet ut 1. ad 4. certè præmia, quæ in comparationem veniunt, eâdem proportione ſibi reſpondebunt, ut, quoties gregarius miles accipit 6. aureos, toties primipilus accipiet 24. & vice verſa, quoties primipilus accipit 24. toties gregario militi cedent. 6. Simile judicium feras de oneribus, quæ cum & itidem ad totam communitatem pertineant, civibus imponentur, prout quisq; eorum pars eſt iſtius communitatis, & commodum ejus percipit, quæ participatio cum ſit diverſa, diverſa & erit oneris impoſitio. *Dixi notanter* ſuperiùs, *cives conſideratos in toto complexu eſſe diſſimiles*, quia, licet civium unus & alter, imò plures, ſint æqualès, omnes tamen cives ut ſint ſimiles impoſſibile eſt teſte Ariſt. 3. pol. c. 3. Vide & Clariſſ. Arniſæum Doct. pol. l. 1. c. 8. p. 132. Ubi tamen probè *notes velim, per meritum civium, quod in juſtitiâ diſtributiva attenditur, intelligi perſonæ dignitatem & locum, quem in republ. & inter cives quis tenet, qui cum multis de cauſis cuiquam contingere poſſit, etiam meritum in diſtributivâ Juſtitiâ variat, ita ut æſtimatio illa perſonarum & dignitatis civium non inſtituatur* ſimpliciter, ſed *ex hypotheſi Reipubl. in qua vivitur, ita ut æſtimatio illa deſumi poſſit* 1. *à Nobilitate.* ſic legis illius connubialis. XII. Tabb. quæ patritiorum cum plebeis conjugia vetabat, fundamentum cenſetur ſola nobilitas. 2. *à Libertate*, ita ut dignior ille in republ. cenſeatur, qui libertati maximè ſtudet, & ſtatum illum tueri poſſe creditur. 3. *Ab Opulentia & divitiis.* 4 *à Virtute.* Hinc ipſe *Ariſt. 5.* Eth. Nicom. c. mihi 6. ait: *Juſtum enim, quod eſt in diſtributionibus, pro dignitate quâdam eſſe omnes fatentur. Dignitatem tamen non eandem omnes aſſerunt eſſe, ſed populari ſtatui utentes libertatem; principatum paucorum ſectantes divitias & nonnulli nobilitatem; qui in optimatum adminiſtratione degunt virtutem.* Quæ ſententia ab Ariſtotele aſtructa alibi uberiùs enodabitur. Undè ex diverſis fundamentis dignitas & meritum personæ æſtimatur, & quidem aliter in puris rerumpubl. formis atq; in cœteris, quæ aliquid admixtionis habent, in his enim merita ex pluribus æſtimari ſolent. *Licet autem*

diver-

NB.

1. à nobilitate.

2. à Libertate.

3. Ab Opulentia.

4. à Virtute.

NB.

diversum sit fundamentum æstimandi dignitatem & meritum personæ, tamen proportio ubiq; est eadem & quidem Geometrica, quia ubiq; dignitas alicujus civis attenditur, dum persona cum personâ comparatur, undecunq; etiam dignitatem ejus arcessas: *Geometrica* autem *proportio hîc vocatur, quæ juxta dignitatem instituitur per se.* Ex quibus *patet duplex erratum Johannis Bodini l. 6.* de republ. c. 6. *dum putat, 1 quod quicquid Geometricum, id illicò omne Regium & Aristocraticum quoq; esse & quicquid Arithmeticum, omne illud populare & democraticum, cum tamen (1) Geometrica proportio etiam in populari statu observetur*, dum & in eo honorum fit distributio prout quisq; de republ. meretur, hoc est, prout unus statui illi magis, alter minus est aut esse censetur utilis. Ast pro diverso merito distribui honores proportio Geometrica est. *(2) Arithmetica proportio etiam in regno atq; aristocratia attendatur*, cum nunquam sive in regno absoluto, sive in purâ aristocratia ullius contractus vel commutationis Justitia à dignitate personarum æstimetur. *2. Diversam rationem æstimandi merita & dignitatem personarum statim inducere diversam proportionem distributionis*, quæ fit ob merita. Confundit enim Bodinus diversas quæstiones, cum aliud sit disputare, unde dignitas arcessi debeat, quod Politicæ considerationis est, aliud quomodo pro dignitate justè aliquid distribuatur, quæ Ethica est quæstio. vide Clariss. Horn. Eth. l. 3. c. 12. n. 9. & seq.

Erratum Bodini.

1.

(1)

(2)

2.

XXXIV. In speciali justitiæ commutativæ consideratione notetur ejusdem. I. Definitio II. Subjectum. III. Objectum. IV. Proportio.

(II) Commutativę *de qua notetur.*

XXXV. Definitio hæc esto. *Justitia Commutativa est justitia particularis, mediocritatem servans in commutationibus, & ijs, quæ privato nomine ac jure alicui debentur.* Resolutio hujus definitionis ex sequentibus patebit.

(I) *Definitio.*

XXXVI. Subjecta, inter quæ datur commutatio, *sunt personæ, privatam quandam conditionem obtinentes, quâ tales*, seu *prout privato quodam nomine considerantur, Hujusmodi* subjecta *sunt. I. Frequentius, Partes Reipubl. inter se*, & quidem Reipubl. *vel* unius & ejusdem, *vel* diversæ, ut, cum nobis

(II) *Subjecta.*

1.

commutatio intercedit cum longè disſitis civibus alterius
2. Reipubl. *II. Rariùs, ipſa etiam Reſpublica* ſeu *communitas & ejus pars aliqua*, ſeu civis, quia Reſpubl. in eo caſu contrahit ut privatus quidam, undè non minùs atq; privatus ſecundum Arithmeticam proportionem contractum ſervare tenetur, *ceu patet. 1. in Emtione & venditione*, ſi enim Reſpubl. quidquam emat à privato cive, pretium ipſi ſolvere tenetur juxta
(1) proportionem Arithmeticam non minus atque alius privatus, unde & pretij illius ſolutio civi ex juſtitia commutativa debetur à Republ. perindè atque ab alio privato concive.
(2) *2. in Mutuo*, ut ſi Reſpub. civi mutuo det centum aureos, civis de juſtitia commutativa tenetur illos Reipub. reddere ad æ-
(3) qualitatem Arithmeticam. *3. in Stipendij & ſalarij ſolutione*, ut ſi Reſpub. iis militibus, quos ad bellum conduxit, perſolvit ſtipendia, quæ ipſis promiſit, eſto cives ejus ſint: aut ſi judicibus & aliis miniſtris publicis porrigit ſalaria, ipſorum muneribus conſtituta, commutativæ juſtitiæ actus ille eſt, quia omne ſalarium vel ſtipendium eſt compenſatio quædam operæ, quam ex contractu quis præſtat vide. Thomam. 2.2.q. 61. ar. 4. ad. ſecun. & Ludov. Molin. de Juſt. & Jur. tom. 1. tra. 2. diſp. 12. num. 9.

(III) *Objectum, quod conſideratur. 1. Generaliter.*

XXXVII. Objectum, circa quod verſatur juſtitia commutativa, *eſt res omnis, in quam alicui juris quidquam eſt alio, quàm publico, nomine & titulo*, quæ res in tota ſua latitudine ſi conſideretur, communi & generali quodam nomine commodè exprimi nequit. *Ariſtoteli* 5. Eth. c. mihi 5. *objectum illud dicitur* συναλλάγματα, quæ vox ſtricta nimis cenſetur, contractum aliàs notans, qui juxta JCtos aliàs requirit mutuum inter contrahentes conſenſum, qui in invitis commutationibus non datur. Idem judica de vocibus permutationis & commercij, quæ aliàs ſtrictiores ſunt hoc objecto commutativo, de quo videlicet hic agit juſtitia commutativa. Quare, ut Philoſophus propter defectum commodioris termini uſus eſt voce συναλλάγματος, ſic & *alij hodierno tempore ad eundem modum cum ampliatione quadam retinent vocem commutationis*

tionis & contractus, ita ut in latiori & ampliata sua significatione notet (non tantum contractus veros sed) quamvis obligationem subortam, vide clariss. Horne: Eth. l. 3. c. 13.

XXXVIII. Distributionem commutationis, hoc modo generaliter sumptæ, *si expetis, apud alios fusius invenies. Nos* pro instituti nostri ratione *Scholasticorum vestigia teremus, & ex Thoma 2. 2.* q. 61. ar. 3. Gregor. de Valentia tom. 3. disp. 5. q. 5. p. 2. *quandam* distributionem *adseremus*, quæ licet non sit exactissima, dum accuratè omnes objecti commutativi species complecti non videtur, ceu fatetur ipse Cajetanus & Valentianus, tamen pro nostri instituti conditione sufficiens esse potest, *tum* quia ipse Arist: 5. Eth. c. 5. aliquot saltem species recensèt, dum non necesse judicat, ibi accuratè definiri, quæ & quot sint species ejusmodi commutationum, *tum* quia ex enumeratis facilè de cæteris judicari potest, cum in cunctis una & eadem sit ratio capiendi medium, quod hîc attenditur. Sit autem hæc distributio, quod *Commutatio* ex Arist. 5. Eth. c. 5. *sit duplex I. VOLUNTARIA*, in qua voluntas seu animus commutandi datur utrinque, hoc est, ex parte *tum* dantis *tum* accipientis. *Hujusmodi* voluntaria commutatio *respicit I. simplicem translationem rei personæ unius in alteram pro pretio certo*, quando videlicet quis rem suam simpliciter in alterum transfert pro pretio certo, ut est *Emtio & Venditio.* Ubi *nota* secundum Scholasticos *honestatem in Justitia commutativa jubere, ut venditor rei vendendæ vitium, præsertim occultum, explicet & significet.* Justitia enim Commutativa in rebus commutandis sufficientem requirit cognitionem, quia aliàs proportio debita Arithmetica, adeoq; ipsa Justitia, violaretur, dum bonitati nummi bonitas mercis non corresponderet. *Imo* venditor rei venalis vitia eo saltem fine reticet, ut tantum pecuniæ extorqueat, ac si merx integra esset, & sic Christianus Christianum defraudat, alteriusq; damno iniquè locupletatur, quod contra Justitiam. Licet enim inquirere vitia manifesta sit Emtoris, tamen occulta venditor significare tenetur: *Imo* ut Emtoris est inquirere, sic venditoris est Explicare propter causas adductas. vide Clariss. M. Gutkium, Ami-

2. *Specialiter.*

I.

I.

2. Amicum meum honorandum. disp. Eth. II. q. 1. *II. Usualem concessionem*, quâ quis usum saltem rei suæ alteri concedit, ita
(1) ut eam ipsam recuperet. *Est* autem illa *usualis concessio.* (1) *Gratuita*, quando illa gratis fit, & quidem *in re* 1. *Fructificante*, seu quæ fructificat, ut *usus fructus.* 2. *Nonfructificante*, seu in cæteris rebus, *ut est* (1) *Mutuum*, si ita conceditur usus, ut fiat restitutio ejusdem specie tantùm. (2) *Commodatum*, quando
(2) res eadem numero restituitur. (II.) *Compensatoria*, quando usus rei compensatur per precium certum, ut est *Locatio &*
3. *Conductio.* III. *Nudam custodiam & conservationem*, quando quisquam rem suam alteri tradit, tantum ut conservet, sicut fit
4. *in Deposito.* IV. *Obligationem* (1) *simplicem*, qua quis simpliciter se obligat ad satisfaciendum pro altero, ut est *Fidejussio.* (II) *Determinatam & confirmatoriam*, qua quis rem suam alteri tradit, ut confirmet obligationem de satisfaciendo, ita ut
II. nisi satisfaciat retinere possit, estq; *oppignoratio.* II. *INVOLUNTARIA & INVITA*, in qua commutatio fit, unâ parte invitâ, ita ut non adsit voluntas *vel* dantis, *vel* accipientis.
1. *Hæc considerari potest.* I. *Generaliter*, secundum generales modos, *& tunc commutatio voluntaria est* (1) *Clandestina*, quæ fit ignoranter & nobis ignorantibus, *ut* est *Furtum*, *veneficium.* (II) *Violenta*, quæ fit violenter & præter nostram voluntatem, licet alias nobis scientibus contingat, *ut* sunt *vulneratio, Rapina, &c.* II. *Specialiter* secundum specialiores modos, quibus alterutra pars læditur, *& tunc* per invitam commutationem *quisquam læditur in suâ* (1) *Re*, ita *ut alterius Res accipiatur*
(1) 1. *occultè* & tunc *furtum* dicitur. 2. *Manifestè*, ut *Rapina*,
(2) (II) *Persona*, & quidem 1. *Immediatè*, *quandoquis in se* & quoad propriam personam *læditur* (1) *Ratione Incolumitatis* & quidem (1) *Occultè*, ut Veneficiũ, fraudulenta & dolo facta cædes. (2) *Manifestè*, ut cædes violenta, Mutilatio &c. (2) *Ratione Dignitatis*, & tunc persona rursus lædi potest. (1) *Occultè*, ut falsum testimonium, aut detractio. (2) *Manifestè*, ut falsa accusatio, convitium. 2. *Mediatè*, quando quis læditur in
NB. personâ aliâ, certo modo sibi conjuncta, ut est Adulterium, seductio servi, &c. Ubi *nota*, quicquid in hisce omnibus ad

Justi-

Justitiam redigi potest, id unâ & eâdem proportione & æqualitate mensurari, videlicet Arithmetica, quippe quæ in justitia Commutativa ubiq; observatur.

XXXIX. *Est* autem *Proportio* illa *Arithmetica, quæ æqualitatem æstimat simpliciter & per se ex rerum ipsarum modo ac mensura.* Unde *hic spectatur,* (non personarum dignitas, per se sed) *res præcisè,* quid videlicet cuique debeatur ratione ipsarum rerum, quas commutant. Ut enim aliàs in proportione Arithmetica simpliciter numerorum à se invicem distantia observatur; sic & in analogia æqualitas, quam justitia commutativa quærit, consistit in sola rerum æquali distantia, à lucro & damno, ne videlicet quis defraudetur. *Per lucrum* enim *in oppositione damni hic intelligitur illud tantum, quod cum alterius injuria conjunctum est,* v. g. Si rem emi, pretium illi æquale, juxta id, quod pacti sumus reddere debeo. Si mea sponte centum aureos ex liberalitate promisi, eoque ipso me debitorem constitui, totidem solvere adstringor. Sic in contractu societatis, si lucri justa debet esse divisio, Arithmetica proportio attendatur, ita ut hîc adæquetur non persona personę, sed res rei, videl. portio lucri correspondeat portioni sortis, seu pecuniæ, quam ad sortem quis contulit, & prout inæqualiter socij ad sortem contulerunt, ita etiam inæquales lucri portiones auferant. *De hac proportione Arithmeticâ hîc* ulterius breviter *notetur. I. Probatio. II. Distributio,* qua enumerantur modi specialiores Arithmeticæ proportionis hic observandi. *III. Rerum commutandarum æstimatio.*

XL. *Probatio applicationis,* quâ probatur ritè hic applicari & observari proportionem Arithmeticam, *duplex esse potest I. Generalior & Præcisa magis,* qua generaliter probatur, ad justitiam commutativam pertinere Arithmeticam proportionem, *ceu patet* 1. *ex natura & definitione Arithmeticæ proportionis,* h.m. *Ubicunq; æstimatur æqualitas simpliciter & per se ex rerum ipsarum modo, non ex personæ dignitate, ibi Arithmetica observatur proportio; Atqui in commutationibus justis æstimatur æqualitas simpliciter & perse ex rerum ipsarum modo, non ex personæ dignitate. E. in commutationibus justis Arithmetica observa-*

(IV) Proportio, *quæ hîc Arithmetica statuitur, cujus hîc notatur.*

1. Descriptio.

NB.

2. Applicationis probatio, *quæ.*

1. Generalior & Præcisa magis.

(1)

ſervatur proportio. *Major* patet ex definitione proportionis Arithmeticę th. 39. data. *Minor* probatur exemplis cōmutationū, in quibus id ſolum ſpectatur, ut quisq; tantū recipiat boni aut mali, quantum ab uno in alterum profectum eſt. v. g. qui ædes vendit, tantum pecuniæ ab emtore exſpectet neceſſe eſt, non quanto fortè ille dignus eſt, ſi dignitatem ejus inter cives ſpectare quis velit, ſed quantum nummorum ædes illas compenſare poteſt, nec pecuniam emtor erogat alio fine. Hinc Xenophon lib. 1. de pœdia Cyri, Cyrum adhuc puerum vapulantem inducit, quod rex à ſociis creatus, veſtimenta commutari juſſiſſet ſecundum perſonarum conditionem, ita ut ampliora grandioribus, minora brevioribus tribuerentur. Magiſter enim ejus ibidem aliud eſſe docet, ſpectare quid cuique ratione perſonæ ſuæ quadret, ſi præmia fortè diſtribuere vellet, aliud quid privato jure cuique debeatur. *2. Ex oppoſito*, videlicet *injuriâ* h. m. *Iniquitas rei primò ac per ſe non ex perſonâ, ſed ipſo facto penſatur*, quia injuriam facit probus, cum quemquam defraudat, perinde atque aliàs improbus. *E. & æqualitas*, ad quam redigi res illa debet, *itidem primo & per ſe æſtimanda eſt ex ipſa re. Sequela* patet ex canone Topico: *Oppoſitorum eadem eſt ratio.* de quo alibi fuſius. *II. Specialior & determinata magis, qua ſpecialius probatur ſcelerum vindicationem*, & pœnarum inflictionem, *pertinere ad juſtitiam commutativam*, adeoque reſpicere proportionem (non Geometricam, quæ attendit per ſe perſonarum dignitatem, ſed) Arithmeticam, quæ reſpicit ſimpliciter & per ſe rerum adæquationem, ita ut lædens ſimpliciter tantum plectatur, quantum alteri nocuit aut injuſtitiæ fecit, ſic enim delicto pœna ritè proportionatur.

(2)

2. Specialior, & determinata magis, de qua notetur.

XLI. Hæc controverſia, ardua aliàs, *ut ritè enodetur, prælibentur quædam diſtinctiones* pro formatione ſtatus controverſiæ. *Diſtinguendum* enim eſt. *I. inter juſtitiam*, ſecundum quam delicta ſimpliciter juſta pœna ſunt afficienda, de hac hic agimus; *& inter ſpecialiorem, juſtæ aliàs, pœnæ remiſſionem vel mitigationem*, quæ à judice quandoque adhibetur ob certas ſpecialiores circumſtantias datas; ſic *remiſſio pœnæ, aliàs juſtæ*

(1) Diſtinctionum prælibatio.

I.

justæ, quandoq; fit 1. *ex clementia principis*, qui ignoscit quandoq; id, quod justè punire poterat. (1) 2. *ob bonum publicum* quippe quandoq; interest ad vivum non resecare cuncta. (2) 3. *ob necessitatem*, cui quandoq; cedendum. Sic poterat *Papyrius* Fabium, Equitum magistrum, omni jure ad securim damnare, nec tenebatur ullis tribunorum minis aut intercessionibus cedere, quia ut Livius ait l. 6. adversus dictatoriam potestatem, nec tribuni plebis, nec ipsa plebs attollere oculos aut hiscere audebant: sed cum videret universum populum ad preces versum, tum ex re futurum putavit, si æquitati locum daret. Liv: l. 8 perindè sicut & *Scipio* seditionis crimen exercitui donâsse dicitur. Sic & *David* Joabum, qui interfecerat *tùm* Abnerum. 2. Sam: 3. *tùm* Hamasam. 2. Sam: 20. v. 10. non statim dicitur adjudicasse pœnæ, aliàs justæ, quia Joab potens fuit apud omnem populum, ut de ipso absque singulari reipubl. commotione subitò suplicium tum non facilè sumi potuerit. (3)

II. *Inter personæ considerationem* (1.) *Per se*, quando personæ dignitas primò, per se, & simpliciter spectatur, uti fit in proportione Geometrica, quæ simpliciter fundatur super comparationem personarum & præmiorum atq; onerum. *Hoc modo persona in inflictione pœnæ non consideratur.* Nam ut ait Arist. l. 5. Eth. c. mihi 7. nihil refert, probusne vir malum an malus probum suo privarit, neque probusne an improbus adulterium comiserit, sed ad solam nocumenti differentiam lex spectat. Sî autem personæ dignitas non vetat, quò minus sit delictum, quod aliàs delictum per se est, nec eadem impedire potest, ne pœnâ illâ dignum sit, quam aliàs commeretur. II. *NB.*

(II) *Per accidens*, & *ex consequenti saltem*, scilicet eatenus saltem, quatenus ex personæ conditione quantitas *vel* delicti *vel* pœnæ æstimari potest. *Hoc modo in pœnarum inflictione personam considerari non inficias eo, sed tunc personæ dignitas hic non attenditur per se*, ut in distributivâ Justitiâ aliàs contingebat, *sed per accidens saltem & propter aliud*, videlicet *tantùm ob delicti & pœnæ magnitudinem eò rectius intelligendam.* *NB.* *Hinc* Arithmetica proportio fundatur super nudam adæquationem delicti & pœnæ, ita ut *in*

pœnarũ inflictione per se & primò spectetur exæquatio delicti & pœnæ; per accidens autem saltem & secundariò persona, quatenus vi-
(1) delicet aggravat & elevat. 1. Delictum: Sic servus gravius peccat in Dominum, quippè cui debet reverentiam, quam in alium. Similiter si filius patrem, qui custos portæ appositus esset, interimeret, ut hostem intromitteret, certè non simplex esset homicida, sed & parricida, & patriæ proditor. Hinc & ipse Aristoteles 5. Eth. Nicom. c. mihi 8 ait: si Magistratum gerentem quis percusserit, non solum est percutiendus, sed supplicio insuper afficiendus: *Ratio* hæc forsan, quod percutiens videatur *partim* ipsam rempubl. suo modo percussisse, quia in Magistratu seu persona percussi volvitur autoritas totius reipubl. vide disp. 8 th. 28 *partim* ex majori malitiâ & proæresi peccâsse, cum Magistratui percussus debeat reverentiam. Unde severiori pœnâ id dignum censetur, quia à malitia intensiore proficiscitur. Sic *Romani* ad Hannibalem deficientes cives gravius, quàm socios, puniverunt, quia cives magis sunt devincti patriæ & Reipubl. Similiter gravius peccare videtur Consiliarius, si principem prodere cupiat, quam si idem extraneus quispiam tentet, quia ille & magis Juramento obstrictus est principi, & majus periculum inferre potest, propter notitiam secretorum aliarumq; rerum, undè & major proæresis in ipso præsupponitur. Sic & persona in eminentia constituta gravius delinquit, quia peccat & facto & exemplo, publicum scandalum inducente, quia omne crimen deterius est, quò proficiscitur à personâ eminentiori, quippe quam præ cæteris virtuti litare decebat; de quo vide gratiâ brevitatis plura apud Clariss. Arnisæum doct. poli l. 1. c. 17 p. 333.
(2) 2. *Pœnam*, cum *una circumstantia efficere possit, ut una aliás & eadem pœna longè major sit, quando uni infligitur, atq; est cum infligitur alteri*, undè pro circumstantiarum varietate & ipsa pœna variat, quod exemplo monoculi patebit inferiùs; Sic committant idem delictum duo, unus virtute præstans, alter bipedum nequissimus. Fustigetur *hic*, è senatu autem *ille* ejiciatur, mitior apparet pœna posterior quoad qualitatem, sed tamen æquè gravis est quoad quantitatem, cum homo perdi-

perditus vix tanti faciat fustigationem, quam alter ille eam ignominiam. *Respicitur itaq; persona in pœnarum inflictione non per se, sed per accidens saltem & ex consequenti*, quatenus aggravat & elevat delictum vel pœnam. NB.

III. Inter delicta ipsa, quæ pro diversitate voluntarij ex disp. 4. th. 31. *diversum gradum vitiositatis admittunt*, ita ut unum delictum altero gravius censeatur, propter majorem voluntatem seu propositum peccandi. III.

Hinc delicta constituuntur duplicia (1) Graviora, quæ ex proæresi, adeoq; proposito & destinato consilio, committuntur, quia προαιρεσις multum aggravat delictum, undè in Judiciis respectus ad proæresin delinquentis maximè attenditur. Non enim ita puniuntur pueri, atq; virilis ætatis homines, quia non eadem utrobiq; proæresis. 1.

Potest autem *mala illa Proæresis esse 1. certo cognita*, ita ut certò de illa constet, *& tunc delictum commissum gravius censeri potest. (1) Propter majorem notitiam & peritiam delinquentis*, quâ ille faciliùs resistere poterat malo, quod quia non facit, majorem proæresin habuisse colligitur, & sic graviùs peccâsse, juxta illud Christi Lucæ 12. v. 47. *Sciens voluntatem domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis.* Hinc Clariss. Horn. l. 3. Eth. c. 13. n. 16. censet delicta à nobili, vel alio virtute prædito, ex proæresi commissa non mitiùs sed graviùs plectenda esse, si jure experiundum est, *tum* propter majorem peritiam, quâ magis cavere poterat, *tùm* propter majorem ingratitudinem in DEUM, a quo majoribus bonis quam cæteri ornatus est, *tum* propter majus exemplum & scandalum publicum. (1)

(2) Propter delicti iterationem & frequentiam, si quis videlicet sæpè & iteratò quid commiserit, tunc enim mitiùs quandoq; puniri solet primum delictum, quàm iteratum & ex inveterato confirmatoq; habitu, & ad maleficia obdurato, profectum, quia tunc augetur merita à delicto pœna frequente, juxta illud tritum: *Crescentibus delictis crescunt & pœnæ*, dummodò non excedat modum, sicut Galeatus Sfortia coëgit colonum, leporem, quem ceperat, crudum cum pelle vorare, undè mortuus est: Corius vol. 6. De hac pœnæ intensione proportionata propter delicti iterationem & frequentiam. vide Clariss. Arnisæum doct. pol. l. 1. (2)

(23) cap. 17. p. 335. 2. *Obscura adhuc & præsumta saltem*, cum non constat apertè de proæresi delinquentis, sed præsumitur saltem aliqualiter, & sic in comparatione nobilis prærogativam obtinere censetur præ altero. Qui enim raro quid facit, nec tale quidquam facere consuevit, ille magis ex imbecillitate quadam humana, quàm ex proæresi feciſſe putatur, cum contrà de proæresi firmior ſit præſumtio in eo, qui ſæpe & iteratò quid commiſit; Undè & delictum utrobiq; diverſum & 21 non æquè grave cenſetur. *(II) Leviora, quæ non ex proæresi ſed errore aut imbecillitate ſaltem humana committuntur*; vide diſp. 6. th. 7. Et tunc *Scholaſtici* quidam cenſent, virum virtute præditum in collatione cum alio, nullâ prædito virtute, etiam aliqualem prærogativam obtinere, v. g. ſi duo idem delictum committant, quorum alter virtute præſtans, alter nullâ, conſtet autem utrumq; nõ tam ex proæresi, quam humanâ quadam imbecillitate lapſos eſſe, hîc Scholaſtici delictum prioris levius quodammodo cenſent, quàm poſterioris, quia *ille* ex minori negligentiâ lapſus videtur, cum ſedulò ſemper caverit, ne tale quid delinqueret, *hic* verò ex majori negligentia peccâſſe videtur, quia minus caverat, undè & huic ſuo modo majorem culpam Scholaſtici tribuunt, quia nec aliquid acquirere voluit, quo aliàs cavere poſſet. Ex hiſce jam facilè patet explicatio triti illius enunciati: *Duo cum faciunt idem, non eſt idem*, propter diverſitatem proæreſeos & circumſtantiarum, quæ ipſam rem variant, de quibus. vide diſp. 5. th. 17. ubi autem diverſum eſt delictum, ibi diverſa etiam pœna exi-
IV. gitur. *IV. Inter pœnæ qualitatem*, quæ reſpicit nudè modum infligendi pœnam, *& inter ejusdem quantitatem moralem*, quæ attendit pœnæ pondus & gravitatem moralem, hoc eſt, quàm
NB. gravis ſit pœna ei, cui imponitur. *Hæc hîc attenditur, non illa*, quia Arithmeticæ præceptum hîc eſt, ut gravitas pœnæ æqualiter correſpondeat gravitati delicti, hoc eſt, ut quis ſimpliciter tantum plectatur, quantum alteri nocuit, aut injuriæ fecit. Ut autem delictorum gravitas non æſtimatur ſimpliciter ex facti qualitate, ſed ex proæresi & circumſtantiis, ceu ex præcedentibus patet, dum duo ſæpè faciunt

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0356
DFG

ciunt idem, quod tamen non est idem, seu æquè grave delictum; sic & pœnarum gravitas, quæ delictorum gravitati proportionari debet, non æstimanda est simpliciter ex qualitate, sed ex circumstantiis certis, quæ *vel* augent *vel* minuunt moralem quantitatem, seu gravitatem pœnæ, ita ut pœna, quæ qualitate una & eadem sæpè est, quantitate tamen morali differat, prout alia atq; alia persona eâ afficitur, v.g. committant duo idem delictum, quorum alter monoculus est, alter autem ambos oculos habet, si jam utriq; oculum erueris, etsi una & eadem pœna esse videatur quoad qualitatem, non tamen æqualis est quoad quantitatem moralem, seu pondus, cum oculo privari sine dubio longè gravius malum sit unoculo, quam ei, qui ambos oculos possidet, quod *ille* hoc pacto totaliter excæcetur, *hic* partialiter saltem, seu ex parte tantum. Unde æquali pœnâ utrumq; non affeceris, si utriq; oculum erueris. Similiter juxta Scholasticos fustigari mitior est pœna servo aut perdito nebuloni, quàm capite plecti; Ingenuo autem & verè nobili etiam major & gravior. Undè licet nobilis quandoq; pœnâ mitiori in specie affici videatur, tamen reipsa moraliter æquè graviter plectitur, atq; alius quispiam, cui major, ut videtur, pœna decreta est, cum una etiam circumstantia pœnam moraliter augere possit. NB.

XLII. Ex hisce præsuppositis jam facilè *patet, quo sensu in pœnarum inflictione Arithmetica proportio à nobis asseratur*, vid. ut secundum moralem quantitatem pœna delicto correspondeat, hoc est, lædens simpliciter tantum plectatur, quantum alteri nocuit, nec in judicio attendatur προσωπολημψια hoc est, personæ acceptatio, qua personæ alicui plus tribuitur, quàm merita causæ patiuntur. Unde & ad commutativam justitiam pœnarum inflictio pertinet, ita ut juxta Scholasticos pœnæ dicantur non distribui, sed irrogari & infligi. Hanc sententiam de Arithmetica proportione in pœnarum inflictione observanda fovent Aristoteles 5. Eth. Nicom. c. mihi 7. & Averroes 5. Eth. c. 7. Thomas 2. 2. q. 61. art. 3. Cajetan. in d. l. Dominicus Soto de just. & jur. l. 3. q 5. art. 1. NB.

art. 1. Acciajol. 5. Eth. c. 4. Clarif. Arnisæ in disputatione peculiari hac de re, & doct. Pol. l. 1. c. 17. Clarif. Horn. Eth. l. 3. c. 13. *Horum autorum opinionem jam sequi lubet ob rationem desumtam ex loco. I. Inartificiali*, videc. *â testimonio & mandato divino*, omnem personarum respectum per se prohibente. Lev. 19. v. 15. Ne accipito personam tenuis, neq; honorem exhibeto personæ magni, justè judicato proximum tuum. Deut. 1. v. 17. Ne suscipite personam in judicio, æque parvum atque magnum auditote. Ast nisi Arithmetica proportio in justitia correctiva, seu pœnarum inflictione, observaretur, certè προσωπολημψια seu personæ acceptatio committeretur, dum personæ *vel* actoris, *vel* rei, plus tribuitur, quàm merita causæ patiuntur. *II. Artificiali* & quidem *modo (I.) Directo, ita ut argumentum desumi possit. 1. Ex natura proportionis Arithmeticæ* h. m. *Ubicunq; inæquale commissum simpliciter redigi debet ad æqualitatem rerum, seu æqualem rerum distantiam â lucro & damno, ibi Arithmetica observatur proportio* non Geometrica. *Atqui in judiciis & pœnarum irrogatione inæquale commissum redigi debet ad æqualitatem rerum, seu æqualem rerum distantiam â lucro & damno. E. in judiciis & pœnarum irrogatione Arithmetica observatur proportio. Major* patet ex natura Arithmeticæ proportionis, quam vide th. 39. *Nec obstat* quod in delictis multis diversis & inæqualibus quandoque adsit gradatio proportionalis inter pœnas, ut inter delicta; ita ut si unum delictum & duplo majus altero, etiam pœna unius sit duplo major pœnâ alterius. Nam *Hujusmodi gradatio hic saltem supervenit ex accidente seu per accidens, quia Arithmetica proportio hîc per se & simpliciter respicit rerum exæquationem, cui quandoq; ex accidente planè gradatio illa supervenit*, videlicet per & propter rerum inæqualium exæquationem, *ceu patet exemplo (1.) contractus societatis*, in quo si inæqualiter socij ad sortem conferant, & inæquales lucri portiones auferentur, ita ut si unius pecunia, quam ad sortem contulit, duplo major fuerit alterius pecunia, & portio lucri, quam prior auferet, duplo major erit portione lucri illà, quam auferet posterior. Nec tamen hæc proportionalis gradatio actum justitiæ distributivæ

(2) *Ipsa Speclalior probatio.*

1.

2.

(1)

NB.

tivæ inducit, quia per per se hic respicitur adæquatio rei ad sortem, cui ex accidente saltem supervenit gradatio illa, ita ut in debito ex justitiâ commutativâ per accidens saltem interdum appareat effigies quædam debiti ex justitia distributiva, juxta Ludov. Molinam de just & jur. to. 1. tr. 1. disp. 12. n. 4. (2.) *Emtionis & venditionis* v. g. vendat unus ædes, alter fundum, tertius arcem. Fundus is duplo est ædibus, arx quadruplo melior fundo, jam certè Emtio & venditio justa esse nequit, nisi precium arcis quadruplo majus sit precio fundi, & rursus precium fundi duplo majus precio ædium. Nec tamen facilè quis patronorum contrariæ sententiæ propter hanc accidentalem & contingentem gradationem emptiones & venditiones hasce ad justitiam distributivam referet, & secundum proportionem Geometricam institutas esse dicet, cum Emtiones & venditiones istæ per se saltem respiciant rerum exæquationem, ut, quam proportionem inter se habent res ipsæ, eandem obtineant & præcia earum. Quod autem per accidens saltem & contingenter fit, ipsam naturam Arithmericæ proportionis ingredi non potest. Similiter in pœnarum inflictione primò attenditur uniuscujusq; delicti & pœnæ adæquatio, & quantitas; secundariò a. saltem & ex consequenti attenditur proportio illa in suppliciis, quæ erat in criminibus collatis: videatur Dominicus Soto loco cit. ar. 4. ad arg. 1. *Minor* probatur. (1) *Ex officio Judicis*, cujus auxilium ideò imploratur, ut, quod peccato damnum illatum est, resarciatur, suũ cuiq; tribuendo juxta Arist. 5. Eth. c. 7. v. g. proponatur lædens & læsus, *ille* plus percepit damni, *hic* plus lucri, quia damnũ intulit; si jam Judex secundum Justitiam Jus suum cuiq: tribuet, certè simpliciter de lucro demet ei, qui lucrum percepit, & adjiciet ei, qui damnum passus est, quò inæqualitas damni ad æqualitatem redigatur, quod nisi fieret, damnum justè non restitueretur (2) *ab oppositio*, quia si judex res inæquales hoc modo ad æqualitatẽ rerum non redigeret, sed personarum haberet respectum, tum illa inæqualitas, ob quam auxilium Judicis imploratur, *vel* plane non tolleretur, *vel* major etiam fieret, quàm antè erat, dum læsis Jus suum ulterius denegatur, unde

NB.

& hic

& hic homines maximè indignantur, ceu patet exemplo Mediolanensium, qui Napum Toresanum, Mediolanensem patritium, carceris diuturnitate & fœditate necârunt, quod legem quandam tulisset, quâ nobilium cœdes pecuniâ tantum expiari vellet. vide Bodinum l. 6. de Republ. c. 6. p. 1201. Similiter Evenium. III. Scoti tractarunt, quod plebejorum uxores etiam Nobilibus ad nutum eorum communicari jubeberet. Buchan. l. 4. 2. *à lege*, tanquam norma dirigente executionem Judiciariam seu pœnarum inflictionem, à Judice instituendam. Hinc ita: *Quæcunq; proportio per se à lege pœnali, seu pœnam decernente, præcipitur, illa & in executione Judiciaria, seu justâ punitione observanda: Atqui Arithmetica proportio, quæ per se respicit (non personarum dignitatem sed) delicti & pœnæ quantitatem à lege pœnali præcipitur. E. & Arithmetica proportio in executione Judiciaria erit observanda. Major* patet *ex officio legis, tanquam normæ dirigentis ipsam executionem*, dum præcipit quid agendum sit; Undè executio & punitio, si justa esse debet, legi conformari debet, ita ut quæ lex præcipit, & planè eo, quo jubet, modo punitio exequatur, quia non potest esse alterius Justitiæ actus præceptum de re facienda, alterius autem actio juxta illud præceptum conformata. *Minor* ex eo patet, quod lex in pœnarum assignatione respiciat per se delictorum gravitatem, non personæ dignitatem, dum aliam pœnam determinat homicidæ simplici, aliam parricidæ, aliam proditori, neq, unam & eandem pœnam statuit ei, qui ex errore aut casu fortuito hominem interfecit, & qui ex malitia atq; odio, ceu patet ex lege Deut. 19. data ubi v. 5. ei, qui casu fortuito proximum interfecit, conceditur refugiũ ad asyla constituita, ast v. 12. ei, qui ex malitia vel odio aliũ interficit, idem denegatur, quippe qui per seniores civitatis illius potius indè reduci debet, & pœnæ adjudicari, vide & Exod. 21. v. 13. & 14. Undè illæ leges, quæ præcisè personarum habent respectum, & nobilibus impunitatis spem faciunt, iniquæ judicantur, quod nunquam conquietura sit Respubl. ab eorum criminibus, dum istâ spe quidvis perpetrantes posteà impunitatem ex lege sibi promittent, ceu de ll. Polonorum Sigismundus in comi-

comitiis Petrocovienſibus anno 1523. inficiari non potuit, ex levitate ſupplicij, quo caſtigantur homicidia nobilium, nec quenquam ferè in templis, ne dum domibus, tutum eſſe. 3. *ab objecto juſtitiæ diſtributivæ*, quod eſt publicum quid, & inter cives, ut tales, diſtribuendum, quale quid non eſt pœna infligenda, juxta th. 37. Unde etiam ad juſtitiam diſtributivam propriè non pertinet, ſed commutativam, adeoq; Arithmeticâ proportionē requirit, quippè quæ in commutativa reſpicitur. (*II.*) *Indirecto per deductionem ad abſurdum* ex mente illorum, qui proportionem Geometricam præciſè in pœnarum inflictione urgent, h. m. *Si in pœnarum inflictione neceſſariò obſervanda eſt Geometrica proportio, tunc quò major eſt dignitas civis ſeu perſonæ in republ. eò major & acrior etiam erit pœna: Atqui verum eſt prius juxta contrariæ ſententiæ patronos. E. & poſterius* quod tamen ijs, qui Geometricam proportionem urgent, falſum & erroneum, dum pro eodem delicto nobilem & liberum mitius, ignobilem & ſervum acriùs puniri volunt. *Concluſione* autem *exiſtente illis falſa, falſa erit vel Major, vel Minor. Non Major*, ceu patet ex Natura Geometricæ proportionis, quippè quæ pro inæqualitate perſonarum ſeu dignitatis civium in Republ. inæquales etiam requirit res diſtribuendas, ita ut qui Major eſt majorem ferat rem diſtribuendam; qui minor minorem. (2)

XLIII. Hæc hac vice de ardua illa controverſiâ pro Scholaſticorum opinione adducere volui, quia *Ethici & Philoſophi Practici propriè eſt in genere diſputare, quid in Moralibus & civilibus ſit proportio Geometrica, quid Arithmetica; ad quam item Juſtitiam pertineat actus puniendi* injuriam, & vindicandi ſcelera. Undè ſi hactenus diſcuſſa non fuerint ad palatum cujusvis lectoris, veniam huic meo conamini ipſe dabit, qui hæc veritatis indagandæ amore ex Ariſtotele, Scholaſticis & aliis adducere volui, veritati tamen, & modeſtè de vero lapſu in quibusdam informanti, lubens cedam. Quid interim de Geometrica proportione in pœnarum inflictione Judicandum, ex dictis cuivis benevolo lectori patebit.

XLIV. Diſtributio enodat modos ſpecialiores redigendi 3. Diſtributio.

inæquale commissum ad æqualitatem Arithmeticam ratione di-
1. *versæ materiæ saltem*, nam *in Commutationibus. I. Voluntariis,*
respicitur nuda rei compensatio justa, qua quis cum altero ita
commutat, ut neuter eorum lucrum & damnum percipiat,
in commutatione rerum *tum* æqualium, *tum* inæqualium, vide
2. Donat. Acciajol. 5. Eth. c. 4. *II. Involuntariis* seu *Invitis respi-*
citur damnum pariter & offensa, ita ut lucrum aut damnum, quod
aderat, tollatur, quæ sublatio declarari solet similitudine aliquæ
desumptæ à linea, in duas partes inæquales divisa; Ut enim linea
h. m. inæqualiter divisa ad æqualitatem redigitur, *vel* detra-
hendo uni parti, & apponendo alteri; *vel* uni detrahendo
solum & simpliciter, quantum deest alteri; ita etiam hîc
in Commutativa Justitia ad æqualitatem Arithmeticam per-
venitur, si *vel* ei, qui lucratus est demitur, quantum satis est,
& additur alteri, qui damnum cepit; *vel* demitur uni simpli-
citer tantum, quantum is demsit alteri. *Undè* & pro rerum
(1) ipsarum varietate, *lucri*, quod aderat, *sublatio esse potest.*
1. Mixta, quæ miscetur quasi ex demptione & appositione, dum de-
trahitur uni parti, scilicet quæ lucrata est, & plus justo habet;
& apponitur alteri, scilicet quæ damnum cepit, & justo minus
habet, v. g. cum quis furto alteri rem possessam aufert, is qui
aufert plus habet, quàm habere eum par erat, is cui aufertur,
minus. Ut ergò res illa ad æqualitatem redigatur, Judex de-
trahet furi quantum is alteri abstulit, & apponet ei idipsum,
cui ablatum est; Imò non id tantum, sed duplum juxta Solo-
NB. nem, qui Draconis severitatem capitalem ad dupli pœnam
reduxit *Plutarch. in Solon.* vel quadruplum juxta Jus divinum
Exod. 22. v. 1. quia fur præter damnum, quod dedit, offendit
(2) *tum* proximum *tum* rempub. unde & pœna illa ipsi imponitur,
ut eo pacto & alij ab hoc delicto absterreantur. 2. *Nuda & sim-*
plex, quæ fit solâ & nudâ demptione, dum saltem uni tantũ demi-
tur, quantum is demsit alteri, ceu patet exemplo cædis volun-
tariæ, à privato factæ extra moderamen inculpatæ tutelæ. In
hoc enim casu lucrum est penes homicidam, qui animo & iræ
suæ morem gerens voluptatem indè capit; damnum penes oc-
cisum, qui sui interemptione rei charissimæ jacturam facit,
ut itaq; inæqualitas hæc corrigatur, & ad æqualitatem redi-
gatur

gatur, homicidæ ſolùm vita eripitur, quam ipſe alteri eripuerat, ut hoc pacto æqua utriusq; ſit conditio, quoniam læſi intereſt, ut delictum hoc puniatur. *Non poteſt* autem *correctio illius inæqualitatis fieri, niſi ſola demptione vitæ, tum* quia nulla alia vitæ æſtimatio eſſe poteſt propter defectum æquivalentis; *tum* quia nulla appoſitio fieri poteſt, propter totalem deſtructionem læſi, quippe cui, ut mortuo, nihil tunc poteſt propriè apponi, ut recipiat.

4. Rerum Commutandarũ æſtimatio, *de qua*.

XLV. Æſtimatio rerum hîc eſt, quando quis id in commutationibus recipit, quod ratione æſtimationis ex uſu aut indigentia æquivalens eſt ei, quod alteri dedit, ita ut non habeat de quo juſtè conqueratur, licet numero, magnitudine aut etiam ſpecie idem non recipiat. *De hac Æſtimatione commutativa* hic breviter *notetur. I. Adjuncta neceſsitas*, quia ſine hujuſmodi æſtimatione res diverſæ æquari inter ſe nequeunt, adeoq; nec permutari, cum ſolus uſus, ſeu utilitas & indigentia ea, quæ natura ſua & quoad ſpeciem maximè diſcrepant, æqualia reddat, ſeu ad æqualitatem redigat. *II. Fundamentum*, ex quo æſtimatio illa propriè deſumitur atq; deducitur, *quod* h. l. *eſt rei commutandæ perfectio* (*I.*) *Non naturalis & Phyſica*, quæ conſiſtit in rerum commutandarum magnitudine, numero, qualitate aut eſſentiæ nobilitate. *Hæc hîc n. non attenditur, ceu patet 1. de quantitate*, quæ in commutatione frumenti & vini non attenditur, dum œnopolæ pro amphora vini agricola dat tres modios frumenti *2. de Eſſentiæ nobilitate atq; dignitate*, quæ ſimiliter in æſtimatione hac commutativa non neceſſariò attenditur teſtante Auguſtino, qui l. 11. de civit: Dei c. 16. ait. Quis enim non domi ſuæ panem habere quam mures, nummos quam pulices malit. Sed quid mirum cum in ipſorum etiam hominum æſtimatione, quorum certè natura tantæ eſt dignitatis: plerumq; carius comparetur equus, quàm ſervus, gemma quàm famula. (*II*) *Sed Moralis & Practica*, quæ æſtimatur ex rei commutandæ utilitate, uſu & indigentia in vita humana, *vel* vera, *vel* putativa, ſeu ex hominum opinione ſaltem, ita ut hic tantò majoris vel minoris res eſſe putetur, quantò ea magis ad vitam neceſſaria aut utilis, *vel* vere eſt, *vel* certè eſſe creditur. Niſi enim utilitas & indigentia eſſet,

1. *Adjuncta neceſsitas.*

2. *Fundamentum.*

I.

2.

nulla certè esset permutatio, quia ubi neuter indiget, permutatio non fit. Hinc res quælibet tantò precioſior cenſetur, quantò magis eâ homines indigent, & quantò magis neceſſarium præſtat uſum, quia autem diverſæ terræ diverſa proferunt, indigentia illa & uſus rerum in diverſis populis commutationes & contractus induxit. *III. Norma & Menſura communis æſtimationis Commutativa, quæ eſt Numus, qui* (non ex natura ſua, ſed) *ex inſtituto hominum vel omnium, vel ſaltem maximæ partis conſtituitur menſura, rebus permutandis precium imponens*, ita ut numus medius ſit inter res diverſas permutandas, v. g. ſi permutandæ ſint lectica & domus, permutari jam non poterunt, niſi menſurentur communi menſura, qua imponitur precium eis, quæ hic eſt numus: ſi jam dicemus, quod lectica valeat 30. taleros, domus vero 180. ſexies ſumenda erit lectica, ut ſit æqualis domui, quia ſex lecticæ adæquant domum, atq; hoc pacto res menſurari dicitur numo. Quarè ex inſtituto hominum numus hoc modo ipſe medius cadit inter res menſurandas propter indigentiam, quia numus precium rebus iſtis imponit. vide Acciajol. 5. Eth. c. 5. p. 390. & ſeq.

3. Norma.

Undè *de Numo* hîc breviter *notetur (I) Finis*, ob quem inventus & introductus eſt numus, *qui* hoc loco *eſt facilior & compendioſior ratio permutationis*, ita *ut Numus ſit Inſtrumentum commutationum & commerciorum inter cives Reipub. 1. Unius & ejusdem*, & tunc, quatenus cum aliis hujusmodi cives non habent commercia, quandoq; inſtituto & arbitrio unius gentis aut regionis certi & peculiares numi introducuntur, quod probat Clariſſ. Horn. Eth. l. 3. c. 13. n. 17. Exemplò Tartarorum, qui monetam faciunt de papyro forma quadrata, cui Regis ſeu Imperatoris ſignum imprimitur, ut teſtari dicitur Haythonius hiſt. orient. c. 2. vel de cortice mori arboris, ut tradit Paulus Venetus l. 2. c. 21. Hic Numus (quo ab exteris nihil aliàs ement) Tartaris ideò ſufficere à nonnullis dicitur, quod tam latè pateant eorum terræ, ut abundè omnia, quæ ad vitæ ſuſtentationem requiruntur, ſuppeditent, nec niſi pauca fortè ab aliis gentibus, eaq; nudâ permutatione accipiant. Simile quid contingit *in numis ſuccedaneis*, qui nonnunquam in obſidionibus vel aliâ urgente neceſſitate ex aliis metallis vel rebus cuſi traduntur,

ii.

duntur, quippè qui eo fine cuduntur, ut fidejubeant pro Magiſtratu, donec melior rerum facies redeat, & veri numi ſuppetant: Undè cives iſtius imperij merces pro iis dare non detrectant. Exempla gratia brevitatis vide apud Gregor. Tholozanum de republ. l. 3. c. 6. ſ. 26. 27. 2. *Diverſæ præcipuè*, cum hîc maxime ſpectetur Commutatio, quæ nobis intercedit cum longè diſſitis, ceu patet ex rerum indigentia & varietate, dum plurimæ provinciæ non tam amplæ ſint, ut ipſæ ſibi ſufficiant. *In hujusmodi* autem *permutatione numus debet conſtare arbitrio & conſenſu hominũ vel* omnium *vel* plerorumq; & quidem eorũ quibus cum commercia nobis intercedunt, v. g. ſi Germanus quiſpiam nihil planè poſsit devehere in Poloniam emendarũ rerum causâ, quæ in Poloniâ copiosè proveniunt, neceſſe eſt numum eò devehat, qui communi conſenſu & arbitrio illorũ conſtet. Hinc *Numus eſt inſtrumentum permutationis tum præſentis tùm futuræ*, quippè cujus quaſi ſponſor quidam eſt. *(II) Affectio, quæ* potiſſimum 1. *conſtantia & ſtabilitas*, ſecundum quam numus ſtabile quid eſſe debet per ſe, quantum fieri poteſt, quia eſt norma & menſura omnis æſtimationis rerum, & cunctorum commerciorum: *Omnis autem menſura, ut talis, debet eſſe conſtans, certa & ſtabilis*, quia alias & ipſum menſuratum eſſet inſtabile & incertum Hinc quia Numus eſt norma omnis æſtimationis, & ſic conſequenter fundamentum omnium contractuum, certè ipſo ejuſq; valore antiquo ſublato ipſi contractus ſtabiles remanere nequeunt. 2. *Definita quantitas & pondus. 3 ſigni genuini impreſſio.* vide Ariſt. Pol. l. 1. c. 6.

2. (1)

(2) (3)

XLVI. *Ex hiſce* diſcuſsis jam facile *patet, quid ſentiendum ſit de talione, quæ duplex* aliàs ſtatuitur. *I. Simplex*, qua quis ſimpliciter id repatitur, quod alreri fecit. Dicitur hæc *Pythagorica* aliàs, quia Pytagoreis ab Ariſtot: adſcribitur, 5. Eth. c. mihi 8. quod non ſine cauſa Philoſophum feciſſe veriſimile videtur, licet alias nonnulli iniquiorem Pythagoreis Ariſtotelem fuiſſe cenſeant. *Hæc* autem *ſimplex talio abſolutè admitti nequit in Juſtitia. (I.) Diſtributiva*, quippe quæ maximè perſonarum reſpectum in civibus attendit, undè in diſtributione propriè non datur hoc pro illo. *(II.) Communitiva*, & quidem *quoad commutationes 1. voluntarias.* Non enim

Quid ſentiendũ de Talione.

(1) *Simplici.*

1.

2. (1.)

enim venditor id recipere cupit simpliciter & absolutè, quod alteri dedit, sed id recipere vult, quod respondeat bonitati ejus rei, quam emtori ille tradidit, v.g. si agricola frumentum dat sutori, ab eo non idem recipere cupit, sed æquivalens, vid: calceum, qui simpliciter idem non est cum frumento, sed tanti tamen, si æstimas, quanti frumentum, quod dedit; quin & permutationes ideò instituuntur, ut id quisq; accipiat ab alio, quo ipse indiget, cum civitas ex diversorum generum artificibus & civibus constet. (2.) *2. Involuntarias & Invitas.* quia multum interest, an sponte quis quid fecerit, an invitus; Neq; qui Invitus & imprudens alterum percussit, simpliciter parimodo ab invito repercuti debet. *2. Proportionali.* *II. Proportionalis & Analogica*, quæ adhibetur cum proportione, ita ut reddatur idem, non quod simpliciter, sed quod ratione æstimationis tale est. *NB.* Hæc in justitia commutativa locum habet, quia delictum & pœna, precium & res Emta, proportionaliter adæquari debent, ita ut æqualitas illa petatur, non ex rerum permutandarum natura subjecta & quantitate Physica, sed ex proportionata æstimatione, unde idem patitur quis quod fecit, si idem dicatur, quod ratione æstimationis tale est, licet aliàs ratione naturæ subjectæ dissimile sit.

(II.) *RESPECTIVA, in qua justitia confertur cum opposito. I. Suo directè.* *XLVII.* Sequitur jam *Respectiva Justitiæ Particularis Consideratio, in qua ipsa confertur cum opposito. I. Suo directè, quod* est *injustitia Particularis, quæ est vitium violans Mediocritatem, in rerum externarum distributione & commutatione: In hac* definitivâ *Enunciatione notetur (I.) Subjectum, quod* est *injustitia particularis, estq; illa unum saltem extremum secundùm rem,* non duplex, ut in reliquarum virtutum oppositis aliàs cõtingebat. vide th. 8. *(II.) Prædicatum, quod constat conceptu t. Latiori, qui* est *vitium,* quia injustitia est habitus, qui una & alterâ actione non gignitur. Hinc Arist. 5 Eth. Nicom. c. mihi 10. negat eum, qui injustè agit, continuò esse injustum, dum ait: Etenim fieri potest, ut quispiam coeat cum muliere sciens cũ quâ coeat, non tamen ex electionis principio, sed ex affectu id faceret; qui sanè injustè quidem agit, non tamen est injustus. Undè *à Scholasticis quæstio* ulterius *movetur, an quis injusta & injuriam facere possit, qui tamen illicò injustus non sit?* cujus

1. 2. (1.)

quæ-

quæstionis decisio ut eò accuratius instituatur, notetur, quod *aliquis denominari possit injustus dupliciter.* (1.) *Habitualiter*, h.e. *ex habitu*, videl. quando quis ex habituali malitia & proæresi injusta agit, adeoq; animi quodam morbo & incurabili malitia. Hoc modo Enunciationem suam intelligit Aristoteles, quia *doctrina Ethica accuratè distinguere debet inter nudos actus*, quando quis semel saltem sciens volensq; injuriam facit, *& inter habitus*, quando quis ex electione & habitu injusta agit, adeoq; injustitiæ perpetuò est deditus; qui enim hoc modo injusta agit, is κατ' ἐξοχὴν injustus dicitur. Hinc patet cur injustitia vitium dicatur. (2.) *Actualiter*, h.e. *ex uno vel altero actu saltem*, quando quis semel vel bis sciens & volens injuriã fecit. Hoc modo Ludovic: Molina de Just. & jur. to. 1. t. 1. disp. 10. eum, qui sciens & volens injustè agit, & injuriam facit, injustum vocat. quia in ejusmodi actu verè est ratio injustè facti, adeoq; injuriæ, perinde atq; si idem actus ex electione, malitia atq; ex habitu eliceretur, unde & hic actus est peccaminosus, & pœnâ dignus. Hinc civilis doctrina in locutionibus suis non ubiq; subtilem illam Aristotelis distinctionem observat; sed iis utitur modis, qui à populari sermone non multum recedunt. Ob quam causam cæterorum vitiorum nomina iis tribuuntur, qui actus istorum scientes & volentes perpetrant, licet ex prava dispositione, non habituali malitia, peccent. v.g. fur dicitur, quisquis furatur, adulter, quisquis adulterium committit: quem loquendi modum alij contra Aristotelem observant. *2. Strictiori, qui desumitur* (1.) *ab Inæqualitate*, qua Mediocritas violatur (2.) *ab objecto*, videl. re externa. (3.) *ab actibus specialioribus*, in quibus illa inæqualitas cernitur: videl. à distributione & commutatione, undè & injustitia alia dicitur Distributiva, alia Commutativa, quæ ratione materialis sui subdividi potest in furtum, homicidiũ, adulterium, &c. *II. Juris & Justi, seu Juste facti, cui opponitur injuste factum, & injuria*, quæ in proprie dicta significatione à Scholasticis *definitur factũ injustũ, quo quis sciens & sponte quenquam lædit, ita ut id fiat contra voluntatẽ læsi, seu ejus qui læditur. Unde ad injuriam proprie dictam*, & formaliter sumptam, *duo à Scholasticis requiruntur 1. ex parte lædentis seu inferentis*, Notitia & vo-

(2.)

II. Juste facti, & consequẽter juris, 1.

& voluntas, h. e. ut sciens & volens seu sponte alium lædat, *quia nullus committit injuste factū, nisi id volens committat, saltem imputativè*, quatenus in potestate sua habuit illud vitare, quod quia non fecit, ut voluntarium ipsi imputatur, si quis sciens lædit alterum sive ira sive alio affectu commotus id faciat, injuriā fecisse dicitur, habetur n. hic maximè ratio spontanei, perindè ac in justè factis. vide dis. 4.

2. 2. *Ex parte læsi seu recipientis, Renitentia seu noluntas*, h. e. ut fiat contra voluntatem ejus, qui læditur. Nam si quis sponte suo jure cedit, certè volenti & consentienti omninò, h. e. absq; ullo involuntario admixto nulla fieri potest injuria in eo, quod sic volens patitur. Hinc si quis spontè & plenariā voluntate plus tribuat alteri, quàm quo dignus est, sibi verò minus relinquat, nocet hic quidem sibi, ast injuriam non facit, cum velit ita facere. Ex quo simul *patet* veritas enunciati: *Volenti* (scil. omninò seu ex omni parte) *non fit injuria.*

(1) *Ratio* desumitur (1) *ex passionis & receptionis moralis conditione*, quippè quæ fit cum recipientis renitentia & resistentia. Ut enim in moralibus id quis agere dicitur, quod ipse vult fieri; ita pati illud dicitur,

(2) quod ipso fit renitente & non volente. (2) *Ex juris sui dimissione.* Nam quando quis quid fieri omninò vult, & planè ut fiat consentit, eo ipso jure suo cedit, ut contra id tum agi non possit. Hinc *patet*, quod illi, qui sponte se ipsos mutilant, aut manus ultrò sibi

NB. inferunt, non sibi ipsis injuriam faciant, sed *partim* Deo, cujus injussu è vitā nemini exire licet; *partim* reipubl. quippè cui eripit membrum civile, seu civem utilem, cujus jure & ille cedere non poterat, undè merito legibus civilibus constituta est pœna manum sibi inferentibus. vide disp. 7. cor. 1. Ea ratione & Molina dis. 11. putat justissimè puniri, qui eos interficiunt, qui precibus interfici postulant. Nam licet hi interfecti volentes & consentientes occumbant, tamen mors illorum redundat in injuriam uxoris, liberorum & aliorum, quorum jure cedere ille non poterat. Undè adducit *exemplum Davidis*, occidi jubentis Amalekitam, qui Saulem ab eo id efflagitantem interfecerat. 2. Samuel. 1.

XLVIII. *Dixi notanter* superius, *Volenti omninò non fit injuria*, quoniam injuriam pati potest ille, qui habet involuntarium mixtum, hoc est, qui aliquid voluit, sed coactus & sub certā conditione.

DEO SIT LAUS ET GLORIA.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0368
DFG

COLLEGII PRACTICI GENERALIS
seu ETHICI
DISPUTATIO UNDECIMA
De

LEGIBUS.

Quam
Auspicio Sacrosanctæ Trinitatis,
ET
Consensu Amplissimi Senatus Philosophorum
In
Incluta ad VARNUM Academia,
Sub Præsidio
M. JOHANNIS ELERI
Rigâ-Livoni,
Publicè defendendam suscipiet
ARNOLDUS von Holten/
Dantisc. Borussus.
In Acroaterio Majori die 22. Decembris,
horis à 7. matutinis.

Chrysost: hom. 36. de virtut. & vitiis. Ut in Cythara non satis est in uno tantum nervo concentum efficere, sed universi percutiendi sunt numerosè & decenter: Sic & in animi virtute non satis est ad salutem lex una, sed universæ summa cum diligentia conservandæ sunt.

Multi legem habent, sed tanquam gladium in vagina reconditum, cujus aciem patiuntur hebescere.

ROSTOCHI
Ex officina Typographica JOACHIMI PEDANI, *Aº.* 1627

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0369
DFG

THESIS 1.

EX disput. 10. thes. 13. claret, *LEGES in collatione cum Justitia duplicem potißimùm obtinere respectum I. Productivum, quat.* vid. Jus & *Lex invenienda à Justitia*, tanquam causa sua, *producitur*, & ex habitu illo deducitur, ita ut nisi Legislatores justitiam & æquitatem spectâssent, justas leges ritè ferre non potuissent, quia antequam leges ferantur, de rationibus earum disputandum & consultandum est. Rationes autem Legum juxta Cic. 1. de ll. desumendæ sunt ex intimâ Philosophiâ, h. e. ex disciplina Civili & Morali juxta alios, quippe quæ ex Justitia leges derivat, vide Clariss. Arniss. doct. Pol. l. 1. c. 17. pag. 331. *II. Directivum, quatenus Lex instar causæ exemplaris & normæ directivæ dirigit. 1. Judices*, ut secundum jus & leges præscriptas definiant, causasq; dicant. *2. Subditos*, quibus lex Legislatoris voluntatem aperit, quosq; in officio retinet. Hinc in Politicis per Legem, tanquam per Instrumentum, Majestas subditos gubernare dicitur. Ob hunc duplicem usum, ut & alios (vide disp 10. th. 13.) Philosophi Practici in Ethicis agere solent de Prudentia Legislatoria, quippe quæ naturam juris & legis in genere exactè explicat, eamq; ex fonte, unde speciales leges omnes profluunt, derivat. Hæc & causa fuit, cur quidam Commilitonum naturam legis ut explicarem in præsenti disp. à me expetierint, cujus petiti ipsos ex sortes pro tenuitate mea reddere nolui, cum ulteriori notitiæ Philosophiæ Practicæ enodatio illa inserviat.

DE LEGIBUS hic notetur.

II. Cum autem Tractatio de legibus ad plures pertineat disciplinas, utpote Theologiam, Jurisprudentiam & Philosophiam Practicam, *duo hîc de ll. considerari poterunt. I. Præcognitio sedis*, quâ præcognoscitur, cur & ubi in Ethicis

seu Philosophiâ Practicâ agi debeat de legibus. *II. Ipsa Tractatio*, qua ipsa natura legis explicatur.

I. Sedis PRÆCOGNITIO.

III. *In Præcognitione sedis notetur* vulgata *distinctio inter Objecti considerati I. Materiale*, quod est ipsa res considerata, quæ communis esse potest multis distinctis disciplinis, unde & materiale Objecti dicitur, quod instar materiæ diversis disciplinis subjaceat, earumq; tractationem recipiat. Sic aurum consideratur communiter & à Physico, ratione suæ quidditatis & naturæ, vid. quæ habeat principia naturalia, quales item affectiones Physicas; & à Medico, ratione medicæ operationis, qualem vid. usum obtineat in profligandis morbis; & ab aurifabro, ratione artificiosæ operationis, qualem vid. aptè recipere possit formam artificialem, an coronæ, annuli, poculi, &c. Non enim ex quolibet fit quodlibet.

I.

II. Simile judicium de homine vide disp. 3. th. 2. *II. Formale*, quod est specialior ille considerandi modus, cuiq; disciplinæ proprius, qui Objecti Formale inde dicitur, quod instar formæ rem consideratam, quæ aliàs in se erat communis, restringit ad certam disciplinam. Sic licet Lex communiter in diversis disciplinis consideretur materialiter, tamen ipsum Formale est diversum, hoc est modus ille considerandi specialior, quippe qui ubiq; variat, dum lex aliter in Theologia, aliter in Jurisprudentia, aliter in Philosophia Practica consideratur.

NB.

1. *Pertinet* enim *Lex (I.) ad Theologum*, quoad specialiorem considerationem legis veteris Mosaicæ, continentis præcepta *tum* Moralia, *tum* Ceremonialia, *tum* Judicialia. Addunt nonnulli legis æternæ considerationem. Verum de hisce omnibus Theologos consule, quippe ad quorum cathedram

2. illa spectant. *(II.) Ad JCTUM, quoad nudam interpretationem dextram legis civilis jam datæ & latæ, & quidem in certa ac determinata Republica*, hoc est, quatenus JCTUS solum Jus Civile jam latum, seu quod certa Respublica sibi jam constituit, nudè interpretari debet, ostendendo hoc *aut* legibus, *aut* rescripto Principis cautum esse, & quidem *vel* quoad expressam literam, quatenus expresse sic scriptum illic invenitur, *vel* quoad certam & legitimam deductionem, quatenus ex iis,

quæ

quæ scripta sunt, per bonam & evidentem consequentiam hoc deduci potest. Hinc JCTI, ut talis, munus est leges jam positas & conditas dextrè saltem interpretari, & casibus quotidiè obvenientibus appositè accommodare, ut ex iis controversiæ civium ritè dirimantur. Unde JCTI, quà talis, est respondere de legis datæ (non æquitate, sed) sensu. *Ratio nuda hujus interpretationis hæc datur, quod Jurisprudentia, in se præcisè considerata, pertineat ad nullam aliam Prudentiæ speciem, quam Judiciariam,* cujus munus est leges jam datas rectè interpretari, vide Arist. 6. Eth. Nicom. c. 8. Nam rationem legi assignare, aut ex ratione legem ferre, ad Legislatoriam pertinet prudentiam, non Judiciariam. Hinc quando JCTUS in causarum immediatarum penetralia ascendit, legislatorium habitum induere dicitur, quia JCTI, ut talis, non est disputare, an lex ritè lata sit, aut inquirere rationes eorū, quæ constituuntur, ne multa certa subvertantur l. Et ideò 21. ff. de ll. Imò si lex dura est, sufficere ei tamen debet, quod ita sit scripta: vide plura apud Clarisse. Arnisæ. Polit. l. 2. s. 3. n. 18. & Hornei. Eth. l. 4. c. 3. n. 8. (*III.*) *Ad Philosophum Practicum etiam, qui non unius Reipublicæ jura perpendit, sed altiùs nonnihil rem orditur, & LEGEM adhuc dupliciter considerat. 1. Generaliter & præcisè, absq; determinatione ad certam Reipubl. formam,* adeoq; quoad generalem naturam legum omnium, earumq; species & primam originem aut derivationem, quà ostenditur, quomodo ll. civiles in legem naturæ, quantum fieri potest, reducantur, & hæc rursus in legem divinam. Hoc modo ETHICUS Legem considerare dicitur, dum enodat, quid & quotuplex in universum Lex atq; jus sit, item quomodo leges civiles in legem naturæ, quoad fieri potest. reducantur, & hæc in legem divinam. Hinc ETHICUS dicitur aperire fontes, unde jura omnia & leges promanant, quò & recurrendum est, quoties in enodatione specialioris juris positivi hæretur. Subnectitur autem in Ethicis tractationi Justitiæ tractatio legis & juris propter mutuum respectum, quem ad se invicem juxta th. 1. habent. *2. Specialiter, & determinatè magis, cum determinatione ad certam Reipubl. formam*

NB. 3. (1.) (2.)

nam, quatenus videlicet examinatur, quæ leges huic illive Reipublicæ formæ sint salutares, quæ itidem noxiæ: Aliam enim gubernationem requirit Monarchia, aliam Aristocratia, aliam Democratia, unde & diversæ poscuntur leges. Hoc specialiori modo leges considerat Politicus, quia ut solo Politices habitu Respubl. constituuntur, ita ipsius solius est dispicere, quæ leges cuiq; rerumpublicarum formæ aptæ sint, quæ itidem ineptæ. *Potest* autem hoc modo *Politicus in certa ac determinata Reipublicæ forma considerare leges tripliciter*, vid. *quoad earundem* (1.) *Inventionem & introductionem*, dum studiosè leges inter se confert, & ex iis, quæ huic illive Reipublicæ formæ sint salutares, deligit atq; aptat. unde & harum legum rationes attendit. (2.) *Conservationem*, dum docet, quantâ curâ lex semel lata in certa Republica sit conservanda, ne *vel* legum autoritati derogetur, *vel* res sit mali exempli, ita ut litigantibus occasio præbeatur legis, quæ ipsis obstat, abrogationem petendi. (3.) *Abrogationem*, dum docet, quanta cautione legem, quæ iniquior, abrogare conveniat, vide Aristot. 2. Polit. c. 8.

II. Ipsa TRACTATIO GENERALIOR, quæ

IV. Ex hisce jam patet, qua ratione circa Legem, licet ad diversas disciplinas pertineat, peculiariter tamen versetur Ethica, unde & hîc fusius de ll. agere constitui.

V. Sequitur *ipsa Tractatio Legis*, quæ duplex constitui potest. *I. Generalior*, qua LEX generaliter seu in genere consideratur, secundum ea, quæ speciebus ejus (videlicet legi divinæ & humanæ) sunt communia. *II. Specialior magis*, quâ enodantur species Legis seu Juris, secundum ea, quæ cuique speciei peculiariter competunt. De hac Specialiori Tractatione in peculiari agam disputatione de Prudentia.

V I. *Generalior Tractatio* adhuc *duplex* esse potest. *I. Nominalis*, seu secundum nomen & vocem. *II. Realis*, seu secundum rem, pro quâ vox legis supponitur atq; accipitur.

(I.) NOMINALIS in qua. I. Notatio.

V II. *Nominalis* Consideratio hîc sit potissimùm *duplex*. *I. Notatio. II. Æquivocatio.*

V III. *Notatio*, in quâ vocis Legis *tum* origo, *tum* impo-

si-

positionis ratio enodatur, *diversa recensetur à diversis autoribus, dum deducitur I. à Ligando*, secundum Thomam. 1. 2 qv. 90. ar. 1. aliosq; , eò, quod subditos ad sui observationem liget, id est obliget & astringat *vel* ad obedientiam, *vel* ad pœnam. *II. à Legendo, & quidem dupliciter. 1. Passivè*, quod contingere potest adhuc dupliciter, videlicet *ratione (1.) Inventionis* juxta Piccolom. grad. 10. c. 23. eò, quod ex multis, quæ fieri possunt, consultatione & consensione aliqua lecta sit. (2.) *Promulgationis*, juxta Isidorum lib. 5. Etym. c. 3. eò, quod lex scripto proferri promulgarive soleat, ut ab omnibus legatur. Ex hac notatione Ludov. Molina de just. & jur. tr. 5. tom. 6. dis. 71. n. 1. putat nonnullos hanc sententiam promsisse, quà statuitur de ratione & substantia Legis esse, ut sit scripta, quam opinionem refutatam vide d. l. 2. *Activè*, quia Lex legit seu deligit quid agendum & omittendum sit. Hæc Ciceroni adscribitur, dum 1. de ll. ait: Eamq; rem illi Græco putant nomine à suum cuiq; tribuendo appellatam (ἀπὸ τῦ νέμειν) ego nostro à legendo. Nam ut illi (Græci scil.) æquitatis, sic nos (Latini videlicet) delectus vim in lege ponimus, & proprium tamen utrumq; legis est. *Hanc Ciceronis Etymologiam sibi perplacere ait Sotus* lib. 1. de just. & jur. q. 1. art. 1. concl. 1. *cui Lex idem, quod legendi seu eligendi regula atq; norma, dum Lex delectum monstrat rerum agendarum & omittendarum*, adeoq; præscribit quid sit eligendum aut faciendum. Eadem Ciceronis notatio arridet & aliis (1.) ob Tullij antiquitatem & peritiam latinæ linguæ. (2.) ob literarum cognationem & convenientiam, quà Lex cum legẽdo conspirat. Cum autem verisimile non judicent Latinos vocabulum hoc suo idiomate corrupisse, hanc notationem præferunt derivationi Thomæ. De hac notationum varietate vide & Rever. atq; Excell. Dn. D. Meisnerum p. m. de legibus l. 1. q. 1. p. 5. seq. cum Philosophiæ Practicæ studiosus potiùs realia, quàm nominalia attendat.

I.

II.

I.

(1.)

(2.)

2.

NB.

IX *De Æquivocatione notetur, quod LEX* quandoq; *sumatur. I. Pro ORDINE universaliori*, quo tota rerũ universitas à causa prima seu conditore atque conservatore regitur, quiq; res etiam

II. Æquivocatio.

I.

iam inanimatas cõcernit. Hoc sensu Lex sæpè accipitur apud Poëtas, quos gratia brevitatis vide apud Clarif. Horn. Eth. l. 4. c. 3 p. 581. seq. & alios. Hæc significatio huc non pertinet, quia non respicit civilem prudentiam atq; Philosophiam moralẽ.

II. *II. Pro REGULA & norma actionum*, præscribente quid agendum aut omittendum sit. *Hoc modo*, quantum ad nostrum institutum, *Lex adhuc potissimum supponi seu sumi solet.*

(I.) *I. Juridicè, quatenus LEX*, apud JCTOS specialiter sumpta, *contradistinguitur plebiscito*, *Senatusconsulto*, *Prætoris edicto*, *Principis placito atq; Prudentum responso*, ut §. 3. 4. instit. de jure nat. gent. & civ. & tunc Lex, hoc specialiori modo sumpta, est quod populus Romanus senatorio Magistratu interrogante (velut Consule) constituebat. Hæc significatio ob nimiam angustiam huc non spectat, quia hîc de legibus in genere agimus.

(II.) *II. Philosophicè magis, quatenus LEX moribus & consuetudini contradistinguitur*, notatque decretum actuum moralium, sufficienter sancitum & promulgatum, unde nonnunquam JUS scriptum vocatur, non tam respiciendo ad scripturam seu literam pictam, quàm ad sufficientem sanctionem, consuetudini oppositam. *Hoc modo*

(I.) *LEX adhuc sumi potest dupliciter.* (I.) *Generaliter, cum præcisione & abstractione à præscripto justo vel injusto*, hoc est, quat. notat omnem regulam seu præceptum imperans vel prohibens aliquid in vita, sive justè simpliciter id fiat, sive injustè.

NB. *Hanc significationem huc quadrare nonnulli asserunt, quia hîc de lege* (non specialiter saltem, prout notat tantum legem *vel* divinam, *vel* naturalem; sed) *generaliter seu in universum agitur, ad essentiam autem legis, ut talis*, seu in genere sumptæ, *non requiri dicunt, ut sit bona vel justa simpliciter.* Nam licet nec lex divina, nec naturalis, nec alia rectè lata injusta sit, tamen legi humanæ secundum ipsos non repugnat, ut quandoque sit iniqua quodammodò & secundum quid. *Dicunt consultò* ad essentiam Legis, quâ talis, non requiri, ut sit bona & justa simpliciter, quia *bonum & justum, quod juri consentit, duplex statuitur. 1. Simplex, quod simpliciter tale est, adeoq; absolutè expedit & pium atq; honestum est. Hanc bonitatem ad*

1. *essen-*

essentiam legis, quà talis, non requiri, ita ut lex non desinat esse lex, si hanc bonitatem non respiciat; adeoq; non repugnare naturæ legis humanæ, ut hac bonitate careat, *probant Clariss. Arnisæus* doct. Polit. l. 1. c. 17. & *Horneius* Ethic. l. 4. c. 3. n. 11. *quorum argumenta præcipua colligere lubet, quæ deducta sunt* (1.) *à testimonio Arist.* asserentis, non omnes leges ad bonum publicum simpliciter referri, dum 5. Ethic. c. 3. ait: *Leges autem de omnibus præscribunt, quæ spectant vel communem omnium utilitatem, vel optimorum, vel principum, idq; vel secundum virtutem, vel secundum aliquem alium modum talem.* Idem 3. Polit. c. 11. expressè docet, leges oportere ad speciem Reipublicæ esse accommodatas, ita ut alias requirant bonæ rerump. formæ, alias malæ. (2.) *ab exemplis* legum iniquarum, & quæ postea correctæ sunt, quas gratiâ brevitatis vide apud Clariss. Arnis. d. l. p. 329. (3.) *à pari*, hoc modo: *De essentia Reipublicæ non est, ut sit simpliciter bona, seu ad bonum publicum simpliciter referatur. E. neq; de essentia legis est, ut sit simpliciter bona, aut ad bonum publicum simpliciter referatur. Antecedens* patet, quia bonitas & vitiositas saltem sunt accidentia Reipublicæ, quæ non constituunt ejus essentiam, quippe quæ prior est bonitate & vitiositate, & ab iis abstracta. Unde & definitio Reipublicæ ab Aristotele 3. Polit. c. 6. tradita, (quod sit ordinatio civitatis & circa Magistratus alios, & maximè circa id, quod summam in civitate habet autoritatem) competere potest Reipublicæ & malæ, videlicet tyrannidi, Oligarchiæ &c. & bonæ, ut regno vel alij alicui. *Sequela* patet ex Canone Logico: *De paribus idem est judicium.* Esse autem in hoc casu hæc paria, vid. Rempublicam & leges, ex eo manifestum est, quod utrumq; sit inventum propter bonum publicum. Unde propter paritatem rationis Clariss. Arnis. doct. Polit. l. 1. c. 7. ex Arist. 3 Pol. c. 11. ordinem mutat, & ex essentia legum Reipublicæ essentiam explicat, quod quemadmodum essentia legis per bonitatem non constituitur, sic neq; Reipublicæ. (4.) *à conditione subditi seu civis directi à lege, qui potest esse verus & bonus secundum quid,* scilicet bonus civis, ut tamen non sit bonus simpliciter, seu

(1.) (2.) (3.) (4.)

vir bonus. Hinc ita: *Civis potest esse verus & bonus secundum quid*, scilicet bonus civis, *ut tamen non sit bonus simpliciter* seu vir bonus. *Ergo & lex humana etiam potest esse vera & bona secundum quid, ut tamen non sit simpliciter bona & justa.* *Antecedens* patet ex Aristotele 3. Pol. c. 3. unde civis bonus in tyrannide is dicitur, qui oppressâ libertate ad unius dominatum & libidinem omnia transfert, & iniquis legibus obedit, quod tamen non est veræ virtutis moralis. *Sequelam* inde deducunt, quod leges dirigant cives, ita ut ab illarum obedientia hi boni denominentur. Si itaq; in Mala Republica cives obedientes denominantur boni, sed secundum
2. quid saltem, tales erunt & leges in illa. 2. *Determinatum, quod ex hypothesi saltem tale est, seu expedit pro conditione hujus aut illius Reipublicæ.* Nam aliæ ll. aliis gentibus placent, nec omnia omnibus apparent justa. Hanc bonitatem leges humanæ, quæ priori simplici bonitate destituuntur, poscunt, cum omnia legitima sint quodammodo justa, juxta *Aristot.* 5. Ethic. Nicom. c. 3. qui & *fundamentum istius distinctionis inter justum simplex & determinatum, seu secundum quid, suggessisse videtur*, quando distinguit (1). inter civem bonum & virum bonum 3. Pol. c. 3. de quo alibi fusius. (2). inter optimũ seu optimatem simpliciter, & ex hypothesi hujus vel illius Reipublicæ dum 4. Polit. 7. ait: Quæ ab optimis viris simpliciter per virtutem est gubernatio reipublicæ, & non ad suppositionem quandam bonorum virorum, eam solum justum est bonam appellari, in sola enim ista simpliciter idem est vir bonus & civis; in aliis autem boni sunt ad speciem gubernandi suam. Ubi tamen nota determinatam hanc legis humanæ bonitatem respicere (non quæ adversantur Deo & naturæ, sed) quæ Gellio lib. 2. c. 7. vocantur μέσα, vide thes. 15. (II.) *Specialiter, cum determinatione ad regulam tantùm rectam*, hoc est, quatenus notat præscriptum, imperans ea quæ justa & bona sunt simpliciter, atq; ex bono publico. Hoc modo Plato 5. de ll. & Cicero in libb. de ll. passim, ut & alij, vocem legis accipiunt. Quia autem prior acceptio *tum* Aristotelis sententiæ, *tum* ipsius Legis generali naturæ, de

quâ

NB. (1.) (2.) NB. (II.)

quà hic tamen agitur, magis conformis videtur, illam & hîc retinere jam lubet, licet non inficias eam, *Legem convenire bonæ, seu rectè latæ, & malæ, seu iniquiori aliquantum*, (non univocè seu æqualiter, sed) *analogicè*, ita ut lex magis respiciat illam, quæ bona est simpliciter & rectè lata ob bonum publicum, quàm alteram, quæ non æquè justa. NB.

X. *In Reali considerationè notetur I. Definitio. II. Essentiale requisitum completivum. III. Adjunctum seu Affectio. IV. Actus seu Officia. V. Causa. VI Subjectum.* (II.) REALIS, in quâ.

XI. *Definitio* hæc esto: *LEX est decretum, ab eo, penes quem legislatoria est potestas, sufficienter sancitum atq; promulgatum, obligans ut secundum illud vivatur, ceu expedit vel simpliciter, prout pium & honestum est, vel determinatè, prout conducibile est huic saltem aut illi Reipublicæ.* Hæc Definitio *resolvi potest in conceptum duplicem. I. Latiorem, qui* est *Decretum, quod* hoc loco *sumitur. (I.) Non Specialiter*, prout in homine notat sententiam decretoriam, prolatam post antegressam deliberationem, quæ multiplicem importat imperfectionem 1. sententiarum varietatem & pluralitatem. 2. earundem successionem. 3. animum primò dubium, seu dependentiam dubij à notiori, quippe ex quo dubium illud colligitur, addita ratione, cur unum alteri præferendum. Hoc modo decretum in Deum non cadit ob multiplicem imperfectionem insinuatam. *(II.) Sed Generaliter*, prout simpliciter notat sententiam latam seu præceptum rei faciendæ, *& tunc in Legislatore respicit actum. 1. Intellectus*, quatenus ipse Legislator prudenter judicare debet, quid expediat suæ Reipublicæ seu Subditis. Cum enim Lex sit regula à Legislatore præscripta, ut juxta illam vivatur, certè intellectus ejus propriè ostendet quid fieri debeat ac utile sit, adeoq; conducibile ad finem, quem Legislator propositum habet. *Hunc actum intellectus* in legislatore *solent Scholastici circumscribere* hac enunciatione: *Judico expediens esse Reipublicæ, ut hæc regula servetur à subditis. 2. Voluntatis*, quatenus in Legislatore notat actum volendi & jubendi, ut regula præscripta à subditis servetur. Cum enim LEX non solum tanquam regula

I. Definitio. quæ resolvatur in conceptum. I. Latiorē. I. NB. 2. (1.) (2.)

gula ostendere debet, quid agendum aut omittendum, sed & obligare subditos ad voluntatis conformationem, hoc est, ut suam voluntatem conforment voluntati Legislatoris, certè actus voluntatis requiritur, quo Legislator legitimè velit & imperet, ut regulæ præscriptæ servatio, seu conformatio illa voluntatis, à subditis fiat. *Hunc actum voluntatis* in Legislatore *Scholastici circumscribere* hac enunciatione *solent*: *Volo & jubeo, ut hæc regula præscripta à subditis servetur*, vide Becanum Theol. Scholast. par. 2. tom. 1. tr. 3. cap. 1. q. 1. thes. 6.

NB. *Importat* itaq: *Decretum* ad condendam legem *in Legislatore actum* duplicem, videlicet *& Intellectus*, quatenus prudenter præscribere & proponere debet regulam moralem, intellectus autem propriè est ostendere quid honestum & conducibile sit, *& Voluntatis*, quatenus per jussum & imperium ad regulæ præscriptæ observationem obligare debet subditos, quod ex subsequentibus fusiùs eluceſcet.

II. Strictiorẽ desũtum 1. ab efficiente. 2. ab essentiali requisito. *II. Strictiorem & Specificum magis, qui desumitur 1. à causa efficiente legis*, quæ est is, penes quem legislatoria potestas est, vid. potestas *tum* Jurisdictionis, *tum* coactionis seu coactiva. vide th. 26. *2. ab essentiali requisito completivo*, vid. sufficiente sanctione & promulgatione seu intimatione præceptiva, quæ juxta Ludovic. Molinam de just. & jur. tom. 6. tr. 5. disp. 70. n. 1. est quippiam legis completivum, quatenus complet vim seu virtutem legis ad subditos obligandum. vide thes. 12.

3. ab officio *3. ab officio seu actu primario legis* vid. *obligatione*; ut secundum illam vivatur, vide thes. 26. unde Lex contradistinguitur consiliis, cohortationibus & dehortationibus, quia hæc omnia non obligant, nec necessitatem ullam imponunt ei, cui suggeruntur & præscribuntur, quam vim obligatoriam & coactivam aliàs Lex obtinet.

4. à fine. *4. à fine*, vid. expedientia *vel* absoluta *vel* determinata, prout huic aut illi saltem Reipublicæ expedit.

II. Essentiale *requisitum Completivum, ut* XII. *Essentiale requisitum Completivum legis*, (quod ad rationem & essentiam legis requiritur, tanquam completivum virtutis legis ad subditos obligandum) *est sufficiens & legitima sanctio atq; promulgatio, seu intimatio præceptiva subditis*

ditis facta. Ratio, quia antequam id ipsum illis per modum præcepti sufficienter intimetur, *nec* ipsos obligat, *nec* rationem adhuc præcepti ipsis jam facti, legisve ipsis jam latæ, ritè habet. Unde hujusmodi promulgatio Ludovico Molinæ d. l. non est solum conditio, sine qua lex non obligat, sicut applicatio ignis ad stupam est conditio, sine qua vis ignis naturalis, quam jam ignis ante eam applicationem integram in se habet, stupam non inflammat; sed est quippiam legis completivum, requisitum ad integram & completam rationem legis, ita ut de essentia legis promulgationem esse doceat Thomas 1. 2. q. 90. ar. 4. quia suo concursu rationem & essentiam legis complet; dum Lex, nisi sit sufficienter promulgata, exercere nequit officium suum legale, hoc est, non potest dirigere & obligare subditos. Nam per sufficientem sanctionem & promulgationem vis cogendi & obligandi tribuitur legi ab eo, penes quem potestas hæc est, unde & omnē suam vim mutuatur. Hinc *Scholastici* censent legem DEI æternam, quà æternam, etiam quoad præcepta juris naturalis, non obtinere rationem legis propriè dictæ respectu creaturæ intelligentis, ut illam astringeret & obligaret, quia ab æterno nulli fuerunt subditi, quibus promulgari potuit. LEX autem propriè dicta nunquam perfectam & completā suam rationem obtinet, nisi à Legislatore imponatur subditis cum imperio, & intimatione requisita. vide Ludov. Molinam de just. & jur. tom. 6. tr. 5. dis. 46. n. 30. & Becanum Theol. Scholast. par. 2. tom. 1. tr. 3. c. 2. q. 4. *Sumitur* autem *hìc Promulgatio I. Non Strictè,* ut apud Romanos, quippe apud quos olim legem promulgare erat, eam publicè proponere integro trinūdino seu diebus viginti septem, antequā perferretur, ceu ex scriptoribus constat. Hæc hoc loco non intelligitur, quia Lex alio modo notificari & præcipi potest. *II. Sed Latiùs, quatenus notat & indicat quamvis præceptionem seu intimationem, quà Legislator potest sufficienter suam voluntatem patefacere, & subditos obligare.* Hæc necessariò requiritur propter notitiam & directionem subditorum, qui cum per legem obligari debent, ut suam voluntatem conforment

Intimatio seu Promulgatio sufficiens, sumta.

NB.

NB.

I. Non Strictè.

II. Sed Latè, & tūc statuì potest.

NB.

voluntati Legislatoris, hoc præstare nequeunt, nisi ipsis reveletur & manifestetur, quæ sit voluntas Legislatoris, quod fit per sufficientem promulgationem. *Hæc* autem *Promulgatio* pro ipsarum legum diversitate *diversa statuitur*, dum alius modus competit legi naturali, alius positivæ, tam divinæ quàm humanæ. *Hinc Promulgatio*, in suâ latitudine considerata, statui potest *duplex: I. Interna & Analogica seu impropria magis*, quæ fit per naturalem impressionem seu inscriptionem, unde non videtur sustinere externæ, seu in rigore dictæ, promulgationis atq; specialioris patefactionis rigorem. Hoc modo Deus legem naturalem censetur promulgâsse, dum per naturale lumen rationis nostræ, à Deo naturæ nostræ impressum & inditum, nobis revelat, ea esse facienda, quæ ita sunt recta & naturæ nostræ rationali consentanea, ut eorum neglectus sit deformis, & naturæ repugnans; & contrà ea esse vitanda, quæ facere turpe sit, & naturæ rationali minimè congruunt, vide Gregorium de Valentia disp. 7. q. 4. punct 1. *II. Externa & Propria magis*, quæ fit per externam præscriptionem seu præceptionem, factam externo aliquo signo, quo manifestatur voluntas Legislatoris. *Hæc* Externa Promulgatio *considerari potest ratione Legis* (*I.*) *Divinæ*, *cujus promulgatio institui potest per præscriptionem* seu externam præceptionem. *1. Solemnem*, quæ fit cum solemnitate, ceu patet de lege Mosaica, Exod 20. *2. Non solemnem seu sine solemnitate.* Hoc modo Christus multa dicitur mandâsse Apostolis per externam locutionem sine ulla solemnitate. De Divinæ legis promulgatione consule Theologos, qui te uberiùs de eâ erudient. (*II.*) *Humanæ*, quæ fertur & promulgatur ab eo, qui potestatem legislatoriam in aliqua Republica habet.

(*I.*) *Interna, & impropria magis.*

(*II.*) *Externa & Propria magis.*

I.

1.

2.

II.

XIII. Et tunc ex mente Scholasticorum aliorumque Promulgatio legis humanæ in civilibus ad sui integritatem & complementum quoad obligandum subditos (hoc est, ut subditos possit ritè obligare) requirit. *I. Notificationem externam, seu manifestationem per aliquod signum externum*, quo Legislator suam voluntatem proponat & manifestet subditis

(*I.*)

tis, quia aliàs subditi cognoscere nequeunt voluntatem sui Principis, & secundum eam dirigere suas actiones, & consequenter extra culpam forent, cum ignorantiam, quæ in nostra potestate non est, excusari putet Donatus Acciaiol. ad 3. Ethic. c. 1. *Hæc legalis notificatio seu manifestatio externa considerari potest dupliciter.* (1.) *ratione Objecti*, hoc est, ejus, quem lex illa cum reatu pœnæ obligare debet, *& tunc Notificatio seu manifestatio illa statuitur universalis*, quâ Lex ex se omnibus intimari debet sufficienter, quos actu ipso constringere cupit, quia aliàs non sufficiens adesset obligatio, & consequenter reatus pœnæ. Hinc *Scholastici* negant, aliquem obligari lege, antequam illam sciat vel scire possit, etiamsi fuerit in curia prælecta & proposita, quia hoc modo omnibus, quibus manifestari debuit, non sufficienter innotescere potuit. Hinc statuunt Legem Imperatoriam non obligare Saxones, nisi iis promulgetur & sufficienter manifestetur, quamvis prælecta & proposita aliàs sit in curia. Idem, propter rationis paritatem, vide contra Pontificios de legibus Papæ apud Rev. & Excell. Dn. D. Meisnerum 3. par. Philos. sobriæ. l. 2. c. 4. q. 2. pag. 1084. *Intelligitur hæc Universalis Manifestatio hîc 1. Generaliter ratione ipsius communitatis*, quando vid. ipsi communitati obligandæ sufficienter proponitur, dum coram plurimis istius communitatis membris lex illa ita fertur & manifestatur, ut inde singulis istius innotescere possit, eoq; ipso omnes, de ea communitate obligandos, astringat. Hæc ne cessaria & sufficiens statuitur, quia sufficiens medium & modum cognoscendi voluntatem Legislatoris præbet, ut se ei subditi conforment, unde & singulorum comparatione habet vim legis, ipsos astringentem, quia omnibus eo ipso est jam lata. 2. *Non Individualiter necessariò, ratione singulorum inviduorum actu cognoscentium & percipientium legis promulgationem*, ita ut promulgatio legis fiat coram singulis istius communitatis, ejusq; notitia ad singulos deveniat. Hæc Invidualis Intimatio & Manifestatio, quæ fit coram singulis, non est necessaria, tam quoad primam promulgationem, hoc est, quando primò promulgatur Lex, tunc enim non ne-

(1.)

NB.

(2.)

cessa-

ceſſariò coram ſingulis, ut fiat, requiritur; quàm quoad ſucceſſivam propalationem, quâ poſtea ordine quodam per eos, qui promulgationi aderant, ad alios, & ſic ſucceſſivè ad omnes notitia legis promulgatæ deveniat. *Ratio* eſt, quia lex quando priori modo communitati per ſignum externum ſufficienter manifeſtatur, eo ipſo omnes iſtius communitatis, quos obligare cupit, adſtringit, niſi ipſe Legislator actualem ejus legis obligationem ſuſpendat, ut non adſtringat, niſi poſt certum tempus. Unde ſi quis hanc intimationem aut notificationem ignoret, in foro exteriori ſeu coram Magiſtratu non excuſatur, quia illic legis ſufficienter promulgatæ & receptæ ignorantia niſi craſſa aut ſupina non præſumitur, nec facilè contrarium doceri poteſt, vide Ludov. Molinam de juſt. & jur. tom. 6. tr. 5. diſ. 71. n. 10. (*II.*) *ratione ſigni externi*, quo lex illa manifeſtatur & intimatur, quod ſufficiens debet eſſe ad repræſentandum & notificandum ſubditis voluntatem Legislatoris, quia aliàs ſubditi propter ſigni obſcuritatem & inſufficientiam non poſſent cognoſcere voluntatem Legislatoris, eique ſuam conformare. Hinc jure reprehenditur C. Caligula Imperator, quod cum judicaret vectigalia, ea vel non proponeret, aut ſi legem proponeret, minutiſſimis litteris anguſtiſſimoque loco id fieri curaret, ne cui deſcribendi facultas eſſet. Sueton. in Caligu: *Poteſt* autem *hoc ſignum externum eſſe duplex*, (1.) 1. *Scriptura*, quando Lex ſcripto ſancitur & proponitur. Sic apud Athenienſes leges ſcripto comprehendebantur, ut & leges Romanæ. (2.) 2. *Oralis prolatio*, quando lex voce fertur ac promulgatur Principis autoritate, ut ſervetur. *Ratio* eſt, quia ad ſubditos obligandum ſatis eſt, ſi voce lex ſit lata & promulgata Principis autoritate, licet aliàs apud alios prius ſcribi ſoleat, quàm promulgetur. Sic Lycurgus vetuit leges ſuas ſcripto ſervari, ut melius ſervarentur animo, Plutarch. in Lycurg. Qua de cauſa Tuiſc. German. cantiunculis comprehenſas ſuas ll. in vicis cani voluit. Avent. lib. 1. Chrō. Hoc modo apud nationes barbaras, quæ ſcribere neſciebant, leges ſubditis imponebantur verbotenus, vide plura apud Ludov.

NB.

2.

Ludov. Molinam d. l. n. 10. & Clariſſ. Arniſæum doct. Pol. l. 1. c. 17. Hinc harum nationum leges ob rationem inſinuatam æquè ſunt leges, atq; Athenienſium, quia propter legitimam ſanctionem oralem leges illæ legaliter obligant, & adhuc manifeſtam diſcrepantiam tuentur inter legem & conſuetudinem, de qua alibi Deo auxiliante. *Ex hiſce* jam facilè ſimul *patet, quod Scriptura non ſit de eſſentia legis*, adeoq; de ratione legis in univerſum, quia ſcriptura ſaltem eſt ſignum externum accidentale intimationis legalis, ita ut proinde ſit *ſive* Lex ſcribatur, *ſive* non, vide Ariſt. 10. Ethic. Nicom. cap. 10. edit. Paci. *II. Publicationem ſeu Publicam & ſolemnem divulgationem*, hoc eſt, ut debito ritu ſolemni Lex proponatur & divulgetur, ad ſufficienter obligandum ſubditos. *Ratio* hujus ſolemnitatis, in lege humana requiſitæ, hæc datur à Becano Theol. Scholaſt. par. 2. to. 1. tr. 3 c. 1. q. 4. n. 7. *quod Principes*, qui leges humanas condunt, *duplicem perſonam ſuſtineant. 1. Privatam*, quà aliis pares ſunt, tanquam cives Dei & naturæ, vide theſ. 24. *2. Publicam*, quà aliis ſuperiores. Ut ergò certò conſtet, an ex publica poteſtate, quam habent, quatenus ſuperiores ſunt & imperantes, velint obligare ſuos, neceſſe ducit, ut aliqua publicâ ſolemni ceremoniâ teſtentur ſe id eà ratione facere. Hinc dicit n. 5. d. l. leges humanas, licet aliàs typis excudantur, & in excuſis exemplaribus habeantur hæc verba: *Publica tali die*, non obtinere vim obligandi, niſi reipſa publicatæ ſint cum debita ſolemnitate. *Contrà* Deus, quia Publicam ſemper ſuſtinet poteſtatem, non indiget hac ceremoniâ & ſolemni ritu, quia inde certò conſtat, divinâ poteſtate ſe velle nos obligare. *III. Receptionem ſeu Acceptationem à ſubditis*, quando vid. Vis obligatoria legis à populi acceptatione, ſeu à non reclamatione illius pendet pro more iſtius Reipublicæ & pro jure, quod ea in re ſibi reſervavit, quod Ludov. Molina de juſt. & jur. tom: 6. tr. 5. diſ. 46 n. 9. declarat exemplo II. Romanarum, ubi & ſtatuit legem hujuſmodi, antequam à populo acceptetur & firmetur, non habere vim obligandi, adeoq; rationem integram Legis. Cujus rationem inter alias Becanus d. l. c. 6. q 8. n. 2. hanc

NB.

NB.

(II.)

NB. 1. 2.

(III.)

NB. præcipuè ſuggerit, quod Principes illi poteſtatem legislatoriam, id eſt, condendi leges, accipiant à communitate, & quidem tantam, quantam communitas illis concedit & dat, quod quum hîc fiat cum reſervatione ſui juris in acceptando legem ſeu non-reclamando, Principes non habent poteſtatem condendi leges, repugnante communitate. *Intelligitur* NB. autem *hîc Receptio ſeu Acceptatio Legis à ſubditis, quoad majorem eorum partem ad minimum*, hoc eſt, ut ad minimum à majore iſtius communitatis parte recipiatur, ſicut communiter docetur, *& tunc illa Acceptatio Legis tripliciter fieri dicitur.* 1. *per conſenſum tacitum*, ut quando Lex divulgata non expreſsè rejicitur à majori parte communitatis, tunc enim regula locum habet: *Qui tacet, conſentire videtur.* 2. *Per conſenſum expreſſum ſcripto vel verbo*, ut quando iſtius communitatis digniores conveniunt, & verbo vel ſcripto declarant, ſibi legem latam placere. 3. *Per Praxin & executionem ipſam*, ut quando major pars Reipublicæ incipit obſervare legem latam & propoſitam, perinde enim eſſe cenſetur, ſuffragio populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis & factis.

III. Adjūctum ſeu Affectio, *quæ.*

XIV. *Adjunctum ſeu Affectio* Legis *ſtatui poteſt quadruplex*; 1. *Neceſſitas.* 2. *Bonitas.* 3. *Vis Activa.* 4. *Interpretatio legitima.* De ſingulis ſeorſim breviter.

I. *Neceſſitas.*

XV. *Neceſſitas Legis patet potiſſimùm ex fine ejus, qui eſt, ut Voluntas Legislatoris cognoſcatur à ſubditis, alioquin extra culpam futuris*, cum ignorantia, quæ in illorum poteſtate non eſt, nec eſſe potuit, excuſet, nec aliis regi, etiam optimi, cives & ſubditi poſſint. Hinc ut homines Dei ſummi Legislatoris voluntatem cognoſcant, eiq; ſe conforment, per naturalem legem eis illam manifeſtavit. Sic & Protoplaſtæ noſtri in ſtatu Paradyſiaco acceperunt legem poſitivam divinã, ut cognoſcerent ipſius Legislatoris voluntatem, eiq; ſe conformarent. Ob eandem rationem in Republica, licet in ea præſupponerentur *tum* probi cives, *tum* prudentiſſimi Magiſtratus, opus eſt legibus, quia aliâ ratione voluntatem Legislatoris cives ritè cognoſcere nequeunt, & conſequenter illi

ſe con-

se conformare, hinc & Arist. 4. Polit. 4. *fine II.* ait. *Rempublicam stare non posse.* Ex hisce patet *error Thomæ Mori*, qui in suâ Utop. pœnas non ex ll. sed arbitrio Judicis infligi voluit. Similiter illam vivendi rationem juvenes Patritij Romani optimam putabant apud Liv. l. 2. c. 3. quod à rege impetrari possit, ubi jus, ubi injuria opus sit. Unde d. l. Leges vocant rem surdam & inexorabilem, melioremq; inopi, quàm potenti, &c. *Verùm huic sententiæ*, præter insinuatum Legis finem, *obstat* 1. *Judicum Prudentium Paucitas extra leges*, quia vid. difficile est reperire tantam multitudinem prudentum & proborum, qui sine legum adjutorio, & subditis præcipiant, quæ oportet, & eos judicent in singulis eventibus, prudenter, attingendo quod æquum & justum est. *Contrà* faciliùs unus vel alter prudens reperitur, qui leges condat, adjutus longâ experientia, atq; ll. in alia Republica latis. 2. *Periculosa Juris conturbatio ex varietate judicum*, dum enim aliud alij justũ videtur, variis multorum judiciis jus conturbatur, & consequenter non omnes subditi eodem utuntur jure, quod maximè detrimentosum Reipublicæ. Hac de causa *Cornelius* trib. pleb. cum videret multitudine edictorum prętoriorum incertum fieri jus, l. tulit ut Prætores ex edictis suis cogerentur judicare, quæ res, ait *Ascon. in Cornel.* gratiam ambitiosis prætoribus, qui variè jus dicere solebant, sustulit, effecitq;, ne ab iis, quæ semel proposita essent, recedere possent. *Dion. l. 36. Contrà* Leges certæ sunt, & magna cum consultatione à Legislatoribus, experientiâ multarum rerum ductis, latæ. Vide plura apud Ludovic. Molinam. disputat. de just. & jur. tom. 6. tr. 5. disput. 68. num. 2. & Clarissim. Arnisæum. doct. Polit. l. 1. cap. 17.

1.

2.

XVI. *Bonitas*, licet non sit de essentia *legis* juxta th. 9. tamen *Affectio* ejus *censetur*, dum Lex non frustrà, sed ob commodum aliquod fertur. Hinc *Lex* non quidvis *præcipit*, sed *quod vel simpliciter honestum & pium est, vel certæ Reipublicæ formæ expediens & utile probabiliter putatur. Constituitur* igitur *Bonitas illa legis duplex. I. Absoluta & simplex*, quæ præcisè expedit & conveniens est, quatenus respicit pietatem & honesta-

II. Bonitas

I.

neſtatem, adeoq; prout Lex ſimpliciter juſtum & honeſtum præcipit. Hanc reſpicere dicitur Lex naturalis, & quæ ex ea

II. deducuntur. *II. Determinata & Reſtricta ad certam Reipublicæ formam*, prout vid. utilis & conducibilis huic aut illæ Reipublicæ, pro hac vel illa conditione & ſtatu, probabiliter putatur. Hoc modo Lex, quæ huic Reipublicæ utilis & ju-

NB. ſta videtur, alteri iniqua & inutilis apparet. Hinc Lex pœnalis apud diverſas gentes non eandem pœnam eidem delicto determinat, ceu patet exemplo furti. *Draco* pro ſolita ſeveritate capite mulctavit etiam minutiſſimos fures, teſte Gellio l. 1. c. 18. quam ſeveritatem, ut iniquiorem, ad dupli pœnam reduxit *Solon*, Plutarch. in Solon. Quadruplo autem furtum mulctavit *Moſes*, Exod. 22. *Nunc* capitaliter punitur furtum, non, quod delictum præcisè tantum ſit, ſed quod aliter in tanta hominum malitia ſua quemq; tuta habere non poſſe probabiliter judicet Legislator, augetur enim meritò à deli-

NB. cto pœna frequente. Unde & Legislator illud ſuæ Reipublicæ ſalutare judicat, quod quam rectiſſimè è republica furtum aliaq; vitia tollit. Sic *Moſes* Deut. 24, 1. pro conditione iſtius gentis conceſſit Judæis libellum repudij, ne ex uxoris retentione majora mala in carnali illo populo ſequerentur, unde & ob duritiem cordis eorum id factum fuiſſe teſtatur Chriſtus Matth. 19, 8. & in aliis rebuspublicis benè conſtitutis hodiè non obſervatur, quia repudium & hujuſmodi alia ſæpe pro conditione certæ Reipublicæ ignoſcuntur & permittuntur, non autem præcipiuntur. Quod verò ignoſcitur & non directè præcipitur, non ſtatim ſine vitio eſt. vide th. 25. Sic & multarum legum in XII. tabb. duritiem accuſat Phavorinus apud Gellium. l. 20. c. 1. quas tamen magna cura, antequam in civitatem pro jure reciperentur, à Viris

NB. prudentibus latas eſſe teſtantur alij. Sæpè enim lex, quæ in initio bona fuit, poſtea mutato ſtatu Reipublicæ iniquior videtur. *Unde patet poſſe legem aliquam poſitivam eſſe duriorem*

1. *& iniquiorem 1. in diverſis Rebus publicis* propter diverſam for-

2. mam. *2. in eadem* ſed mutata & in novum ſtatum traducta. Ubi tamen *notes velim, quod hæc determinata & Reſtricta Boni-*

tas

tas legis positivæ, quoad actum præcipiendi & obligandi, *continere debeat.* (1.) *Non repugnantia directè DEO, Naturæ & absolutæ honestati*, hoc est, quæ adversa fronte oppugnant honestatem, pietatem & rationem. Quæ enim rerum naturâ prohibentur, legibus confirmanda & præcipienda non sunt, quia fortiori potiùs potestati, oppositum præcipienti, nimirum Deo & naturæ, tunc obediendum. Quia autem homo vel judex inferior, non tantum suæ civitatis civis est, sed totius mundi & Dei, hisce ll., adversa fronte cum Deo & natura pugnantibus, non tenetur. Quò respicit *illud Augustini*, quod 2. lib. sent. dist. ult. affert Lombardus: Si quis jusserit procurator, num quid faciendum est, Si contrà Procos. jubeat? Rursus si quid ipse Procos. jubeat, & aliud imperator: num quid dubitatur illo contempto huic esse serviendum? Ergò si aliud imperator, aliud jubeat Deus, contempto illo obtemperandum est Deo. Hinc *Ægyptij* Reges nolebant quicquam executioni dari à Magistratibus, quod inhonestum planè putarent, Plutarch. in Apoph. (2.) *Sed μέσα* juxta Gell. l. 2. c. 7. *seu ἀδιάφορα, quæ in medio honestorum & turpium sunt*, hoc est, quæ licet justitiæ & honestati non usq; adeò exactè sint conformia, non tamen eidem directè & adversa fronte repugnant. De hisce diversæ leges apud diversas gentes introducuntur, quoniam non omnia omnibus apparent justa, propter diversam Rerumpublicarum formam & constitutionem. In hisce indifferentibus licet lex quandoq; videatur iniquior & durior, standum tamen est ejus autoritate, quia qui cum lege errat, non peccat, nec pœnam meretur in foro exteriori, quia mandato id facit. An autem in foro interiori seu conscientiæ per legem hanc duriorem & quodammodo iniquiorem sit excusatus, qui illi paret, in peculiari disputatione de CONSCIENTIA Deo auxiliante, agam.

(1.)

NB.

NB.

(2.)

XVII. *Vis Activa legalis*, seu legum in universum, *triplex* à Scholasticis *statuitur I. Ostensiva*, quâ Lex ostendit & monstrat, quid faciendum, quid item omittendum sit. Hanc vim Ostensivam leges etiam, prout à Philosophis in scholis præscribuntur, obtinere dicuntur, quia tunc docent, non obligant,

III. Vis Activa, quæ I. Ostensiva.

2. Obligatoria.
3. Coactiva.

ligant. *II. Obligatoria*, quà Lex, homines in ſuis actibus dirigens, eos obligat ad obedientiam, ut id faciant, aut omittãt, niſi peccare velint. *III. Coërcitiva ſeu Coactiva*, quà pœnam ſtatuit & interminatur, eamq; à delinquentibus exigit: quam quoq; vim in lege requirit & Ariſtoteles 10. Ethic. Nicom. c. mihi 10. *Poteſt* autem *illa Interminatio pœnæ eſſe duplex.* 1.

1. *Generalis*, quà pœna delinquenti, & legem violanti, ſtatuitur ſaltem generaliter, quod vid. pœnâ ſit dignus, ita ut non exprimatur qualis in ſpecie ipſi pœna ſit expectanda. Hoc modo Lex naturalis in pluribus pœnam tranſgreſſoribus interminatur, quæ poſtea ſpecialiùs in executione & lege poſitiva determinatur. Unde, *hîc nota*, licet natura legis de ſe non requirat, ut ſemper & neceſſariò ſpecialior pœna tranſgreſſoribus in ea conſtituatur, ſufficere tamen, ſi repeti ea poſſit ab iis rigore & vi coactiva legis, vide Greg. de Valent. diſ. 7. q 2. pun. 2.

2. *2. Specialis*, quâ pœna ſpecialior delinquenti ſtatuitur & determinatur. Hæc Specialior determinatio pœnalis in lege *poſitiva* plerumq; datur, V.G. Lex naturalis generaliter docet *furtum* eſſe rem per ſe malam, adeoq; puniendam, aſt quà pœnâ ſpecialiori præcipuè coërceri debeat, ut, quantum fieri poteſt, è medio tollatur, non ipſa, ſed lex poſitiva addit, & quidem diverſimodè pro diverſitate populorum & Rerumpublicarum vide th. 15. Sic Specialior pœna determinatur filio immorigero & contumaci, vid. Lapidatio, Deut. 21, 18. ſeq. An autem Lex pœnalis reum delinquentem ſpecialiter obligare & ritè cogere poſſit ad infligendam ſibiipſi pœnam *vel* jugulationis & ſuſpendij, *vel* potionis venenatæ, cum propria hujusmodi pœnæ inflictio importare videatur genus quoddam inhumanitatis & crudelitatis, in peculiari quadam diſputatione de POENIS Deo auxiliante de hac quæſtione agam, ne præſens diſputatio excreſcat.

IV. Interpretatio, de qva notetur.
NB.

XVIII. *Interpretatio Legis Suppletiva & Correctiva*, hîc eſt accommoda legis ſcriptæ & ſancitæ explicatio atque applicatio ad caſus ſpecialiores quotidiè emergentes, ſecundum intentionem & ſententiam Legislatoris in iis, in quibus præ-

præcisa observatio literalis impingit & deficit. Huc pertinet Aristotelis ἐπιείκεια seu Æquitas, de quâ 5. Ethic. Nicom. c. mihi 14. *De hac* Suppletiva & Correctiva interpretatione *hîc* breviter *notari potest. 1. Materia. 2. Modus. 3. Efficiens. 4. Oppositum.*

XIX. *Materia est* res, quæ ritè explicari & accommodari debet, estq; *hoc loco Lex scripta & sancita, à quâ Æquitas seu Suppletiva & Correctiva interpretatio*, corrigens literalem rigorem *legis*, *differt (non toto genere*, cum sit laudabile quippiam, & in iisdem versetur, in quibus Jus & Justitia, *sed saltem) tanquam moderamen, exceptio & appendix juris*, explicãs ejus sententiam uberiùs, ne præcisa observatio literalis contra mentem & voluntatem Legislatoris impingat in utilitatẽ publicam. Ob quam rationem Aristoteles d. l. *Æquitatem & dextram correctionem excellentiùs quid & præstantiùs jure vocat*, vid. quatenus omne emendativum melius censetur eo, quod emendatur & explicatur, ob periculositatem, quæ aliàs ex non emendato propullulat, ob quam & Æquitas stricto juri præfertur. *Debet* autem *Correctiva & Suppletiva hæc Interpretatio seu Æquitas institui, si ipsa legis, adeoq; Legislatoris, sententia est 1. Non eadem præcisè cum verbis præscriptis, seu rigori literali verborum adstricta*, hoc est, si certò constet, Legislatorem, uti verba sonant generaliter vel particulariter, ita velle quoq; legem generaliter vel particulariter intellectam: Tunc enim verba legis, etiamsi dura videantur, sequẽda sunt, & non novus fingendus sensus contra mentem Legislatoris, quia aliàs illa correctio contra Legislatoris sententiam & intentionem erit juris illius potiùs eversio & sublatio, quàm explicatio & accommodatio. *2. Sed Diversa à verbis præscriptis, eorumq; literali rigore*, hoc est, quoties Legislator sensit ac voluit *vel* plus, *vel* minus, quàm verbis expressit, *tunc* enim *requiritur Correctio verborum seu Interpretatio vel Extensiva*; Si verba minus exprimunt, quàm voluit Legislator; *vel Restrictiva*, si plus. *Ratio requisitæ hujus interpretationis Correctivæ desumitur ex requisita proportione signi ad suum signatum.* Cum autem hîc sententia Legislatoris

(I.) *Materia.*

NB.

1.

NB.

2.

toris sit ipsum signatum, adeoq; jus nobis repræsentandum, verba autem saltem sint signa repræsentantia, quæ sententiã Legislatoris nobis, quantum fieri potest, solummodò signẽt & declarent, certè sententiæ Legislatoris, tanquam signato suo, proportionatè correspondere debent, quia aliàs suum signatum ritè non repræsentant & notificant, quippe à quo dissentiunt, quod contra naturam legitimi signi. *Hinc si verba vel excedunt, vel deficiunt, secundum sententiam & intentionem Legislatoris appositè corrigi debent.* Quare Judices prudentem Medicum hic imitari debent. Ut enim peritus Medicus in curatione ægri prudenter pro circumstantiarum cõcurrentium qualitate remedia adhibet, moderamen interdũ apponendo universalibus artis Medicæ præceptis, & deserendo ea, quando viderit nociva fore, neq; in eo eventu, & cum iis circumstantiis illa intelligi posse; Ita & prudens Judex pro qualitate circumstantiarum moralium concurrentium moderamen interdum adhibeat universalibus legum dispositionibus, illasq; corrigat, quando ritè judicaverit, illas in eo eventu, & cum iisdem circumstantiis ex mente atq; intentione ipsius Legislatoris locum non habere.

NB.

(II.) Modus *juxtã quẽ Interpretatio legis est.*

XX. *Modus est, quo Correctiva hæc Interpretatio institui debet, in quo respiciatur* (non ad verba & literam legis simpliciter, quippe quæ corrigi debet, sed) *ad Legislatoris intentionẽ seu voluntatem.* Cum enim Vir prudens in hujusmodi legibus duplices agnoscit propositiones, *alias* scriptas seu verbis Legis disertè expressas; *alias* verò implicitas, & à Legislatore subintellectas, certe in harum interpretatione & suppletione ipsi unicè ad mentem & voluntatem Legislatoris respiciendum erit, quia si alias contra illam suam interpretationẽ institueret, non tam explicaret, quàm everteret ipsius Legislatoris sententiã & mentem, & per consequens ipsum jus seu Legem, quippe per quam Legislator sententiam suam exponere voluit. *Corrector itaq; legis scriptæ, ad mentem Legislatoris respiciens, non facit contra legem & jus, sed potius is solus jus servat & sequitur,* dum id ita explicat, ut si ipse Legislator hodiè interrogaretur, idem de datis casibus specialioribus esset respon-

NB.

respondurus. *Legislatoris* autem *Mens potissimum ex fine & scopo legis datæ cognoscitur*, juxta illud principium: *Omne, quod ad finem aliquem ordinatur, contra illum finem observari non debet.* Ut autem accuratiùs hæc cuncta perpendas, & specialiorem modum hujus Interpretationis advertas, ex supradictis *nota, quod verba legis scriptæ, in se considerata, exprimant vel PLUS*, quàm Legislator sensit atq; voluit, *& tunc requiritur Restrictio*, quà verba legis scriptæ accommodè restringantur & limitentur; *vel MINUS, & tunc requiritur Extensio*, quà verba Juris scripti & dati extenduntur & producuntur ad similes casus, quos Legislatoris verba non disertè exprimunt. Hinc *Legis scriptæ & sancitæ Interpretatio dextra specialior duplex constitui potest. I. RESTRICTIVA, qua generaliora verba Legislatoris, quibus tamen minus, quàm expressit, voluit & sensit, restringuntur & limitantur ad certos casus speciliores. Hoc modo Leges generaliter prolatæ*, etiam Dei quædã, *explicari solent cum tacita exceptione subintellecta summæ & extremæ necessitatis, ceu patet 1. de Lege Sabbathi*, Exod. 20, 8 9. *quæ admittit exceptionem summæ necessitatis in casu* (1.) *Bellico*, exemplo Maccabæorum, qui 1. Macc. 2,41. sui defensionẽ intendebant die Sabbathi, ne eo die ab hostibus iniquè opprimerentur & trucidarentur, ceu contigerat fratribus ipsorum v. 36. (2.) *Medico*, quando Medicus in casu necessitatis ægro valdè decumbenti die Sabbathi succurrit, ad exemplum Christi die Sabbathi plurimos medentis. Matth. 12. 2. *de Lege panum propositionis*, quæ licet Levit. 24, 9. panum illorum comestionem solis sacerdotibus tribuat, & quidem in loco sancto, Davidi tamen in casu necessitatis panes illos porrexit Abimelecus Sacerdos 1. Sam. 21, 7. quo facto Davidis Christus postea discipulos suos spicas die Sabbathi vellentes excusat Matth. 12, 3. de quibus fusius ipsos Theologos consule, quippe ad quorum cathedram horum specialior enodatio pertinet. *3. de lege dominij*, ex mente Hugonis Grotij, qui de jur. bell. & pac. p. 132. & 133 ait, quod si quis in casu summæ & extremæ necessitatis aliunde sumat, quod ad vitam maximè necessarium est, eum furtum proprie non committere.

NB.

(1.) Restrictiva, quæ desumatur.

NB. *Ratio* ab illo desumitur ex reviviscentia q. juris pristini & primitivi in dato casu gravissimæ necessitatis, in quo res illæ, in dominos distinctæ, attenduntur cum benigna quadam receptione juris primitivi & pristini, rebus istis utendi tanquam si communes mansissent, quod ulterius explicatur ex mente eorum, qui primi dominia singularia introduxerunt, quæ creditur talis fuisse, ut quam minimum ab æquitate naturali recesserit. Unde Grot. d. l. putat, si ipsi primi divisores interrogati fuissent, quid ea de re sentirent, ipsos necessitatem gravissimam excepisse, vide Thom. 2. 2. q. 66. ar. 7. & Guinād. Rutgers. Metaph. l. 1. p. mihi 175. Ne autem licentia hæc evagetur, *triplicem cautionem* Grot. d. l. *adhibet, quod* vid. *admitti possit*. (1.) *in necessitate extrema & summa*, ut alia ratione evadi non possit, & si media legitima alia ipse tentārit adeundo *vel* Magistratū, *vel* ipsum Dominum, an rei usus precibus obtineri possit. (2.) *nisi ipse Possessor pari necessitate prematur*, nam in pari causa possidentis melior est conditio. (3.) *quoad nudum usum, & cum intentione restitutionis faciendæ, quia jus illud non est plenum, sed restrictum cum onere restituendi, ubi necessitas cessaret, & restitutio fieri posset.* Sufficit enim hoc jus restrictum ex mente Grotij ad servandam naturalem æquitatem contra dominij rigorem. *Ut* autem *Restrictiva Interpretatio legis generaliter prolatæ ritè instituatur, notetur quod Restrictio illa desumi possit.* (1.) *Ex ipsius Legis explicandæ. 1. Ratione Angustiore ipsis verbis*, hoc est, si ratio legi annexa angustior fuerit ipsis verbis legis, tunc verba restringenda sunt, & accommodā limitatione explicanda. Exemplo nobis hac vice sit lex connubialis Numer. 36, 7. & 8. *Filij Israelis adhærebunt quisq; possessioni tribus paternæ suæ. Ratio* & causa proxima hujus legis est: Ne avertatur possessio in filiis Israēlis à tribu in tribum; quæ ratio legi annexa cum sit angustior ipsis verbis legis generaliter prolatis de filiis Israelis, dum ratio illa de confusione & aversione possessionum à tribu in tribum competere nequit tribui Leviticæ, (quippe cui nulla obtigerat certa terræ possessio, Num. 26, 62. unde & in ea nulla aversio metui potest, cum non entis nullæ affectiones) verba illa legis

NB.

1.
(1.)

gis restringenda erunt ad certas tribus, vid. ad reliquas 12. tribus Politicas, (quippe quas Legislatoris sententia & voluntas in ratione sua annexa respexit,) non ad Leviticam & Ecclesiasticam, quia ad eam legis ratio & causa non pertinet, ad quos autem causa & ratio proxima non spectat, ad illos nec ipsa lex pertinere videtur, quia ratio annexa indicat, cur ad hos lex potiùs spectet, quàm ad alios. Idem judicare poteris de conjugiis cum fœmellis extraneis, quippe quæ extra omnẽ tribum erant. Plura de hac lege si expetis, lege Rev. & Excellentiss. Dn. D. Johan. Tarnovium in exerc. Bibl. p. mihi 34. seqq. qui te uberiùs de ipsa erudiet. 2. *Partibus aliis, quæ* ibidem habentur, & *ipsam legem vel antecedunt vel sequuntur*, dum antecedentia & consequentia se mutuò explicant, ita ut quod in parte una generaliter est definitum, in alia temperatum inveniatur. Cujus exemplum esse potest in lege Christi Matth. 5, 39. Ego autem dico vobis: *Ne obsistite improbo seu injurioso.* Hujus legis verba licet generaliter prolata sint, ut etiam quidam inde intulerint, nullam injuriam *aut* repellendam, *aut* vindicandam esse, *sive* publicè *sive* privatim, restringenda tamen illa esse monstrant partes, *tum* antecedentes, *tum* consequentes, quæ ipsorum verborum generalitatem restringunt & limitant, *ceu patet* (1.) *de Antecedentibus, quæ monstrant Christum legales suas conciones instituisse* (*non absolutè*, ita ut Magistratus etiam alloquatur, sed) *respectivè, in oppositione Judæorum & Pharisæorum*, seu dirigendo eas contra Judæos, Pharisæos & Scribas, quorum *Illi* valdè proni erant ad privatam ultionem, ob quam propendentiam & divina Lex ipsis divortij libertatem indulsit, ut sævitiæ Maritorum in uxores occurreret, unde & Christus ipsos perstringit v. 31. & Matth. 19, 8. *Hi* & legem Exod. 21, 24. ad privatam vindictam probandam detorserant, de quo Theologos consule. *Utrig; Christus hac lege se opposuisse dicitur, & quidem in sensu comparativo*, ut potiùs malo non resistamus, quàm privatam vindictam sequamur, juxta Judæorum propensionẽ, & Scribarum interpretationem. (2.) *de Consequentibus, quæ monstrant Christum potissimum loqui de injuriis levioribus & tolera-*

NB.

(2.)

bilibus, quæ nobis non ità plurimùm sunt incommodaturæ, in quibus non semper rigorosè nobis urgendum jus nostrū, sed cedendum potiùs, ut & patientia & benignitas nostra innotescat, ceu patet ex exemplo à Christo adducto de alapa & de ambulatione. Sic & apud Pacuvium quidam: *Patior facilè injuriam, si est vacua à contumelia.* In atrocioribus autē
NB. injuriis nefas parenti aut tutori non erit, id, sine quo liberi aut pupilli sustentari nequeant, si cogatur apud Judicem defendere, qui enim domesticorum curam non agit, infideli est deterior 1. Tim. 5, 8. *Sensus igitur allegatæ legis esse videtur*, quod privata vindicta sit omittenda, nec in levioribus potissimùm injuriis jus nostrum rigorosè semper urgendum, sed potiùs cedendum ad declarandam nostram patientiam Christianam. Plura si desideras, ipsos Theologos consule, ad quorum cathedram specialior & uberior ejus explicatio pertinet, sufficiat pro instituti ratione hîc modum generalem restringendi Legem exemplo quodam maximè noto explicâsse, quo
2. contentus eris Lector benevole. (*II.*) *Ex alia quadam Lege collatâ vel Priori, vel Posteriori*, quia leges ad se invicem collatæ se mutuò sæpè explicant & restrictionem suggerunt ac suppeditant: Sic Lex naturalis est, *Omne Depositum est reddendum deponenti repetenti.* Cujus Legis verba licet generaliter sint prolata, *restrictionem & exceptionem* tamen *accommodam* illa poscere, *monstrant aliæ leges cum hac collatæ, quarum* 1.
(1.) *Nemo lædendus* v.g. si quis ensem vel alia arma deponeret, & furiosus illa postea reposcceret, quibus acceptis, certum esset ipsum *vel* sibi *vel* alteri nociturum ad perniciem Reipublicæ, certè *posterior Lex (Nemo lædendus)* quæ respicit communem salutem, dictitat arma tunc non esse reddenda, adeoq; *limitat priorem, quod Omne depositum sit reddendum deponenti petenti, scilicet extra periculum interfectionis propriæ vel alienæ, adeoq; perniciei communis*, unde hujus regulæ generalitas ob circum-
(2.) stantiam supervenientem ex altera lege restringi debet. 2. *Magistratui legitimè præcipienti obediendum.* v. g. si quis pecuniam apud me deponeret, & supervenerit judicis legitimum mandatum, ut ei certa de causa non traderetur, tunc adveniente

illa

illa circumstantia præsens regula, ob obedientiam Magistratui debitam, vetat reddere pecuniam depositam ei, qui illam deposuit ac repetit. *Monstrat* itaq; *& hæc Lex primam esse hoc modo restringendam: Omne depositum est reddendum deponenti repetenti, scilicet extra supervenientem legitimam prohibitionem Magistratus.* Unde Depositum reddendum est, nisi aliquis lædatur & Magistratus contemnatur. Sic & Theologi legis Christi generalitatem Matth. 5, 42. *Petenti abs te dato*, restringunt ex alia collata lege Paulina: *Nequaquam vobis sit angustia, ut aliis relaxatio*, dum ait 2. Cor. 8, 13. Nequaquam enim ut aliis sit relaxatio, & vobis angustia: Sed in æquabilitate estote tempore hoc, ut abundantia vestra sit pro penuria illorum; de quo Theologos fusius consule, modum generalem restringendi hîc monstrâsse sufficiat. *(III.) Ex Necessitate urgente.* Sic juris naturalis est: *Non abscinde membrum proprium vel alienum*, sed superveniente casu urgentis necessitatis amputatio vel abscissio membri putridi fit licita, propter ipsius totius, seu hominis, conservationem, unde necessitas urgens generalitatem prioris enunciati restringit. Huc refer exempla de necessitate superiùs allata. *II. EXTENSIVA, quâ strictiora verba Legislatoris, quibus tamen plùs, quàm expressit, voluit & sensit, extenduntur ad casus similes secundum intentionem & sententiam Legislatoris*, ita ut licet Legislator verbis illos non exprimat, reipsa tamen subintellectos voluerit, ut si hodie ille interrogaretur, idem de iis casibus esset responsurus, quod de aliis casibus expressis. *Potest* autem *Extensio illa desumi (I.) Ex ipsius legis explicandæ 1. Ratione Latiore ipsis verbis legis communis*, hoc est, si verba Legis communis de certis quibusdam casibus loquantur, & aliquid dispo nant, ratio autem annexa sit latior, ut comprehendat etiam alios casus, tunc verba Legis videntur ex sententia Legislatoris dilatanda esse & extendenda. *Ratio* istius extensionis desumitur ex Canone Logico: *De Paribus idem judicium*, scilicet ob rationis paritatem. v. g. Si Lex liberis, servis nondum libertate donatis, & fœminis interdicat specialia vota facere absq; consensu Parentis, domini, & Mariti, ob hanc rationem,

3.

(II.) Extensiva, quæ desumatur.

1. (1.)

NB.

quod illæ personæ non sint Sui Juris, sed constringantur autoritate patris, heri & Mariti, qui & vota illa irrita reddere possunt, quo nomine adducitur à nonnullis & Lex Num. 30 v. 13. seqq. Nam *inferior, qua inferior seu Sui Juris non est, obstringere se non potest, nisi quatenus superiori id placiturum sit.* Quia autem ratio hæc Legi annexa latior est ipsis verbis quæ solum votum exprimunt, ex mente Legislatoris non incommodè quis verba illa dilatare, & extendere poterit ad casus similes, vid. *tum* ad jusjurandum, quod vid. illà lege liberi invitis parentibus & juramento de ordine militari vel alio suscipiendo se alteri obligare & obstringere prohibeantur quamdiu sui juris non sunt; *tum* ad matrimonialem contractū, quod & eundem invito patre filiæ inire non liceret, quat. ipsa in Patris potestate tunc est, suiq; jus non habet, unde & illud ad alium transferre nequit. Sic Levit. 18, 14. & c. 20. v. 20. Lege Matrimoniali prohibetur Vir concumbere cum uxore patrui sui, cujus legis ratio cum sit latior, vid. quod illa sit propinqua suæ carnis, verba illius legis ritè extendunt Theologi ad parem casum, vid. ad uxorem avunculi, quippe quæ ex linea cognationis maternæ eodem gradu secundo lineæ collateralis inæqualis Viro isti juncta est, quo uxor patrui ex linea agnationis paternæ, vide Rever. & Excell. Dn. D. Gerhardum, tom. 7. p. 409. seqq. *Dixi notanter superius, ex ratione latiori legis* seu juris *communis desumendam esse extensionem* ad casus similes ob rationis paritatem, quia in jure singulari, licet adsit ratio, quæ in se considerata possit etiam ad alios extendi, tamen quia constituentes propter certam aliquam utilitatem certis saltem in causis & personis illud volunt confirmatum, mihi extendere id non licet, adeoque ex rationis identitate ad similia diducere. Unde & litera Legis premenda. 2. *Partibus aliis*, dum ex partibus antecedentibus vel consequentibus colligitur, verba legis, strictiùs & pressiùs posita, extendenda esse ad similes casus. (II.) *Ex alia lege vel* Priori, *vel* Posteriori, quæ in collatione mutua alteram declarat, ejusq; verba, strictiùs posita dilatanda, & ad similia extendenda esse monstrat. (III.) *Ex casu oppositio*, ita ut

NB.

NB.

(A)

2.

3.

Lex

Lex, quæ expressè & nominatim in re aliquâ quid statuit, intelligatur in opposita seu contraria re contrarium velle. *Hinc* si negativa prohibens expressè ponatur in lege aliqua, affirmativa contrarium præcipiens subintelligenda erit. *Ratio* hæc datur, *quia Legislatoris est non saltem præcipere bona, sed & vetare mala, quia bonum præscriptum ritè præstari nequit, nisi malum oppositum vitetur, ob contrariantem utriusq; naturam*, ob quam in idem simul cadere nequeunt. v. g. Exod. 20. v. 7. prohibetur assumptio nominis divini invanum, unde ex antithesi colligitur, quod Deus subintellectam velit religiosam ac sanctam sui nominis usurpationem. *(IV.) Ex posteriori & consequenti prohibito vel præcepto*, ita ut Lex illa, cujus verba saltem posterius & consequens expressè prohibent vel præcipiunt, intelligatur consequenter prohibere vel præcipere & omnia illa, ex quibus consequens seu posterius illud directè consequitur. *Ratio* est, quia illud posterius seu consequens, quod apertè & expressè prohibetur vel præcipitur, præsupponit & implicat omne antecedens, seu id, ex quo sequitur. *Sic in effectu causa prohiberi intelligitur.* v. g. Qui prohibet expressè homicidium, prohibet & omnia media directa homicidij; qui vetat expressè scortationem, intelligitur vetare & media scortationis. *Vicissim* qui præcipit expressè castitatem, præcipere intelligitur & media istius virtutis. Ex hoc fundamento inter alia Theologi in Decalogi expositione monent, legem, cujus verba exteriores actus pravos expressè prohibent, ex mente Legislatoris extendendam esse ad actus interiores vitiosos, tanquam ad causam & radicem malitiæ, dum ex interioribus pravi actus exteriores fluunt. juxta disp. 4. th. 22. In effectu autem legitimè causa prohibetur, vide ipsos Theologos uberiùs.

XXI. *Efficiens* hujus *interpretationis* statui potest *duplex. I. Principalis*, quæ ritè adhibet istam interpretationem correctivam seu æquitatem, *estq; persona (I.) Publica, ut est 1. Ipse Princeps Reipubl.* in quo facultas illa interpretativa & Correctiva præcipuè residet, quia cujus est condere leges, ejus præcipuè etiam est interpretari, quia Interpretatio instituitur

(III.) Efficiens. 1. Principalis. 1. (1.) NB.

tur ad mentem Legislatoris: *Unde* cuilibet permitti non potest, ut pro lubitu, quid utile, quid inutile sit, statuat, adeoq; præter verba agat quamvis casus emergat, in quo intelligat, legem deficere, & in publicam utilitatem observationem ejus literalem impingere. Deus autem, qui universalem Jurisdictionem obtinet, optimus suæ legis interpres est. 2. *Magistratus* seu is, in quem ab ipso Principe potestas illa derivatur.

((2.)

2.

(II.) *Privata seu subditus etiam quandoq;*, vid. *in casu admodum evidente & periculoso in mora*, h.e. quando evidens est legem quandam humanam in aliquo casu non obligare, & si periculum est in mora, evidensq; necessitas correctivam illam interpretationem urget, tum scholastici censent subdito cōcessum & integrum esse interpretari legem humanam ex æquitate contra verborum legalium rigorem. vide Cajetan. q. 69. art. 6. Greg. de Valent. q. 5. de lege pu. 9. Gabr. Vasquez. dis. 176. c. 3. *Patere* autem *inde dicitur evidentia non-obligationis in lege humana, si observatio literalis legis cedat in detrimentum communitatis.* v. g. sit lex humana, ut tempore obsidionis nemini aperiantur portæ civitatis. Contingit aliquos cives esse ante portas, qui nisi intromittantur, non solùm interficientur ab hoste, sed & reliqui cives, qui in civitate sunt, non poterunt se defendere sine illorum auxilio. In hoc casu certum est legem non obligare, itaq; civis contra legis verba agere, & portas concivibus suis aperire potest. *Similiter* lex vetet mœnia scandi, & scandentem morte multari jubeat, si jam hostis mœnia occupare anniteretur, civis verò adscenderet, ut ea contra vim & insultum illius tueretur, antequam consuleret superiorem propter periculum in mora, certè in hoc casu evidente & periculoso non obligatus nec morte mulctandus videtur, quia non Lex eò condita est, ut qui juvandi causâ ascendit, pro præmio supplicium ferat, licet verba legis, in se nudè considerata, pœnam irrogare aliàs videantur. Unde æquitas declarat, legem in tali casu locum non habere. *Dixi notanter*, subditum posse rigorem verborum legalium corrigere in casu periculoso & evidente, quia in casu dubio, in quo subditus æquè dubius est in utrāq;

NB.

partem

partem, id procedere non videtur, juxta Becan. Theol. Schol. par. 2. to. 1. tr. 3. c. 6. q. 14. n. 6. quia *qui operatur cum dubio Practico, quà tali, manifestè se exponit periculo errandi, adeoq; peccat*, vide disp. 4. thes. 51. unde in hoc casu juxta Scholasticos subdito tutius est recurrere ad superiorem, vel sequi eam partem, cui favent verba legis. *II. Minus principalis seu causa impulsiva, quæ est* (non ipsius legis interpretandæ mala sanctio præcisè, ac si in ipsa lege seu jure ex mente Legislatoris præcisè aliquis esset defectus, sed) *verborum legis scriptæ insufficiens determinatio*, quæ à materia & objectis legũ maximè oriri dicitur, cum enim hæc sint res humanæ, eæq; infinitis modis varient, non potest in humanis tam perfectè de omnibus definiri, præsertim ubi ad particulariora devenitur, quin aliquid non sufficienter determinatum relinquatur. Unde *verborum legalium insufficiens determinatio datur 1. propter Impossibilitatem*, quod humanis legibus casus omnes comprehendi nequeant propter eorum varietatem infinitã aliàs. *2. Propter inconvenientiam seu non-debitum*, quia omnes casus legibus imprimi non debent, si fieri posset, propter vitandam confusionem infinitarum aliàs legum. Undè illa insufficiens determinatio verborum legalium dicitur fieri legislatoribus *vel* volentibus, *vel* invitis.

2. Minus principalis.

1.

2.

XXII. *Oppositum Suppletivæ & Correctivæ hujus interpretationis duplex* statuitur: *I. Ακριβοδικαιον seu summum & strictum Jus*, quod simpliciter & mordicus literam legis tenet, nec ullam benignam interpretationem admittit secundum legislatoris intentionem & mentem, quæ tamen legis anima. Hinc illud tritum: *Summum jus summa sæpè injuria.* Ubi *nota quod hic 1. per Jus intelligatur lex scripta & sancita*, cui, ut moderamen, additur legitima Interpretatio & Æquitas. 2. *Summum intelligatur ratione* (*non dignitatis*, q summæ & optimæ justitiæ contrariaretur æquitas & legitima interpretatio, *sic enim* (1.) *æquitas contineret injustum*, quia oppositorũ opposita sunt consequentia, quod tamen contra th. 18. juxta quàm interpretatio hæc est justa & accommoda explicatio legis scriptæ. (2.) *illud summum jus non posset esse*

(IV.) Oppositum.

1.

(1.)

(2.)

injuria, quippe quæ vitium; *sed) nimia & illegitima coarctationis atq; observationis literalis*, quæ contra legislatoris intentionem legis mentem & sententiam adstringit verbis literarumq; angustiis. *Unde dicitur & strictum Jus*, quod vid. mentem legis nimium adstringat verbis & literali observationi, quod cum fiat contra Legislatoris mentem, rectè dicitur injuria, evertens illud jus, quod per Legislatoris voluntatem & mentem constitutum est. vide & th. 20. Hinc illud Cic. pro Cecinna: Scriptum sequi calumniatoris est, boni autem judicis est voluntatem atq; autoritatem scriptoris tueri & defendere.

2. *II.* Συκοφαντια, quæ est interpretatio callida & malitiosa, deserens quidem literam, sed iniquè mentem legis extendens vel restringens.

III. Actus seu Officia *ratiõe.*

XXIII. *Actus seu Officia Legis considerari possunt* ex mente quorundam Scholasticorum dupliciter, vid. *ratione I, Subditorum. II. Materiæ legalis.*

(I.) Subditorum, *& tũc officium statuitur.*

XXIV. *Ratione Subditorum officium* legis rursus *statui potest duplex, I. Primarium. II. Secundarium.*

I. Primariũ quod est.

XXV. *PRIMARIUM est quod primariò legi propositum est, statuiturq; duplex. I. ILLUMINATIO & DIRECTIO Subditorum per modum objecti cogniti.* Sicut enim exemplar, quod artifex intuetur, ipsum dirigit in suis actionibus imperando seu præcipiendo bona & prohibendo mala. Unde vocatur regula seu norma humanorũ actuũ vel omnium, h.e. tam interiorum quàm exteriorum, ut in lege divina morali, quæ ad utrosq; se extendit; *vel* exteriorum solùm primariò & per se, ut in lege humana, quæ intendit facere civem bonum, qui exteriùs faciat ea, quæ ad pacem Reipublicæ sunt necessaria. *Dico notanter* actum externum primariò & per se in lege humana spectari, quia licet actus internus, qui per externa signa seu opera manifestatur, aliquando videatur cadere sub legem humanam, tamen id fit secundariò ratione externi operis, quod per se præcipitur aut prohibetur in lege humana, de qua alibi fusius agam. Unde patet

NB. legẽ præcipere bona & prohibere mala *vel* simpliciter, *vel* determinatè secundum eam rationẽ, quâ homines legi subjecti

sunt

sunt, quod innotescit ex cujusvis legis intentione. *II. MORALIS OBLIGATIO, quæ fit per morale quoddam debitum, & in eo consistit, ut Subditus teneatur suam voluntatem & actus conformare voluntati Legislatoris, & quidem cum hac interminatione pœnali, ut puniatur contrafaciens.* Ubi *nota quod conformatio voluntatis subditi* ad voluntatem superioris *possit fieri dupliciter*, vid. *ratione I. Objecti Voliti præcisè*, h. e. quando id præcisè vult, quod superior seu Deus vult. *Hæc* conformatio *hîc non intelligitur*, quia potest Subditus velle id, quod ipse superior seu Dominus vult aliàs simpliciter, ut tamen non velit id, ad quod superior ille ipsum vult legaliter obligatum. v. g. 1. Reg. 8, 17. David voluit templum Domino extruere, cujus extructionem & ipse Deus voluit, & ab ipso commendatam dicit Salomo, nec tamen Dominus hoc à Davide fieri voluit. Licet itaq; David in hoc casu ratione voliti præcisè se conformare voluerit voluntati superioris seu Dei, tamen non voluit id, ad quod ipse Deus eum voluit obligatum, ut ab ipso vid. fieret. *Similiter* si pater ob crimen aliquod morti adjudicaretur, filius autem ob στοργὴν, naturæ insitam, patris mortem non optaret, certè filius hac sua pietate optaret, quod Deus aliàs non improbat, cum ipse στοργὴν istam naturæ inseverit, nec tamen legalem Dei voluntatem expetit, quà Deus vult noxium patrem ad supplicium rapi. *II Ipsius Volentis, seu Volitionis specialioris ac determinatæ*, quà Subditus determinatè vult id, quod ipse superior seu Legislator vult eum velle ex legali præceptione vel prohibitione. *Hæc Specialior conformatio*, moraliter debita tanquã Legalis Obligatio, *hîc intelligitur & considerari potest quadrupliciter*, vid. *ratione (I) TEMPORIS*, vid. quando, & quãdiu obligat. *Et tunc Obligationis Tempus consideretur ratione (I.) Inchoationis*, hoc est, quo tempore Lex obligare incipiat, vid. post factam promulgationem sufficientem, quia Lex nõ obligat ante terminum promulgationis, vel antequam ejus promulgatio sciri potuit, cum ad impossibile nulla sit obligatio. *Potest* autem *post factam promulgationem Lex obligare.* (1.) *Statim, seu a puncto Promulgationis*, si præcipuè Legisla-

(II.) *Molis obligatio, quæ hic consideratur ratione.*

1. Nõ objecti voliti præcisè

NB.

2. Sed ipsius volitionis specialioris, *& tunc Obligatio illa consideratur ratiõe.*

1. *Tẽporis.*

1.

(1.)

tor exprimat velle suam Legem statim, seu ex nunc (ut loquitur Molina de just. & jur. tom. 6. tr. 5. dis. 30. n. 5.) obligare. Hoc modo à puncto promulgationis obligabat lex positiva in statu Paradysiaco, Gen. 2, 16. (2.) *Post aliquod intervallum, quando* vid. Legislator vult, ut Lex ipsius non obliget ante lapsum certi temporis à puncto promulgationis illius, tunc enim Lex ante illud tempus elapsum obligare non potest, eò quod Lex majorem vim obligandi non habeat, quam Legislator velit eam habere. Hoc modo multæ ll. humanæ obligant, ceu de Imperatoriis ll. testantur Becanus Theolog. Schol. par. 2. tom. 1. tr. 3. c. 6. q. 7. & Ludov. Molina d. l. n. 7. quod tamen JCTIS dijudicandum relinquo. *(II.) Durationis & Vigoris*, hoc est, quamdiu obligatio duret, vigoremq; suum obtineat, *& tunc Obligatio statuitur duplex: 1. Absoluta & Perpetua quasi*, quæ est quovis tempore. Hujusmodi obligatio datur in præceptis Legis naturæ, præsertim negativis. v. g. Ne pejeres, Deum odias, idola colas, scil. totâ vitâ & omni tempore. 2. *Determinata & Restricta ad certum particulare saltem tempus*, ceu de lege divina *tum* ceremoniali, *tum* judiciali probant Theologi, quos hac de re evolvas velim. Idem judica de legibus humanis. *(II.) MODI*, quo obligare solet Lex hominem, *& tunc Obligatio constitui potest duplex*: (*I*) *Pœnalis*, quâ quis ob culpam seu delictum obligatur ad pœnam, quam interminatur LEX. Hanc Obligationem omnes inducunt leges, ceu patet de lege *tum* naturali, *tum* divina, Gen. 2. v. 17. Exod. 20, 7. *tum* humana & civili, nisi (1) hæc redoleat manifestam impietatem & notoriam inhonestatem, juxta thes. 15. Tunc enim Deo magis obediendum, quàm homini, quippe qui Dei & naturæ civis est. (2) Ignorantia invincibilis excusat, ut enim hæc excusat à culpa, sic & à pœna, quia Obligatio ad pœnam, non oritur nisi ex culpa. vide Ludov. Molin. de just. & jur. tom 6. tr 5. disp. 71. n. 2. seq. Aliàs meritò, pœnam à Magistratu sufferet, qui legibus civilibus repugnat. An autem Lex humana possit obligare cum periculo vitæ, gratiâ brevitatis vide Becanum Theol. Schol. par 2. tom. 1. tr. 3. c. 6. q. 4. (*II.*) *Conscientiosa seu in Conscien-*

(1.)
2.
(1.)
(2.)
2. *Modi & tùc obligatio est*
(1.) *Pœnalis*,
NB.
(2) *Conscientiosa*.

ſcientia, quâ à proprio interno judicio mentis ad legis præ-
ſcriptæ obſervationem homo obſtringitur cum offenſione
Dei, hoc eſt, quâ internum hominis judicium dictitat, ſe, niſi
præſcriptæ legi obtemperet, ipſum Deum offendere, & in
eum quoq; peccare. *Hujusmodi Obligatio Conſcientioſa, ſeu in*
Conſcientia, ſtatuitur duplex. 1. Directa & Immediata, quæ re- 1.
ſpicit prævarications legis præſcriptæ, directè ipſum Deum
lædentem, ejusq; cultui per ſe adverſantem. Hujuſmodi
Obligatio cernitur in iis legibus, quæ directè & per ſe divinũ
cultum reſpiciunt, ut ſunt priora præcepta Decalogi, &c.
2. *Indirecta Magis & Mediata*, quæ reſpicit prævaricationem 2.
legis præſcriptæ, tendentem in ipſum Deum remotè magis
& mediatè, quatenus vid. Deus per conſequentiam quandam NB.
& indirectè læditur in offenſione ſui Vicarij, vid. Principis
mundani, quippe qui, tanquam Dei vicarius, in condendis
legibus utitur autoritate Dei juxta Prov. 8, 15. Rom. 13. v. 4.
Ut autem in Politicis Princeps offendi poteſt, *vel* directè, in
perſona propria; *vel* indirectè, in perſona Legati, quia quod
legato, ut tali, contingit, id per conſequentiam quandam ipſi
Principi factum cenſetur, ceu patet exemplo legatorum Da
vidis, contumelia affectorum ab Hanone, 2. Sam. 10, 1. ſeq.
Sic & Deus offenditur *vel* in ſe, *vel* in ſuo vicario ſeu Magi-
ſtratu. *Hinc & leges humanæ civiles dicuntur mediatè & per*
conſequentiam obligare Subditos in conſcientia, quod probari po-
teſt. (1.) *à teſtimonio Scripturæ ſacræ*, dum Paulus Rom. 13,5. (1.)
ait: Quapropter neceſſe eſt ſubjici, non tantum propter iră,
ſed etiam propter conſcientiam. vide & 1. Pet. 2, 13. Rom. 13, 1.
ſeq. Tit. 3, 1. (2.) *à ratione*, vid. vicariâ dependentiâ, & repræ- (2.)
ſentatione, quâ Princeps in ſuo officio, quo fungitur in his
terris, in condendis ll. utitur autoritate Dei, tanquam ejus
vicarius, repræſentans ipſum Deum in officio conceſſo. Pro-
pter hanc vicariam repræſentationem juris divini eſt, ut ipſi
Principi obtemperemus, licet aliàs lex à Principe rectè lata
ſit juris humani: Nam ea, quæ publicæ ſaluti procurandæ
proponuntur à Magiſtratu civili, tanquam Dei vicario, Deo
ipſi tanquam Supremo Legislatori accepta ferenda ſunt, ita

ut omne præceptum civile, in Republica salutare, ab ipso etiam Deo proficiscatur, & per consequentiam Violator hujus civilis legis peccet in conscientia etiam, seu in ipsum Deum.

NB. Imò lubrico sanè fundamento Principum Majestas niteretur, nisi divina autoritate fulciri statueretur. *Dixi notanter*, legem civilem salutarem, & quæ ipsi Deo accepta ferri potest, obligare in conscientia, quia aliàs lex civilis, redolens manifestam impietatem & inhonestatem, planè non obligat in conscientia, unde servi Saulis impio & iniquo mandato obedire ritè detrectabant 1. Sam. 22, 17. quia tunc Deo, contrarium præcipienti, magis est obediendum, quàm homini, qui Dei & naturæ civis est. Unde & conscientias hominum obligare nequit in illo casu, in quo non utitur autoritate Dei, quippe qui ipsi tunc contrariatur vide plura apud Rever. & Excell. Dn. D. Meisnerum de legibus l. 4. s. 1 q 11. & Jacob. Martini dis. 6. de summo Bono q 7. *Unde Majestas Politici Principis est (non Absoluta, sed) Determinata & Restricta*, ne-

3. *Objecti, quod cõsideretur ratione.* vid. Deo & naturæ contrarietur. *(III.) OBJECTI*, circa quod Lex sua obligatione versatur, seu quod LEX obligare dicitur. *Potest* autem *hoc Objectum considerari dupliciter*, vid.

(1.) *Latitudinis.* *(1. Ratione Latitudinis seu Extensionis*, in quâ enodatur, quousq; & ad quos homines se extendat legis alicujus obligatio, *& tunc Obligatio legis statui solet duplex: 1. Universalis & Generalis*, quâ omnes omninò homines, ratione utentes, seu quibus rationis usus constat, obligantur, nullâ habitâ ætatis aut conditionis ratione. Hoc modo Lex naturalis obligare dicitur, quia illam legem omnium menti naturæ autor seu Deus implantavit, quibus autem à Deo est insculpta illa lex, iis quoq; omnibus erit lata & promulgata, quia aliàs illa inscriptio esset frustranea

NB. Unde neq; Imperatores, à legis naturalis obedientia & subjectione se subtrahere, ejusq; observatione immunes se profiteri ullâ ratione possunt, cum hi æquè sint Dei & naturæ subditi, atq; alius quispiam privatus. Hinc cum Cambyses consiliarios suos rogaret, nunquid jure sororem in matrimonio habere posset, non ausi fuerunt quãtumvis magni adulatores, asserere, sed impiè & absurdè aliã

legem

legem invenerunt: *Jus esse Regi, quicquid placuerit*, testante Herodoto lib. 3. quâ lege postea audacter usi sunt *tum* Artaxerxes, *tum* Darius, qui sorores in matrimonio habuerunt. Cui simile est illud Juliæ novercæ Antonini Caracallæ Imperatoris, cum privignus eam incestaturus diceret, velle se si liceret, respondentis, licere si liberet, an nesciret se Imperatorem esse & leges dare, non accipere, teste Æl. Spart. in Caracall. Nec minori impudentiâ Anaxarchus Philosophus Alexandrum M. mœstum ob Clyti cædem consolabatur, quod quicquid rex faceret, id justum fasq; esset. *2. Particularis & Specialis*, quâ obligantur (non omnes homines simpliciter, sed) specialiter illi saltem, qui ejus sunt Reipublicæ, in quâ lex est sancita. Hoc modo solùm Judæos obligabat Lex Dei *tum* Ceremonialis, *tum* Judicialis seu Forensis, quippe, quæ Politiam Judaicam spectabat, vide Theologos. Sic & lex humana in determinata Republica eos, quibus præscribitur & sancitur, obligat, sive fideles quidam sint, sive infideles, quia Evangelium non abolet Politias, ita ut fides Christiana Magistratum & leges Politicas non tantum non tollat, sed & maximè confirmet, ceu ex allegatis scripturæ testimoniis, & Theologorum libellis patet. An autem Lex humana Civilis etiam Principem obliget, in peculiari disp. de Prudentia videbimus. *(II.) Ratione Notitiæ eorum, quibus præciptur*, in quâ considerâtione attenditur, an soli scientes legis promulgationem, an etiam ignorantes obligentur. *Et tunc Scholastici monent legem, sufficienter promulgatam, & receptam, obligare: 1. Scientes*, hoc est, eos quibus jam innotuit: *2. Ignorantes etiam*, hoc est, eos etiam, qui legem promulgatam ignorant, *(1.) quia Obligatio legalis non pendet ex subditi notitia, sed ex voluntate superioris sufficienter promulgata*, quia quando ignorans postea intelligit à viro, fide digno, legem promulgatam esse, tunc sine dubio obligatur, dum se excusat per ignorantiam, excusatio enim aliquam præsupponit obligationem: Ast illa Obligatio non inducitur vi verborum istius viri, sed vi promulgationis sufficienter factæ vide Becan. Theolog. Scholast. par. 2. tom. 1. tr. 3. c. 1. q. 4. Unde ad obligationem

2.

(2.) Notitiæ obligandorum

1.
2.
(1.)

tionem legalem necesse non est, ut actu legem semper omnes cognoscant, sed sufficit, ut cognoscere potuerint & debuerint. Hinc Scholastici dicunt, licet lex naturæ quoad certa præcepta nonnunquam ex mente quorundam hominum aboleatur, ita ut post ignoretur, nihilominus tamen eos homines obligari ad ejus obedientiam, quia cognoscere illam & potuerunt, & debuerunt, unde quicquid contra legem naturæ fit, (2.) à quocunq; fiat, peccatum censetur. (2.) *quia in foro exteriori seu Politico, non præsumitur facile legis, sufficienter promulgatæ, ignorantia, nisi vincibilis, crassa & affectata*, præsertim si (1) homines istius loci communiter istius legis promulgationem jam cognoverint, eamq; legem jam tunc communiter servent. (2) tempus haud parvum à puncto promulgationis & termino obligationis jam sit elapsum. Hujusmodi Ignorantia Vincibilis & supina *neq;* à culpa, *neq;* à pœna excusat, vide disp. 4. Invincibilis autem legis ignorantia, si certò constet, & probata fuerit, excusare dicitur à culpâ & à pœna, quod fusius explicat Ludov. Molin. d. l. *(IV.) OPPOSITI*, quod rigori Obligatorio legis adversatur, imminuendo legalis obligationis rigorem. Constitui autem solet illa imminutio jam illatæ legalis obligationis duplex, vid. *(I.) ABROGATIO*, quæ est sublatio legis, quæ jam perfectè obligabat, seu vim obligandi obtinebat. *Potest* autem *illa Abrogatio esse (I.) Partialis*, quâ Lex ex parte solùm tollitur & abrogatur, ita ut ex parte tollatur, ex parte maneat, quod in mixtis legibus contingere ait Becanus d. l. c. 3. q. 4. n. 3. ubi & *modum hunc vocat Derogationem (II.) Totalis*, quâ Lex integrè & simpliciter tollitur, adeoq; in totum abrogatur, dicturq; specialiùs à nonnullis Abrogatio. Hæc Abrogatio competit legibus positivis *tum* divinis, *tum* humanis, unde *Abrogationis* hîc *notetur duplex causa Efficiens*. 1. *Principalis*, quæ legem præscriptam abrogat & simpliciter tollit, estque ille, penes quem residet potestas legislatoria seu condendi leges. *Ratio* est, quia ejusdem potestatis est illigare & eximere legibus. Hinc Politici statunt Imperatorem posteriorem posse prædecessoris sui acta & statuta abrogare, de quo alibi

(2.)

4. *Oppositi, quod est*

(1) Abrogatio.

(1) *Partialis.*

(2) *Totalis.*

1.

alibi fusiùs. *2. Minus Principalis, seu Impulsiva*, quæ princi- 2.
paliorem causam movet ad legis alicujus abrogationem.
Hæc desumi potest potissimùm *(1.) respectu Rationis*, hoc est, (1.)
causæ, ob quam lex lata est, *quæ* esse potest. *(1) Bona*, & tunc NB.
lex abrogari potest ob conditionis & temporis intenti sublationem, vid. quando res ipsa & necessitas amplius non urget, v. g. Si tempore belli & in obsidione gravi lex promulgaretur, ut numos succedaneos, ex aliis metallis cusos, & certo signo notatos, subditi acceptarent, & merces pro iis dare non detrectarent, donec melior rerum facies rediret, ea pace restituta ritè abrogatur. *Similiter* si lex aliqua cælibatum prohiberet, eò quod Respublica per bella civibus sit exhausta, ea postea abrogari potest cessante illâ ratione legis, vid. quando Respublica civibus abundè referta est. Sic & Theologi monent, Deum Ll. suas veteres ceremoniales & judiciales jam abrogâsse, propter conditionis & temporis determinati cessationem, vide Rev. & Excell. Dn. D. Gerhard. tom. 3. p. 386. & 408. *(2.) Mala seu non bona*, etsi illa initio bona visa fuerit hominibus, quippe qui falli possunt, & tunc Lex vetus abrogatur propter melioris & utilioris inventionem. Hoc modo antiquæ leges, quæ apud certas gentes olim viro faciebant potestatem capitaliter in uxorem privato judicio animadvertendi, jam abrogatæ sunt, cum privata vindicta, omni jure, inprimis divino, jam sit prohibita. *(2.) respectu Hominum*, quibus lex est lata, & tunc causa abrogandæ legis prioris est mutatio morum subditorum in melius aut pejus, vid. quatenus mores multitudinis nonnunquam in melius aut deterius proficiunt. *(II.) DISPENSATIO, quæ propriè dicta*, seu in rigore sumta, *est exemptio seu liberatio in particulari ab obligatione legis in aliquo casu particulari, manentibus iisdem circumstantiis, quibus lex aliàs revera viget, & reliquos omnes obligat.* Hæc dispensatio non NB.
potest fieri nisi à superiore, quia ejus tantum est obligationem legis removere vel laxare, cujus est obstringere & ligare. Sic Politici monent Principes ob probabilem & rationabilem causam eximere quendam posse à lege sua positiva, de-

(1.) (2.) (2) Dispensatio proprie dicta

quo alibi cum fusius acturus sim, jam gratiâ brevitatis vide Rev & Excell. Dn D. Meisnerum, p. m. de legibus. l. 4. s. 1. q. 13, & Becanum Theol. Schol. par. 2. to. 1. tr. 3. c. 6. q. 13. An
NB. autem in lege naturali dispensatio propriè dicta fieri possit acriter inter ipsos Scholasticos disputatur, ceu videre potes apud Becanum. d. l. c. 3. q. 4. & Ludov. Molin. de just. & jur. to. 6. tr. 3. disp. 57. *Nos hac vice cum D. Thomâ* 1. 2. q. 100 ar. 8. ejusq; assectis *statuimus, de lege naturali propriè dispensare*
1. *non posse 1. Principem seu hominem ullum*, quia dispensatio hæc requirit in dispensante superioritatem, ita ut dispensans sit superior lege illa. Jam autem omnis homo legis naturalis civis & subditus est juxta priùs dicta. Unde in lege naturali à Deo præscribitur omni homini norma directiva actionum. 2. *Ipsum Deum etiam, quod probari potest dupliciter*:
2. (1.) *(1) Directè ratione desumpta à natura & conditione divinorum decretorum*, hoc modo: *Nullum Dei decretum est in se mutabile. Lex naturalis est Dei decretum. E. Lex naturalis non est in se mutabilis, & per C. neg. dispensabilis.* *Major* patet, quia aliàs Deus, quod semel simpliciter & sine certi temporis atq; hypotheseos definitione fieri jussisset, postea iisdem circum-
NB. stantiis manentibus rursus fieri nollet, quia dispensatio propriè dicta requirit permanentiam earundem circumstantiarum legalium, sub quibus lex aliàs viget & obligat. Ast hæc retractatio dictorum & positorum repugnat divinæ immutabilitati, de quâ in disp. 5. meâ Pneumatica, & Num 23. v. 19. quod Deus non sit quasi homo, ut mentiatur, aut filius hominis ut mutetur. Undè multò minus seipsum negare potest juxta 2. Tim. 2, 13. *Dixi notanter*, Decretum Dei in se non
NB. esse mutabile, quia mutari potest Objectum decreti, quod sub certa hypothesi & conditione saltem Deus decrevit, unde sublata illa conditione objectum illud mutari potest, quod tamen ipsius decreti mutationem & retractationē non inducit, sicut nec in universum hypothetica aliqua propositio falsa fit, si una simplicium, ex quibus illa constat, vera esse desinat. Unde diversa sunt, Deum velle rem aliquam mutari, & voluntatem Dei mutari. vide Thomam p. 1. q. 19. a. 7

Miner

Minor patet, quia Deus per legem naturalem decernit & homini manifestat, quæ tanquam recta, & naturæ rationali consentanea, velit ab homine servari, quæ autem contrà tanquam turpia & deformia vitari expetat. *Sequela* annexa patet, quia dispensatio propriè dicta inducit mutationem & retractationem priorum dictorum & decretorum, dum dispensans contra legem naturæ jubet iisdem circumstantiis rem non fieri, quibus antè mandaverat ut fieret; vel fieri, quibus ante vetuerat, ne fieret. *(2.) Indirectè per deductionem ad absurdum* h. m. *Quicunq; propriè dispensat contra legem naturæ, ille approbat intrinsecè mala ac turpia, adeoq; agit contra divinam justitiam,* cujus particula sunt præcepta legis naturalis, quippe quæ ex lege æterna quasi transcripta dicuntur, unde licet Deus sit superior lege naturali, tamen propter prædictam originem & convenientiam de ea dispensare nequit *Atqui Deus propriè dispensat contra legem naturæ. E. Deus approbat intrinsecè mala ac turpia. &c. Quæ conclusio cum* sit *absurda, absurda erit vel* Major, *vel* Minor. *Non Major,* quia quicquid est conforme legi naturali & rectæ rationi, illud est intrinsecè bonum. E. vi oppositionis, quicquid difforme est legi naturali & rectæ rationi, illud est intrinsecè malum & turpe, h. e. ita malum, ut non possit fieri bonum, quamdiu manent illæ circumstantiæ, secundum quas est malum. Unde si Deus propriè dispensaret contra legem naturæ, approbaret aliquid quod esset difforme legi naturali & rectæ rationi, adeoq; intrinsecè malum, vide Becan. Theol. Schol par 2 to. 1. tr. 3. c. 3. q 4. n. 5. *Ergò Minor* erit falsa, quæ cum sit Occami in 2. sect. q. 19 aliorumque, nostra contradictio erit vera, cum *contradictio sit æternæ disjunctionis. Dixi consultò* superius, Deum de lege naturali propriè dispensare non posse, *quia aliàs impropriè dicta dispensatio concedi potest,* quæ fit per sublationem quandam materiæ legalis, seu circumstantiarũ quarundam, sub quibus lex aliàs obligabat. *Hoc modo dispensasse Deus dicitur in præcepto (1) Immolatione Isaaci,* factâ Abrahamo Gen. 22. quia enim legis naturalis præceptum; Hominem non occidas, viget & obligat sub his circumstan-

(2.)

NB.

(1.)

tiis, ut vid. non liceat occidere hominem, *tum* privatâ autoritate, *tum* extra casum necessariæ defensionis, Deus tollendo illam priorem circumstantiam de privata autoritate fecit, ut factum Abrahami non fuerit homicidium, quia Abrahamo præcepit, ut filium mactaret publicâ Dei autoritate, quâ ut universalis dominus & judex propter peccata pœnam mortis juste cum vult, & per quem vult, infligere potest. Unde quod extra Dei mandatum & sublationem circumstantiæ legalis
(2.) esset homicidium, jam desinit esse tale. *(2.) ablatione vasorum Ægyptiorum*, data Israelitis. Exod. 12. quia enim lex prohibens furtum sub hac circumstantia obligat, ut non liceat accipere rem alienam, quamdiu aliena est, invito rationabiliter Domino. 378
Ast in hoc casu Deus tanquam universalis rerum omnium Dominus propter Ægyptiorum peccata bonorum illorum jus ac dominium transfert in filios Israel, atque tanquam æquus Judex illa hisce adjudicat in compensationem durarum operarum, quas Ægyptiis præstiterunt. Hinc Israelitæ furtum non committebant, quia sibi non vindicabant aliena, sed sua & propria per donationem & translationem à Deo factam in compensationem durorum laborum, juxta effatum Sapient. 10, 11. *Simile* quid & in Politicis contingere potest, quando Princeps Vasallum rebellem & inobedientem privat feudo, illudq; ad ejus agnatũ transfert, ut licitè illud acquirat & occupet, quod aliàs non præcedente illa privatione & translatione rapina aut spolium esset. vide plura apud Lud. Molin. de just. & jur. tom. 6. tr. 5. disp. 57. & Becan. d. l. n. 6.

II. Secundarium, quod.

XXVI. *Secundarium officium Legis, quod secundariò saltem à lege respicitur, constituitur potissimùm triplex.* 1. *Punitio*, quæ oritur ex legis præceptione vel prohibitione obligatoria, seu cum obligatione ad pœnam, unde & Magistratui præcipit eam malefactoribus infligere. vide Ludov. Molin. d. l. disp. 46. n. 25. seq. De hac punitione fusiùs agam in peculiari disputatione de Pœnis. 1.
2. *Præmiorum distributio*, quã lex quandoq; præcipit in aliis eventibus certis. 2.
3. *Permissio positiva*, juxta Becanum Theol. Schol. par. 2. tom. 1. tr. 3. c. 1. q. 7. n. 3.

q 7. n. 6. 7. quæ tamen minus propriè actus legalis ab aliis dicitur, cum sit sine obligatione subditorum, & necessitatem nullam illis imponat, nisi quod illa permissio consequenter includere videatur *tum* prohibitionem punitivam in judicibus, ne vid. puniant tale crimen; *tum* concessionem quandam in perpetrantibus, ne vid. qui hoc factum concessum perpetrant puniri possent. *Est autem Permissio illa legis Positiva, qua lex exprimit se permittere aliquid, nec consequenter hominem propterea puniri debere.* Statuitur autem *hæc Positiva permissio duplex*, vid. *actuum* (1) *Indifferentium*, qui in medio q. sunt honestorum & turpium. (2.) *Malorum*, quando permittuntur mala minora ob evitanda majora. Hoc modo lex Deut. 24, 1. Judæis divortium permittere dicitur. vide plura ap. Becan. d. l. ubi tamen nota regulam: *Quod permittitur non statim sine vitio est.* NE. (1.) (2.)

XXVII. *Respectu Materiæ legalis officium legis* à Becan. d. l. n. 8. *constituitur quadruplex potissimùm. I. Inhabilitas Personarum*, h. e. *ut personas certas*, quæ tunc fiunt materia legis, *reddat inhabiles & ineptas 1. ad Dominium aliquod seu munus & jus acquirendum.* v. g. Lex de spuriis, vetans spurios institui hæredes. Sic de spuriis lex habetur Deut. 23, 2. Spurius ne venito in congregatione Jehovæ. *2. ad Contractum aliquem ineundum.* Hoc modo lex reddit consanguineos intra certos gradus inhabiles ad matrimonium contrahendum. *II. Irritatio contractus vel voti propter defectum justæ causæ vel requisiti alicujus præsupponendi.* Hoc officium attribui potest legi, quæ irritat clandestina matrimonia ob defectum testiũ, aliorumq; requisitorum; aut quæ irritat matrimonia, à liberis invitis parentibus contracta; aut quæ irritat contractus minorennium. Hujusmodi lex est, quæ irritat testamenta, quibus deest præscripta solemnitas. Sic & lex divina Num. 30, 3. seq. irritat vota filiæ, servi & uxoris, si dissenserint vel contradixerint parens, herus, vel maritus. *III. Æstimatio & Taxatio rerum*, quando lex taxat rerum precia & æstimationes, vid. quanto precio modius frumenti sit vendendus. *IV. Revocatio Privilegiorum & facultatum, quæ antea* (II.) Materiæ legalis, & *tunc officium est.* A (1.) (2.) 2. 3. 4.

a. Efficiens.

erant conceſſa. Unde ſpecialiter dicitur *Lex Revocatoria*, de qua gratia brevitatis. vid. Becan. d.l, c. 6. q. 6. n.7

1. XXVIII. *Cauſa legis* conſtitui poteſt *duplex. I. Efficiens, quæ* vid. legem condere & ferre poteſt, *eſtq;* (non quivis privatus, ſed) *is, qui inſtructus eſt poteſtate legislatoria, ſeu condendi leges. Poteſt* autem *Efficiens legis conſiderari (I.)*

(1.) *Generaliter*, qua generaliter enodatur poteſtas legislatoris requiſita, *& tunc requirunt Scholaſtici ad completam legislatoriæ poteſtatis rationem duo*, vid. *1. Jurisdictionem*, quæ juxta ipſos notat autoritatem juris dicendi ſeu præſcribendi jus ac legem. Hæc jurisdictio probatur ex primario officio legis ratione ſubditorum, quos lex dirigere & obligare debet. Nemo autem poteſt dirigere & obligare alios, niſi qui habet au-

(2.) toritatem & juriſdictionem illam. Varias diſtinctiones juriſdictionis, quæ huc referri poſſent, enodatas aliqualiter tradam in peculiari diſp. de Prudentia. 2. *Vim coactivã*, quæ juxta Thomam q. 90. art 3. ad. 2 & q 100. ar. 9. in Legislatore requiritur, ut poſſit efficaciter inducere ſubditos ad obſervationem legis. Hinc gladius à Deo Principibus datus eſt Rom. 13 v. 4. Unde & Becanus Theol. Schol. part. 2.

2. tom. 1. tr. 3. c. 1. q. 6. n. 2. ait: illos propriè capaces eſſe præ-

(1) cepti, qui poſſunt cogi, niſi obediant. *(II.) Specialiter ma-*

(2) *gis, quando ſpecialius enodatur, quinam legislatoriam illam poteſtatem habeat, ut eſt 1. Ipſa Communitas*, quæ ut corpus quoddam liberum hoc jus ſibi reſervare voluit. 2. *Is, qui præeſt Communitati, ut eſt* (1) *Ipſe Deus*, qui, ut abſolutè ſupremus & perfectiſſimus rerum omnium dominus, leges præſcribere poteſt & tradere omni homini, quæ illum adſtringant abſq; ulla dependentia ex eo, quod illi, quibus eas tradit, approbare & acceptare velint; eò quod ille ſit abſolutus dominus, nihil de ſuo dominio à rebus publicis accipiens, ut aliàs alij Principes & Rectores certarum Rerumpublicarum ſuum juriſdictionis dominium ab ipſis Rebuspubl. accipere ſolent. (2) *Homo certus*, habens illam autoritatem legislatoriam à Deo *vel* immediatè, ut in Vet. Teſt. quandoque, *vel* mediatè vid. per ipſam communitatem, quæ in certam perſonam è toto popu-

populo hanc potestatem transfert, & ei suas vires delegat, seu patet de principibus & Rectoribus certarum Rerumpublicarum. *II. Finis*, *qui* constitui potest *duplex*. *1. Intermedius*, qui ad alium ulteriorem finem tendit, *ut est* (1) *Directio Magistratuum & Judicum*, quibus præscribitur in lege norma executionis, secundum quam vid. executio instituì debet. (2.) *Apertio voluntatis ipsius superioris*, vid. ut per eam Majestas aperiat suam voluntatem, & subditos in officio retineat. vide thes. 14. *2. Ultimus in hoc genere*, *qui* est *Bonum ipsius communitatis*, ad quod reliqui fines tendunt.

2. *Finis*. 1. (1.) (2.) 2. V. Subjectum.

XXIX. *Subjectum*, in quod jus cadat, *dicitur Creatura Intelligens*, ut Homo, non brutum, quippe in quod non cadit propriè jus & injuria, de quo in disputatione prædicta de Prudentia agam.

Præstantissimo atq; Litteratissimo Dn. RESPONDENTI, Amico meo colendo.

ARX ut adsurgit, caput & recondit
Nubibus nigris; tua sic ad alta
Te vehit virtus Genij sagacis
Dulcis amice.
Nam sacram Astræam trutinas acutè,
Et notas legum rigidas resolvis,
Recta quas cudit ratio, probata
Regula veri.
Hanc viam curras; feret hæc ad arcem
Laudis optatæ, capies brabeia
Digna ubi, cinget strophio & capillos
Sais honora.

Deproperabam

M. JOHANNES ELERUS
Rigâ-Livonus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0415
DFG

SIccine dum Mavors nullo discrimine terris
Impius in nostris fanda nefanda parat,
Tu quid sint leges, ô Legum industrie cultor
Disseris, hocq; ipsum nos docuisse cupis?
Disseris ab frustra! Nam quis nisi Rector olympi
Et pacem & leges restituisse potest,
Tu leges & jura tamen porro excute: quondam
Reddetur juri jusq; decusq; suum.

Deproperabat
CHRISTOPH. von Pein.

SAnctio ni servetur, ais, mox cuncta peribit
Compages mundi, corruet inq; chaos.
Concidet idcircò justi Respublica, namq;
præscripta est justo regula nulla viro.

JOACHIMUS SCHRADERUS
Dantisc. Bor.

COLLEGII PRACTICI GENERALIS
seu ETHICI
DISPUTATIO DUODECIMA
DE
VIRTUTE HEROICA
UT ET DE
SEMIVIRTUTIBUS, seu VIRTUTIBUS IMPERFECTIS, & SECUNDARIIS.

Quam

Auspicio Sacrosanctæ Trinitatis

Et

Consensu Amplissimi Senatus Philosophorum

In

Incluta ad VARNUM Academia

Sub Præsidio

M. JOHANNIS ELERI

Rigâ-Livoni.

Defendendam suscipiet

ANTONIUS GUNTHER Backhauß.

Jeverâ-Frisius.

Ad d. 14. Aprilis. horis ante meridianis.

Diogenes cuidam puero, cujus genas purpureus color, ex verecundia ortus, rubicundas reddiderat, dixit: *Macte virtutis puer, macte: Nam hic est color virtutis.*

ROSTOCHI

Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ. Anno 1627.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0417
DFG

Σὺν Θεῷ

THESIS. I.

SEquitur jam *Virtus Moralis Primaria, considerata Respectivè*, & comparatè, quoad excellentiam & gradum eminentiorem, *dicitur*, tunc *VIRTUS HEROICA, quæ à populari* & simplici *Virtute differt, non specie*, quia utrobiq; sunt paria principia interna, hoc est, objectum, actus, & personæ, seu subjectum idem: Ubi autem eadem Principia, ibi idem Principiatum; *sed saltem externo splendore*, seu Imparitate præeminentiæ, quæ nascitur *vel* ex impulsu aliquo divino, *vel* ex mirabili tendentia ad aliquem finem, seu quia ad finem aliquem mirabiliter tendit, ceu patet de Temperantia Scipionis, Fortitudine Cæsaris, &c. Impulsus autem divinus, & mirabilis effectus, sunt extra ambitum specificantium principiorum Virtutis, unde & speciem non mutant, ita ut eadem sit ratio Fortitudinis in Cæsare, & Coriolano, licet hic nil nisi invidiam, ille imperium mundi promereretur. Idem judica de Liberalitate in Cimone & alio quovis. *Adde* inspirationem divinam, cum sit causa remota impellens, habitum crebra actione jam antè acquisitum nullo modo permutare, sed accidentalem tantùm diversitatem superaddere. Ex eodem fundamento & Politici monent, imperium Heroicum non constituere distinctam regni speciem à simplici imperio, cùm nihil superaddat, quàm admirandam fortunam, quæ nos de occulto divini numinis ductu & concursu certos reddit. Sic non sine numine tantum imperium auspicatus est Cyrus; non sine numine victor Totius Orientis, &, ut tum credebatur, totius mundi evasit Alexander M. Idem judica de Carolo Magno, qui Saxones, Sarracenos, & Longobardos toties impunè fudit. Vide plura

Virtutis Heroicæ. I Prægnitio *quoad discrepantiam à virtute populari gradualem.*

apud Clariſs. Arniſæum de Republ. lib. 2. cap. 2. ſ. 15. n. 35. ſeq. Unde Virtus Heroica, & ſimplex, ſeu popularis differunt ſaltem ſecundum magis & minus; non autem ſpecificè, ut vult Thomas, 1. 2. quæſt. 4. a. 3. cujus rationes in conflictu diſcutiam.

H Tractatio.

II. Hujus *Heroicæ Virtutis Conſideratio duplex* hic inſtitui poteſt. 1. *Nominalis*, ſeu ſecundum nomen 2. *Realis*, ſeu ſecundum rem, pro qua vox illa ſupponitur.

I Nominalis in qua 1. Notatio

III. *In Nominali* conſideratione *notetur* I. Ετυμολογία, *ſeu Notatio*, in qua enodatur vocis iſtius *tum* origo *tum* impoſitionis Ratio. Dicitur autem hæc *Virtus Heroica* nomine adſcito ex idiomate Græco, juxta quod dicitur ἡρωικὴ à voce ἥρως; *à ſubjecto*, videl. Heroibus; quippe in quos ſolos illa virtus cadit. Priſcis autem ἥρωες ſeu Heroes dicebantur, qui mortales cum eſſent, eminentia & ſplendore Virtutum, atque præclaris in Genus humanum meritis, homines vulgares ita ſuperârunt, ut divini homines celebrarentur, & Deorum filij haberentur. Ἥρως autem *variè à Lexicographis*, &

1. alijs *deducitur*, *dum* nonnulli, *derivant*; 1. Juxta Auguſtinum lib. 10. de civ. Dei cap. 21. ἀπὸ τῆς ἥρας, *h. e. à Junone*, quæ antiquitus credebatur D E A & præſes aëris. *Ratio* autem *hujus*

(1.) *denominationis deſumitur variè* (1.) *à ſubjecto habitaculo* videaëre, quia olim Heroum animæ creditæ ſunt non ad inferos deſcendere, ſed cum Dæmonibus habitare, atque manere in aëre, ibiq; res humanas contemplari, eandem ob cauſam &

(2.) alij illam derivant à voce ἀὴρ, aër. (2.) *à ſimili*; quod videlicet Heroës naturam habeant aëream, & impetus vehementiores inſtar ventorum, queis reliquos homines ſuperiores

2. ſunt veluti aër terrâ. 2. ἀπὸ τοῦ ἔρωτος, *ab amore*, ſed diver-

(1.) ſimodè juxta diverſos, (1.) quia hanc virturem cæca antiquitas Ethnica ex mutuo amore Deorum & hominum ſtatuit, ita ut proveniat ex amore virorum erga Deas, & Deorum erga mulieres. Unde teſte Heſiodo Heroes ἡμίθεοι, ſemidei dicti

(2.) ſunt, nempe ex Deo & homine orti. (2.) juxta Keck. ſyſt. Eth. lib. 3. cap. 5. quia, amor & ſtudium virtutis in Heroicis

natu-

naturis est vehemens. 3. Juxta Platonem in Cratylo ἀπὸ τοῦ εἴρειν, h. e. dicere, quia facundi Rhetores, argutiq; Sophistæ judicati olim fuerunt Heroica proles, cæterorumque hominum duces & principes. Plura vide ap. Piccol. gr. 6. cap. 1. 3.

II. Ὁμωνυμία, *seu Æquivocatio, juxta quam* Virtus Heroica aliàs constituitur *duplex* (*I.*) *spritualis, & divina*, quâ præditi fuerunt sancti Dei homines, Patriarchæ, & Prophetæ, de quibus monet codex sacer, V. G. castitas Josephi, Fortitudo Samsonis, sapientia Salomonis, Temperantia Johannis Baptistæ. Sed de hac specie hîc propriè non agitur. (*II.*) *Humana, quæ* rursus *duplex* constituitur. 1. *Intellectualis*, quæ datur in excellenter doctis, atque sapientibus, præsertim verò disciplinarum & scientiarum inventoribus. Hoc modò Æsculapius, quia in arte Medica excelluit, Apollinis filius fingitur. Idem judica de Orpheo ob Musicam. Verùm *Intellectualis hæc Virtus huc non pertinet*, (1.) quia hîc saltem de moralibus agitur. (2.) quia non nisi secundum analogiam possessores suos denominat Heroas. Vide Piccol. gr. 6. Phil. mor. cap. 4. 2. *Moralis*, quæ notat Virtutum Ethicarum & moralium eminentiam. Hæc propriè Heroica dicitur, & huc pertinet, ceu patet *ab opposito*, vid. feritate, hoc modo. Feritas est Moralis, seu pertinet ad mores. Ergo & Virtus Heroica. Sequela patet ex Canone Philosophico. *Oppositorum eadem est ratio*, de quo Canone Deo auxiliante fusiùs agam in tractatu meo axiomatico. III. Συνωνυμία, *seu Æquipollentis termini collectio, juxta quam* hæc virtus etiam *dicitur Divina*, scil. *ratione. 1. non subjecti*, quia sit Dei, & in Deo 2. *sed ratione causæ, tum efficientis*, quia est à Deo, ejusque speciali actione; *tum finalis*, quia debet homines assimilare Deo, seu quoquo modo Deo similes facere. Nam qui ea sunt præditi magis ad Dei similitudinem ascendere, quam ad humanam infirmitatem descendere videntur.

2. Æquivocatio. 1. 2. (1.) (2.) 3. Æquipollentiũ terminorum collectio.

IV. Realis consideratio *duplex* institui potest. 1. *Absoluta*, qua Virtus Heroica absolutè in se consideratur. 2. *Respectiva*, qua ipsa consideratur in collatione cum suis oppositis.

II. Realis, quæ. 1. Absoluta *in qua.*

V. *In absoluta* consideratione *hæc quatuor notentur. I. Definitio. II. Causa. III. Requisita seu actus. IV. Subjectum.*

1. *Definitio quæ resolvatur in conceptū.*

VI. *Definitio* hæc esto: *VIRTUS HEROICA est Habitus eminens & excellens, tum humanâ industriâ acquisitus tum divinitus potissimum quibusdam concessus, ad ejusmodi actiones acerrimo impetu, & felicissimo successu obeundas, quæ alioquin à communis sortis hominibus præstari non possent.* *Hæc* definitio *resolubilis est in conceptum* duplicem 1. *Latiorem seu Genericum, quo dicitur & habitus*, quia moderatur appetitum, illiusque actiones juvat, & facilitat; *& eminens atq; excellens*, dum eminentiâ & excellenti suo splendore hominem elevat supra communem conditionem hominis. Consideratur autem hic eminentia ista quoad gradum (non contemplationis, sed) actionis, hoc est, prout eminenter ad finem civilem homines ducit. Ex hisce jam patet *error* 1. *Eustratij*, qui cap. 3. lib. 2. Eth Nicom. Heroicam Virtutem absolutam perturbationum evulsionem nominavit. Contra quem gratia brevitatis vide Picolom. gr. 6. cap. 7. 2. *Eorum* qui vice virtutis Heroicæ vitium commendant, & pro fulgore Heroico vitium, populari voce formosum, amplectuntur, dum commendant αὐθάδειαν Catonis Uticensis, & aliorum tanquam Heroicum factum. 2. *Strictiorem, seu specificum quasi, qui desumitur 1. à Causa. 2. ab objecto, 3. à requisitis specialioribus*, de quibus omnibus in subseqq.

(1.) Latiorē

2.

(2.) Strictiorem.

VII. *Causa* Virtutis Heroicæ constitui potest *duplex. I. EFFICIENS, II. FINIS.*

2. Causa

VIII. *EFFICIENS* rursus constitui potest *duplex. 1. Prima, quæ* est æterna illa mens, seu *ipse Deus*, quippe qui speciali sua actione indolem donat præstantem, & peculiarem excitat impetum, quo incitatæ Heroicæ naturæ altissima sibi proponunt, atque propter divinum ductum successus nanciscuntur felicissimos, qui alijs non obtingunt. Unde tum demum verè existere Virtutem Heroicam Ethici statuunt, si ad disciplinam & assuefactionem Virtutis Moralis accedat flatus divinus, qui illam augeat, & adjuvet, ita ut juxta

(1.) Efficiens quæ)Prima

Cic.

Cic. lib. 2. de Nat. Deor. *Nemo Vir magnus sine aliquo afflatu divino unquam extiterit.* Ex hisce jam *patet, 1. Ratio*, ob quam Heroës autoritate circumdati sint, ut ipsos alij revereantur. Quia enim divinitus Heroici isti impetus excitantur, reverentia & metus à Deo pectoribus hominum inseritur. *2. Error quidam Hesiodi*, qui Heroës omnes uno duntaxat mundi seculo, quod aureum nuncupat, vixisse contendit. Quocunq; enim tempore DEUS aliquid singulare cupit efficere, & regna seu Respublicas fundare, vel collapsas instaurare, tum Heroica excitat ingenia, quæ id sua Virtute, & felicitate præstant; ad magna enim efficienda magnæ requiruntur causæ. 2. Secunda, quæ à prima illa dependet.

R

2.

IX. *Secunda* hæc causa *rursus* constitui potest *duplex* 1. *Remota & Mediata*, quæ remotè & mediatè hanc Virtutem producit, estq; (*I.*) *Naturalis*, quæ à Natura illis hominibus competit, & quidem *ratione. 1. Animi*, ut est (1.) *Intellectus Practicus*, qui feliciter conclusiones Practicas intelligit, ostendendo quid amplectendum, quid fugiendum. (*2.*) *Appetitus*, quò pertinet *tum* libera electio voluntatis, *tum* impetus ille naturalis, quo hujusmodi homines feruntur, qui cum vehemens esse soleat, *Heroum excitus raro optatus & felix est, tum* propter naturæ vehementiam, quam non semper regere possunt; *tum* propter Invidiæ magnitudinem, qua subinde premuntur. *2. Corporis*, ut est εὐφυία, seu bona indoles, quæ hîc est singularis temperatura, & corporis dispositio. Vide & disp. 5. th. 21. (*II*) *Doctrinalis*, quæ est bona informatio extrinseca, & doctrina eminentior. *II Immediata*, quæ immediatè hanc Virtutem producit, *ut* est *Actio & Conatus constans.*

(2.) Secũdæ

1.

(1.)

NB.

(2.)

2.

X. *Finis* Heroicæ Virtutis *duplex* constitui potest. 1. *Hominis elevatio*, qua Deo assimilatur, seu ad Dei similitudinem quàm proximè moraliter accedit. De qua assimilatione lege ipsum Piccolom. gr. 6. cap. 15. *2. Publicæ utilitatis conservatio*, ceu patet exemplo Cyri, Caroli M. & aliorum Heroum.

(2.) Finis.

1.

2.

XI. *Requisita seu Actus*, quibus Heroica Virtus exeritur

3 Requisitæ

1.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0423
DFG

tur & perficitur, *constituuntur triplices.* 1. *Aggressio magnanima, seu Actualis Impetus admirabilis*, quo Heros res magnas, & adversissima quæque aggreditur, quæ alij horrent. Heroês enim vehementissimo ducuntur desiderio finis alicujus præ-
2. clarioris, unde mentem altiùs elevant. 2. *Continuatio, seu summa propositi constantia*, qua ipse adversissima, quibus alij miserè succumbunt, cum admiratione perfert, ut etiam in miserijs decus *tum* personæ, *tum virtutis* suæ heros tueatur. Heros enim nullis voluptatum illecebris à proposito pellicitur, nec ullis difficultatibus retardatur. 3. *Miranda absolutio*;
3. hoc est successus & felicitas incredibilis, ceu patet exemplo Julij Cæsaris, qui de se tria illa requisita Heroicæ Virtutis tribus verbis effatus est, dicens: *VENI, VIDI, VICI.* Patent eadem ex gestis Alexandri M. Scipionis Africani, & aliorum.

XII. *Subjectum* Virtutis Heroicæ *duplex* statui potest
4 *Subjectũ* I. *Inhæsionis*, cui inest atque inhæret Virtus Heroica. *Hoc* rur-
(1.) Inhæ- sus duplex esse *potest*, vid. subjectum (I.) *Denominationis, & QUOD*, quod est ipsum Compositum, quod Heroica Vir-
sionis. tute tanquam Adjuncto suo denominatur, *estq; Homo, secun-*
1. *dum sexum.* 1. *Masculinum*, cui hæc Virtus inest majori splen-
(1.) dore, quàm fœmineo. *Præsertim* fulget Heroica Virtus in
NB. viro principe, qui commune & conspicuum est populorum Exemplum, in quo tanquam in sublimi & illustri sede omnia
(2.) splendidissimè fulgent. 2. *Fœmineum etiam*, cui tamen minori splendore competit Heroica virtus, quàm Masculino. *Competere autem Virtutem Heroicam muliebri etiam sexui*, factâ scilicet inter Virtutes mulierum comparatione, *patet dupliciter;* (1.) *ab opposito*, vid. *feritate*, quæ cum cadat in mulierem, & ejus oppositum, videlicet Heroica Virtus, in eam cadet, quia Opposita in eodem nata sunt fieri, unde Habitus & Privatio sunt circa idem (2.) *ab Exemplis mulierum*, in quibus refulsit Heroica Virtus, quales fuere Penthesilèa Amazonum regina; Camilla regina Volscorum, & aliæ mulieres, quæ illustri aliquo facinore Virtutem Heroicam patefecerunt. Vide Piccol. gr. 6. cap. 10. (II.) *Informationis, seu QUO*, quod est
2. facul-

facultas illa in homine, quæ per se virtute illa, tanquam adjuncto informatur, & qua mediante homini denominatio Heroïs competit, ut est facultas Appetitiva, quæ virtute illa informatur. *II. Tractationis, seu Occupationis*, circa quod occupatur Virtus hæc Heroica, *quodq;* hoc loco est *duplex. 1. Internum*, ut Affectus, qui moderandi, & regendi sunt Virtute. *2. Externum quod est reliquarum Virtutum omnium objectum externum, & hic consideratur* (non absolutè, sed) *respectivè*, & determinatè, *videlicet prout illud objectum est.* (1.) *Excellentius.* (2.) *bonum publicum respiciens*, ut evidentem humano generi utilitatem offerat.

(2) Tractationis.
1.
2.

XIII. *In respectiva* consideratione *confertur Virtus Heroica, cum suis oppositis* seu extremis, inter quæ Feritas præcipuè Virtuti huic adversatur. Ut enim Virtus Heroica sua præstantiâ hominem supra communem civilemque conditionem elevat; sic contrà Feritas sua Turpitudine longo post se intervallo relinquit & homines feris deteriores, & efferatiores reddit. *Est autem Extremum* Virtuti Heroicæ oppositum *duplex* vid. *peccans* 1. *In Excessu*, ut Θηριότης, *seu Feritas*, quæ est vitium excedens, quo homo quodammodo exuit naturam humanam, & in feram, atque immanem beluam moraliter convertitur. Exemplum ejus habemus in *Nerone* Imperatorum Romanorum omnium flagitiosissimo. Feritatem similiter cernimus *in Phalaride*, qui Perillum ut boantis vocem audiret, in æneo, & ardenti tauro flammis consumsit. *De hac Feritate* notetur *I. Causa*, quæ diversa est, pro diversitate subjecti. Alij enim ex morbo naturam humanam exuunt, alij ex Naturæ depravatione; alij ex prava educatione, & assuetudine; alij alia de causa. *2. Species, juxta quas* pro objecti diversitate à nonnullis *Feritas triplex* statuitur (1.) *Profanitas*, erga Deum, quæ hominem à Deo avertit. (2.) *Immanitas* erga proximum, quæ hominem omni charitate exuit erga proximum. (3.) *Tyrannis* erga Patriam, & Rempublicam, de qua in Politicis fusius agitur. *II. In defectu*, ut *summa ignavia*, & ineptitudo ad omnem virtutis impetum.

2. Respectiva *in qua confertur cũ oppositio, quod peccat.*
1 *in excessu*

De hoc Vitio notetur (1.) *Causa.*
(2) *Species*
1.
2.
3.
2. *in Defectu.*

XIV. Sequitur jam *Virtus secundaria, & Imperfecta*

planè, quæ saltem per Analogiam Virtus dicitur, unde & SEMIVIRTUS nuncupatur, quia saltem notat dispositionem, quæ animum disponit, & excitat ad Virtutem perfectam. Unde potiùs dispositio dicitur, quam Potentia, quia Potentia quasi indeterminata est, & sine actu sumitur; ast hujusmodi Dispositio illam ad certam contradictionis partem aliqualiter inclinat, & suo modo determinat, imò quodammodo ipsum Actum ponit, dum se habet ut via ad Virtutem perfectam. *De hac Semivirtute* & Dispositione *duo* breviter hic *notentur*. I. *DISTINCTIO planè Analogica*, in qua Terminus ille Semivirtus Dispositionibus illis inæqualiter planè & secundum magis ac minus competit. II. *DEFINITIO*.

De SEMIVIRTUTE notetur.

1. Analogica Distinctio, *juxta quã Dispositio.*

I. Naturalis (1). instinctus.

XV. Juxta Analogicam illam distinctionem duplex à nõnullis statuitur *dispositio. I. Merè naturalis*, quæ nobis à natura competit, quæq; secundum minus, & valde impropriè semivirtus denominatur, *qualis est naturalis.* (1.) *Instinctus* qui est interna, naturalis ad aliquid peragendum recipiendumve facultas & Instigatio, quam Poetæ Minervam salutant, juxta illud:

Tu nihil invitâ facies dicesve Minervâ.

Intelligitur autem hic naturalis Instinctus, quo propter Temperaturam, certamque corporis constitutionem quidam in virtutes propendent, quique impropriè planè Virtus dicitur. Vide disp. 5. thes. 6. & 21. II. *Affectio proba*, seu quæ est animi probi, & candidi. Estque *duplex* potissimum: 1. *VERECUNDIA*, de qua hîc notetur. 1. *Æquivocatio, juxta quam* Verecundia sumitur. (1.) *Latè* pro metu dedecoris ob turpe aliquod factum, quod tale habetur *vel* in rei veritate, *vel* ex opinione saltem, & sic Pudori non contradistinguitur, V.G. Si ingenuus, & modestus vir suis vestibus spoliatus nudus in forum vel Theatrum ire cogatur hominibus spectantibus. (2.) *Strictè*, pro metu dedecoris ob turpe factum, quod tale habetur hominum existimatione, & ex opinione sæpè saltem, & sic juxta nonnullos pudori contradistinguitur, qui sit animi malè sibi conscij ob delictum perpetratum, sive qui sit

(2.) Affectio proba.

(1.) Verecundia de qua.

1. *Æquivocatio.* 1.

2.

metus

metus dedecoris ob turpe factum in rei veritate. *Nos* priorem suppositionem retinebimus, quia pleraque hominum more & instituto turpia censentur. 2. *Definitio*, quæ hæc esto: *Verecundia est metus dedecoris, seu justæ reprehensionis ob turpe aliquod, quod Personam, commissum. Hæc definitio resolubilis est in Conceptum.* 1. *Latiorem* seu Genericum, *qui est Metus.* Ex quo patet Verecundiam non esse Virtutem, quia est, non habitus, sed affectio ex Impulsu naturæ manans atque surgens quod arguit manifesta alteratio corporis eorum, qui Verecundantur, dum erubescunt non minus quam alij qui metuunt. Vid. Clariss. Gutkium, disp. Eth. 14. q. 1. 2. *Strictiorem qui sumitur* (1.) *ab objecto*, quod metuitur, seu circa quod Metus ille versatur, quod est dedecus, seu justa reprehensio. Hinc quia vir probus nihil committit, cujus eum pudere meritò queat, in eum non cadit Verecundia; Imò cum turpiter vir probus quicquam facit, veniam non impetrat, quia videtur non ex infirmitate, & ignorantia deliquisse, sed ex adhærente malitia. *Nec est*, quod hic arguteris, si non cadat in virum probum Verecundia, impudentem ergo eum esse: Nam neutrum ei competere potest, planè ut nec Continentia nec Incontinentia, ut ex subseqq. patebit *(2.) à Causa, quæ est Turpe, quâ Personam commissum. Dico notanter*, qua Personam, quia multa per se turpia non sunt, sed ratione Personæ aliquid turpitudinis contrahunt, V. G. Comedere', & consumere poma in foro per se turpe non est, quia hoc in plebeijs non reprehenditur, ratione studiosi tamen turpe ducitur. *Est autem illud turpe duplex* (1.) *Proprium*, quando ob proprium nostrum factum verecundamur. (2.) *Alienum*, quando Verecundia ex malis alterius Personæ, cujus mala nostra putamus, & ducimus, qualis est Uxor, Liberi, amici 3. *Signum externum*, quo se ad extra, seu exteriùs exerit Verecundia, *est Rubedo in facie vel tota*, si magna est verecundia; *vel partiali potissimum, seu circa latera buccarum*, si non ita magnus est pudor. Hinc Genæ dicuntur sedes pudoris. Causa autem hujus tincturæ desumi potest ex spirituum & sanguinis diffusione ad partes exteriores. Cum enim *Verecundia*, quæ probi, & candidi animi affectio hic dicitur, *respiciat, & metum* dedecoris, *& amorem*

2 Definitio

1.

2. (1.)

NB.

Objectio.

(2.)

3. Signum Externum

NB.

honestatis, duo isti affectus cor vehementer commovent, quod commotum propter amorem honestatis spiritus impellit, qui impulsi ad Instrumenta sensuum ruunt, & magna copia concitatum sanguinem una ad exteriores partes diffundunt, qui postea circa genas, apparet ijsdemque rubedinem inducit, quia musculi ibi molliores, vide Keck. syst. Eth. lib. 3. cap. 1. Hinc quando in pueris, & adolescentibus, qui indecoro aliquo perpetrato dolent, hæc rubedo apparet, futuræ probitatis indicium est. Unde *Socrates* Xenophontem juvenem probum laudavit, quod purpura Virtutis, hoc est Verecundia malas tinxerat. Et *Filia Aristotelis* interrogata, quis nam color pulcherrimus, Respondit: *Rubedo, quæ per Verecundiam ingenuis suboritur.* Contrà non ita probæ & candidæ naturæ censentur illi homines, qui ad delicti exprobrationem saltem pallescunt, quia in illis saltem est metus infamiæ, & turpitudinis, non etiam amor honestatis & dolor, unde & propter solum metum infamiæ spiritus & sanguis ad cor refugiunt, illudq; constringunt, ut futurum malum fugiant; sanguine autem, qui corpori floridum & roseum colorem tribuit retracto, inducitur palliditas. Vide Coll. Connimb. de Vita & Morte cap. 8. quæst. 2. 4. *Oppositum* Verecundiæ, *quod peccat (1.) in excessu, ut Paviditas*, qua infecti omnem umbram dedecoris metuunt. (2.) *in Defectu, ut Impudentia*, quo affectu contaminati homines, nullo dedecoris vel infamiæ metu à turpi deterrentur, imò omnem honestatem abjecerunt, & abjurarunt. De hisce vitijs plura invenies ap. Keck. d. l. 2. *MISERICORDIA, de qua* hic notetur. 1. *Notatio, juxta quam Misericordia dicitur à miseria (1.) non Subjecti* possidentis hunc affectum, hoc est, ejus qui miseretur. (2.) *sed Objecti*, hoc est, ejus erga quem misericors sum. 2. *Definitio*, quæ hæc esto. *Misericordia est condolentia, orta ex adversis rebus proximi, qui imbecillior, seu indignè, & præter meritum affligitur.* Hinc patet Misericordiam non esse Virtutem, quia ex solo Naturæ impulsu atque metu existit, & surgit, quod de Virtute tanquam habitu acquisito dici nequit. 3. *Objectum*, erga quod exercetur Misericordia *quod est Homo. (1.) Imbecillior & in-*

NB.

NB.

4. *Oppositum.* 1. 2.

(2.) *Misericordia de qua.*

1 Notatio
2. Definitio.
3. Objectū 1.

& infirmior ad aliquid vel agendum vel sustinendum; ut sunt Infantes, mente capti, pueri, viduæ, omni humano præsidio destitutæ, inopes, & egeni. (2.) *Indigne & præter Meritum afflictus.* Nam ubi dignè, & ex vi justitiæ mala contingunt, ibi Misericordiæ locus non est. Unde nemo mentis compos, ad Parricidæ, Proditoris, & similium nebulonum supplicium, quod merentur, misericordiâ commovetur. 4. *Oppositum quod peccat*; (1.) *in Excessu, ut nimia Misericordia*, qua etiam eos, quos justitia pœnæ subjecit, cupimus exceptos à pœna (2.) In defectu *ut Immanitas, seu Immisericordia*, qua aliorum malis non afficimur, nec ijs cupimus opitulari. *II. Acquisita, seu Industriâ nostrâ comparata*, quæ secundum magis dicitur Semivirtus, quia hæc vox ipsi magis propriè, & secundum majorem rigorem competit. *Hæc* rursus *triplex* à nonnullis constituitur. *1. Continentia. 2. Tolerantia.* 3. *Obedientia.* de singulis breviter.

4. Oppositum. 1. 2. II. Acquisita qua.

XVI. De Continentia notetur Consideratio. I. Nominalis, quæ duplex. (1) *Notatio*, juxta quam Continentia derivatur à Continendo, quod notat invitum & repugnantem quasi tenere, quia in Continente adhuc datur pugna quædam affectuum, rectæ rationi repugnantium, unde ipsi refrænandi sunt. (2) *Æquivocatio, juxta quam Continentia* absolutè sumpta (absq; adjectione alterius alioq; termini, V. G. Honoris, lucri, iræ, &c.) dupliciter *supponitur.* 1. *Perfectè pro habitu perfecto Temperantiæ*, & quidem (1) *Totali*, hoc est, pro tota Temperantia versante circa alimentum & Venerem, adeoq; pro Frugalitate, & Castitate. (2) *Speciali, & partiali*, pro sola Castitate, quæ est species Temperantiæ, juxta disp. 7. Neutra suppositio huc pertinet, quia hîc agitur non de Virtute, qualis est Temperantia, sed semivirtute saltem, & habitu Imperfecto. *II. Imperfectè*, pro habitu imperfecto, quo bonum & rectum in oblectamentis eligimus, sed cum pugna interna sensuum. Sic hoc loco accipitur. Idem judica de Incontinentia. *2. Realis, in qua* ejus notetur. 1. *Definitio.* 2. *Objectum.* 3. *Oppositum.*

(1.) *Continentia cujus consideratio.* 1. Nominalis *in qua.* 1. *Notatio.* 2. *Æquivocatio.* 1. (1.) (2.) 2. Realis *in qua.* 1. *Definitio*

XVII. Definitio hæc esto. *Continentia est dispositio proba*

acquisita, qua homo ductu rectæ rationis & honestatis gratia, sibi à voluptatibus temperat, cupiditate repugnante. Hæc definitio
1. *resolubilis est in conceptum duplicem.* 1. *Genericum*, qui est dispositio proba acquisita, per quam hîc intelligitur Habitus imperfectus, qui propter imperfectionem suam dicitur dispositio, nos disponens ad perfectum habitum seu veram virtutem, tanquam via ad suum terminum. Hac voce Continentia, & sequentes Semivirtutes distinguuntur à Virtute perfecta, & Vera. 2. *Specificum quasi & strictiorem, qui*
2. *desumitur.* 1. *à norma dirigente*, videlicet rectâ ratione, cui obtemperat Continentia. 2. *à fine generali*, vid. honestate. Quibus duobus terminis Continentia à Pertinacia distinguitur.
(1.) (2.) NB. Licet enim utrobique notetur perseverantia quædam in proposito, seu opinione: tamen *Continentia* notat perseverantiam tantum in rectis, & bonis, adeoque in sententia bona, & quidem propter certas rationes, non propter animi motus; Contrà *Pertinacia* notat Perseverantiam in quacunque sententia sive bona sive mala, & quidem propter cupiditates
(3.) suas, quia vincere alios vult, & nemini cedere. 3. *ab objecto,*
(4.) videl. Voluptatibus, de quibus thes. seq. 4. *à proprio*, videl. cupiditate repugnante, per quam ut ab omni virtute, sic potissimum à Temperantia distinguitur. Temperantia enim domitas habet cupiditates, & rectæ rationi consentaneas; contra Continentia, licet in gratiam cupiditatis nihil faciat, neque illius ductum sequatur; tamen nondum habet sat domitas cupiditates, quippe quibus importunis, & rectæ rationi repugnantibus flagrat, unde in ijs aureo Palladis fræno, hoc est, recta ratione cohercendis adhuc laborat. *Temperans* itaque se habet atque victor, qui hostem jam superavit, ac victoriæ palmam reportavit. *Continens* autem est instar militis, qui constanter cum hoste forti adhuc pugnat. Idem Judica de subsequentibus semivirtutibus.

2. Objectũ. *XVIII. Objectum* circa quod versatur Continentia, *est idem cum Temperantiæ objecto*, ut sunt Voluptates, respicientes alimentum, & Venerem, de quibus vid. disp. 7. th. 7.

3 Oppositũ *XIX. Oppositum*, Continentiæ est *duplex* videl. *peccans.* 1.

In

In Excessu, *ut Incontinentia*, qua quis contra Judicium rectæ rationis à pravis cupiditatibus quodammodò invitus ad peccandum abripitur. *Hujus consideratio* hic *duplex* adhuc instituti potest. (1.) *Absoluta* qua in se consideratur, *quoad* 1. *Modũ peccandi*, de quo quæritur; *An Incontinens* (qui priusquam surgant animo motus, non ignorat pravum esse quod admittit postea) *sciens*, *an Inscius peccet*? In cujus decisione duplex notetur *distinctio* 1. *Inter scientiam seu noticiam consideratam ratione nudæ possessionis*, qua quis scientiam nudè possidet, absque actuali usurpatione, ceu patet *Exemplo Citharœdi*, qui dormiens Citharizandi artem scire dicitur; *& ratione ulterioris applicationis*, *& usurpationis*, qua quis scientia ea utitur, dum scita in agendo considerat. *Priori modo agit sciens*, quia scit, quæ honesta sunt, & turpia, ceu patet experientia. Vir enim Incontinens, dum voluptatibus ducitur, interrogatus, an rectè faciat, ipsemet fatetur, se vitium sequi, & deserere id, quod melius. *Posteriori* autem *modo agit inscius*, dum non revocat sibi ad animum quæ scit, nec actu nunc eorundem quidquam contemplatur. Scire autem quenquam aliquid interdum, de quo tamen non cogitet, imò nec cogitare quandoque velit, patet Exemplo eorum, qui genio, & libidini indulgent suæ, qui cum in Venere & Vino sunt, præcepta Temperantiæ audire nolunt, certè ideò quia illa avocatura se ab Instituto suo, & à voluptate sciunt. 2. *Inter syllogismi Practici Propositionem Universalem*, qualis est hæc: *Omnis cupiditas*, *quæ adversatur honestati*, *fugienda aut compescenda est*: *Et inter particularem*, qualis est hæc: *Hæc est cupiditas*, *quæ honestati adversatur*. *Illam* Incontinens scit; *hanc* nescit, *vel* planè ignorat, *vel* in agendo non considerat, propter vehementes animi perturbationes, quæ faciunt, ut quod apprimè sciebat antea, id ignoret nunc, aut certè de eo non cogitet, dum amabilis ejus species, quod volupe est, sensui tam fortiter impressa est, ut illum continuè solicitet, imò stimulet, ut Incontinens animum impleat. Unde idem ipsi obtingit,

(1.)

NB.

NB.

tingit, quod aliàs ebrijs furentibus, aut dormientibus; dum enim animus *vel* ebrietate obrutus, *vel* furore correptus, *vel* somno tantum occupatus est, non cogitat, quod aliàs benè scit. Ad eundem modum cupiditas Venerea, aut similis perturbatio universum corpus alterat; imò tam vehementer sæpè immutat, ut nonnullos ad insaniam adegisse constet. Et licet in ipsa perturbatione Incontinens interdum ea proferat, quæ videntur à perfecta, & plena scientia proficisci, tamen ut histrio sententias recitat, & dat sine mente sonum, *dat caussa & inania verba*, ad Exemplum *tum* ejus, qui in furore multa pronunciat, quæ ipse nescit; *tum* pueri, quum discit primùm, recitare Carmina Poetarum potest, quæ nondum tamen satis intelligit. NB. Ubi *notes velim, Universalem Propositionem* adhuc *considerari dupliciter.* (1.) *Abstractè & seorsim*, à rebus singularibus, & sic Incontinens illam scit. (2.) *Concretè* in ipsis rebus & singularibus, & sic illam ignorare quandoque potest, cum multa sciantur in genere, quæ tamen ignorantur in specie, ita ut non obstat, quod aliàs Propositio universalis sub se complectatur Particularem, V. G. sit hæc universalis. *Omne turpe est fugiendum*: Eam incontinens libenter concedit. De particulari autem ista: *Hoc est turpe* dubitatio oritur; imò planè etiam falsa esse videtur; unde non tantum conclusionem contemnit, cum de Minoris Veritate non constet; sed & alium instituit discursum hoc modo; *Quicquid honestati non adversatur, illud facere licet*: *Atqui hoc* (puta indulgere Veneri, aut vino eo modo, quo Incontinens aliàs solet) *honestati non adversatur*: Ergo &c. 2. *SPECIES*, juxta *quas Incontinentia* statuitur *duplex* (1.) *Præcipitantia*, qua subitò per Imprudentiam ad peccandum per vehementiorem affectum prolabimur. (2.) *Infirmitas*, qua aliquandiu pravis cupiditatibus resistentes, tandem succumbimus.

(2.) *(II.) Respectiva, qua Incontinentia confertur cum Intemperantiâ, quo ad mutuam discrepantiam, quæ datur, ratione* 1. *Consequentis.* Incontinentem enim sequitur facti pœnitentia;

tia; Intemperantem verò non, cum per electionem fecit, quod commisit. 2. *Durationis*: Intemperantia est malum continuum, veluti hydrops, Phtisis; &c. Incontinentia autem secus; quippe quæ saltem ex Intervallo recurrit. 3. *Notitiæ*, Intemperantia latet eum, qui ipsi obnoxius est, quippe qui rationem tam corruptam habet, ut sit ægris similis, qui tam vehementer laborant, ut non sentiant amplius se ægrotare: Ast Incontinentia non latet Incontinentem. Ex hisce simul patet, Intemperantiam Incontinentia longè peiorem & deteriorem esse. *(II.) In Defectu*, quod proprio nomine caret.

XX. *De Tolerantia* hic breviter notetur. *I. Definitio*, quæ hæc, *Tolerantia est dispositio proba, qua res adversas & laboriosas, cum luctâ, & conjuncto quodam dolore, perferimus solius honestatis gratia. In qua* Definitione *Tolerantia distinguitur à Fortitudine, per vocem. 1. Dispositionis*, quæ in Tolerantia notat habitum imperfectum, cum contra Fortitudo sit perfectus habitus. 2. *Luctæ*, quam inter appetitum & rationem persentiscit tolerans, quam tamen non experitur Fortis, II. *Objectum, quod est Dolor*, qui ex Voluptatis absentia percipitur, vid. disp. 13. *Circa hunc* dolorem *versatur* Tolerantia, eum *perferendo* magis quam superando. Unde ipsi resistit, ne ab ipso vincatur. III. *Oppositum, quod peccat. 1. In Excessu, ut Duities, seu Obduratio*, qua quævis adversa sine honestatis ratione perferuntur. Species ejus vide ap. Rev. & Excell. Dn. D. Jac. Mart. Eth. lib. 2. cap. 21. 2. *In defectu, ut Mollities* qua nullos dolores aut molestias honestatis gratia sustinere possumus, sed ab omnibus, iisque levissimis, doloribus vincimur.

2.
(II.) Tolerantia de qua.
1. Definitio
2. Objectū.
3. Oppositū 1.
2.

XXI. *De obedientia* hic breviter duplex notetur *consideratio. I. Nominalis. II. Realis.*

XXII. *In Nominali* notetur. I. *Notatio*, quæ hîc facilis, dum Obedientia compositivè deducitur ab *ob & audio*, mutato Au in E productum. *II. Æquivocatio, juxta quam Obedientia sumitur pro actu* 1. *Primo*, h. e. pro dispositione obtemperandi. *Hæc* hîc intelligitur, & *duplex* aliàs constituitur. *(1.) Ecclesiastica & spiritualis*, quæ est dispositio & affectio congrua legi divinæ, de qua Exod. 24. v. *3. Omnia hæc verba,*

(III.) Obedientia, cujus considerationis.
1 Nominalis.
2.
1.
(1.)

quæ edixit Jehova, faciemus. (2.) *Philosophica*, quæ notat dispositionem implendi ea, quæ à Prudentioribus *tum* in Politicis, *tum* in Oeconomicis præscripta sunt. Hæc, non illa, hîc intelligitur. 2. *Secundo*, h. e. pro actione, prodeunte ex illa dispositione, adeoque pro ipso actu, quo obtemperamus. *Hæc* hîc non attenditur.

(2.)

2. *Realis*, *quæ* (1.) Respectiva. (2.) Absoluta *in qua* (1.) *Definitio.* (2.) *Objectum.* (3.) *Distributio.*

XXIII. *Realis* consideratio *duplex* rursus esse potest. I. *Absoluta*, qua Obedientia in se nudè consideratur. *II. Respectiva*, qua ipsa consideratur in collatione cum opposito, quod est *Inobedientia*, quæ notat prævaricationem mandatorum & præscriptorum. Verum hujus natura satis est cognita.

XXIV. *In Absoluta* consideratione *notetur obedientiæ. I. Definitio*, quæ hæc esto: *Obedientia est dispositio laudabilis implendi ea, quæ à prudentioribus præscripta sunt, honestatis & decori gratia. II. Objectum, quod* est *mandatum superioris legitimi*, cui obedientiâ debeo eatenus, quatenus est superior legitimus, quod probè notetur contra tyrannidem. Licet enim omnis potestas à Deo, abusus tamen ejus & mutatio in tyrannidem non à Deo, sed à Diobolo est. *III. Distributio, juxta quâ Obedientia duplex est.* 1. *Politica & Civilis*, quam subditus debet suo Magistratui. Rom. 13. 6. Prov. 24. 21. De hac in Politicis Deo auxiliante fusiùs agetur. 2. *Oeconomica seu Domestica, quæ* in domestico statu observatur, estq; (1) *Servilis*, quam servi dominis debent, de qua vide Eph. 6. v. 5. 6. & 1. Tim. 6. 1 (2.) *Filialis*, quam liberi parentibus debent, de qua vide Eph. 6. v. 1. Colos. 3. 20. (3.) *Conjugalis*, quam uxor marito debet, de qua lege Colos. 3. 18. Ephes. 5. 22. 1. Pet. 3. 1.

Corollaria Physica.

I. *An Ignis necessariò & semper urat? N. exemplo 1. flammæ, ex spiritu vini* incenso, quæ nec absumit linteum, cui imponi-

ponitur, nec manum lædit, qua contrectatur. 2. *ignis lambentis*, de quo in Meteorologia.

II. *An Anima sit tota in toto corpore & tota in qualibet parte corporis?* Aff. de totalitate substantiæ & essentialium perfectionum.

III. *Cur ignis, è silice excussus, deorsum feratur? R.* 1. *ob pabuli*, quod sequitur, *situm.* Cum enim fomes silici supponatur, fit ut ad fomitem, ceu alimentum, deorsum tendat. Simile enim allicit simile. 2. *ob directionem excutientis.* Cum enim silex in attritu deorsum movetur, ignis unà rapitur, cum contrà si in attritu sursum moveatur ignis etiam sursum eat, tametsi propter particulas chalybis & silicis adhærentes, ut & pabulum suppositum, deorsum tandem rursus vergat.

IV. An sol sit calidus? R. Non παθητικῶς seu subjectivè, sed ἐνεργητικῶς h. e. effectivè.

SOLI DEO SIT LAUS
ET GLORIA. Præ-

Præstantissimo atq; Eruditissimo

DN. RESPONDENTI,

Amico colendo.

Fertiles si non renovantur agri
Erigit lappa en virideis lacertos,
Ludit & messem Paliurus herbis
Asper acutis.

Arva sic si non Genÿ ligones
Palladis versant, capiuntque sulci
Delÿ semen; tribuli Coloni
Vota refellunt.

Docte consors Pegasidum sororum,
Non sinis regnent tribuli, sagacis
Sed vigil culta irpicibus fatigas
Jugera mentis.

Ceu Thymi libant apium caterva
Nectar, & carpunt meliloton, albam &
Quam rosam tinxit Cytherea rubro
Diva cruore.

Aridum ceu sirpiculâ Colonus
Amputat ramum, inserit & feracem;
Sedulus sic tu sophiæ pererras
Jugera culta,

Et legis flores virideis stagiræ.
Perge, niceteria te manebunt
Ampla, nam vera est genitrix honoris
Splendida virtus.

Benevolentiæ ergò Deproperabam.

M. Johannes Elerus Rigâ-Livon.

COLLEGII PRACTICI GENERALIS
seu ETHICI
DISPUTATIO DECIMA TERTIA
ET VLTIMA
DE

AMICITIA, UT ET DE VOLUPTATE ATQVE DOLORE,

Quam
Auspicio Sacrosanctæ Trinitatis
Et
Consensu Amplissimi Senatus Philosophorum
In
Incluta ad VARNUM Academia
SUB PRÆSIDIO
M. JOHANNIS ELERI
Rigâ-Livoni.
Defendendam suscipiet
BALTHASAR KNÖVENAGELIVS
Perlebergâ-Marchita,
Ad d. 23. Junij horis antemeridianis.

Plutar. in Moral. *Ut vas experiamur, aquam non vinum infundimus; Ita frivolum quiddam aliquando committendum amicis, quò silentij fidem experiamur, ut si effutiant, nihil sit periculi.*

Cic. l. 4. ad Herennium: *Ut hirundines æstivo tempore præstò sunt, frigore pulsæ recedunt; Ita falsi amici sereno vitæ tempore præstò sunt, simul atq; fortunæ hyemem viderint, devolant omnes.*

ROSTOCHI
Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ. Anno 1672.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0437
DFG

THESIS I.

Monui disp. 2. th. 36. *ad concomitantia* & circumstantia *summi Boni* Ethici, *quæ* forinsecus accedunt, & summum Bonum *tum adjuvant, tum illustrant, pertinere etiam Amicos*, qui mutua Benevolentia se prosequuntur. Cum autem chartæ angustia accuratam Amicitiæ tractationem ibi non admiserit, eam in præsentem rejeci disputationem, unde hic *duplex* notetur *Amicitiæ consideratio I. Nominalis* seu secundum nomen. *II. Realis*, seu secundum rem, pro qua vox Amicitiæ supponitur & accipitur. *AMICITIÆ consideratio.*

II. In Nominali consideratione *notetur I. Notatio*, juxta quam Amicitia *ab amando* derivatur teste Cicerone l. 2. de finibus, ubi ait: Quid autem est amare, à quo nomen amicitiæ deductum est, nisi velle aliquem bonis affici quàm maximis. *II. Æquivocatio, juxta quam vox Amicitiæ supponitur tripliciter 1. Generalissimè* pro quacunque rerum naturalium mutua convenientia & συμπαθεία seu compassione. Hoc modo pluvia dicitur amica plantis, olea myrto, ulmus viti. 2. *Prestius & strictius* aliquantùm pro quovis appetitu societatis & affectu amabili, qui est *tum* in beluis, *tum* in hominibus inter se, vel ad animalia quædam bruta E. G. Sic naturaliter ovis amat ovem, seq; illi associat. Sic & homo canem amat. 3. *Strictissimè*, pro ut soli homini accommodatur & accipitur pro mutua inter homines benevolentia nec occulta nec incognita. Et sic h. l. supponitur. *Hæc* autem *rursus duplex* aliàs statuitur (1.) *Pro affectu nudo*, qui est inter localiter distantes, qui licet animo amicè sint affecti, tamen propter locorum distantiam amicitiæ munia exe- *I. Nominalis.* in qua I. Notatio II. Æquivocatio. 1. 2. 3. (1.)

qui non possunt, unde amicitiæ usus maximè impeditur. Hæc hîc non intelligitur, unde potiùs benevolentia, quã amicitia dicenda censetur. (2.) *Actu ipso*, qui est inter præsentes, qui unà viventes consuetudine sua inter se fruuntur & gaudent, mutuaq; officia invicem sibi præstant. *Hæc h. l. intelligitur, quia nihil tam amicorum proprium esse videtur, quam unà vivere, & iisdem gaudere, ceu patet ex* (1.) *exemplo eorum*, qui consuetudine amicorum se oblectant, etiamsi nullam utilitatem inde sperent, nulliusq; rei indigi sint, cum beati esse non posse sibi videantur, si soli vivant. (2.) *Exemplo oppositorum senum morosorum & hominum acerborum*, qui ad amicitiam inepti sunt, cum jucunda eorum non possit esse consuetudo. Cum enim maxima convictui delectatio insit, hæc quasi anima amicitiæ statuitur, ita ut nihil jucundius putetur, quam propter virtutis studia unà vivere, hisq; se inter se oblectare.

(2.)

II. *Realis*, quæ 1. Absoluta, in qua.

III. *Realis* Amicitiæ *considerationi duplex* constitui potest. 1. *Absoluta*, qua ipsa in se consideratur. 2. *Respectiva*, qua ipsa consideratur in collatione cum aliis.

IV. *In Absoluta* consideratione *notetur* 1. *Definitio*, 2. *Affectio*, vid: *adjuncta Necessitas.* 3. *Causæ.* 4. *Munera seu officia.* 5. *Circumstantia temporis* 6. *Distributio.*

(1) *Definitio*, in qua conceptus.

V. *Definitio* hæc esto: *Amicitia est benevolentia mutua inter aliquos, non occulta nec incognita, sed perspicuè actuosa, & quidem ob bonum aliquod amabile* Hæc definitio *resolubilis* est *in conceptum* duplicem. 1. *Latiorem.* 2. *Strictiorem* magis.

(1) Latior

1.

2.

VI. *Conceptus latior*, seu Genericus *est benevolentia seu* εὔνοια, quæ est bona q. voluntas, qua bona alicui volumus. *Constituitur* autem *duplex* aliàs *Benevolentia* 1. *Generalis*, qua simpliciter bona alicui volumus, ita ut bonâ volitione tantùm terminetur. Undè à nonnullis dicitur Theoretica Benevolentia. 2. *Specialis*, quæ ipsum velle in effectum externum producit. Unde & Practica nominatur. Intelligitur autem hîc loco Generis benevolentia generalis, non specialis. *Esse* autem *Generalem*

hanc

Hanc Benevolentiam conceptum generi cum seu Genus *Amicitiæ patet ex ejusdem tum* essentiali competentia, *tum* inadæquatione seu majori latitudine h. m. Quicquid de Amicitia prædicatur essentialiter seu synonymicè, ita ut tamen sit latius ipsâ Amicitiâ, illud est ejus conceptus genericus seu Genus. Atqui de Benevolentia verum prius. E. & posterius. *Major* patet ex conditionibus Generis, quæ sunt *tum* essentialis competentia, qua essentialiter prædicatur de subsstratis speciebus; *tum* major latitudo, ob quam cum singulis speciebus reciprocari nequit. *Minor probatur* membratim, & quidem 1. *de essentiali prædicatione seu competentia*. Cum enim Benevolentia sit volitio, qua alter alteri benè vult, nemo certè negabit, hanc esse generalem amicitiæ naturam, primumq; ejus fundamentum, quippe sine quo amicitiæ natura consistere nequit. 2. *De majori latitudine*, qua Benevolentia latior est ipsâ Amicitiâ, *ceu patet* (1.) *ex defectu mutui amoris*, sine quo Benevolentia esse potest, Amicitia propriè dicta non item, (2) *Ex defectu auxilij, & beneficentiæ*. Benevolus enim, absolutè sumtus, præcisè alteri benè vult & cupit, licet facere & periculum adire non curet, quod tamen contrà observat amicus, (3.) *Ex adjuncta occultatione*, qua Benevolentia potest esse occulta & inter ignotos, dum subitò in ludis etiam erga pugilem egregium existere potest, Amicitia non item. Argumenta, quæ contra hanc nostram sententiam adducit Keck. l. 3. syst. Eth. cap. penult. in ip. conflictu discutiam. Ex hisce jam facilè *patebit error* 1. *Keckerm.* qui d. l. ait, quod amicitia sit unio, ad eoq; in Categoria Relationis. *In quibus verbis duplex vitium* complicatur (1.) *de assignatione generica*, quod vid: unio sit verum Genus Amicitiæ, cujus falsitas hoc discursu probari solet. In quocunque plura extrema constituuntur & denominantur unum quid, in illo unio propriè consistit tanquam in tertio, in quo vid: extrema conveniunt & unum sunt. Atqui (non in Amicitia sed) in medio vid: virtute, utilitate, jucunditate, plura illa extrema vid:

NB.

(1.)

(2.)

Error 1. Keckermanni. 1.

ma vid: amici constituuntur & denominantur unum quid. E. in medio illo triplici, tanquam in tertio, unio illa propriè consistit. *Major* patet ex natura unionis, quæ est copulatio plurium extremorum in communi aliquo tertio, ob quod extrema illa copulata unum quid fiunt. Unde in illo propriè est unio, in quo duo sunt unum. *Minor* probatur, quia amici conveniunt *vel* in virtute, *vel* in utilitate, *vel* in jucunditate, tanquam in tertio copulationis, dum in hoc triplici medio ita inter se conveniunt, ut actu unum fiant. Unde Rev. & Excel. Dn. D. Jac. Martini præc. meus honoran. in disp. 13. de summo Bono q. 8. ait: Amicitiam esse illius unionis saltem causam externam & efficientem q., quippe per quam fit, ut duo amici
2. sint unum quid in tertio certo, vid. virtute vel alio. (2.) *de assignatione categoricæ*, quod vid. Amicitia eo ipso, quod unio sit, in prædicamento Relationis collocetur. Si enim vel maximè *Amicitiæ ratio* generalis consisteret in unione, *nondum* tamen *in prædicamento Relationis esset*, (1.) *ob unionis transcendentalem naturam*, quæ omnes categorias ita transcendit, ut in singulis fermè dari possit. Quod enim omnibus Prædicamentis commune esse potest, illud certam speciem Prædicamentorum constituere nequit. (2.) *Ob Amicitiæ ἐνέργειαν & efficaciam*, qua ipsa non est pigra quædam benevolentia, sed efficax. Ast relationis prædicamentalis nulla est efficacia, nulla actio, de quo Canone fusius agam in tractatu meo Axiomatico. 2. *Eo-*
2. Aliorũ. *rum, qui statuunt Amicitiam esse Virtutem, cujus falsitas pa-*
1. *tet (1.) ex principio diverso*, quia Virtus est in nostra potestate, Amicitia non item, quippe quæ pendet ex mutuo al-
2. terius erga nos amore. (2.) *Ex operatione diversa*, quia certo respectu virtute præditus & probus quis esse potest, licet familiariter aliis non utatur, & cum iis conversetur, ceu patet de illis virtutibus, quæ ipsum possidentem perficiunt. Ast in Amicitia secus. (3.) *Ex dependentia Ami-*
3. *citiæ a virtute morali*, quippe quam Amicitia præsupponit, nihil autem seipsum præsupponere potest. Propter quam

depen-

dependentiam absente Amicitiâ Virtus adhuc adesse potest. Vide Piccolom. gr. 7. c. 9.

VII. Conceptus strictior seu specificus magis *desumitur I. à subjectis*, quæ sunt homines aliqui, dùm in definitione dicitur Amicitiam esse benevolentiam inter aliquos. Unde in inanimata & bruta Amicitia non cadit, quippe inter quæ reciproca ἔννοια non datur. *II. Ab adjuncto duplici, vid. 1. Reciprocatione*, juxta quam Amicitia debet esse mutua & reciproca, consistens in mutua affectione. Unde ad Amicitiam non satis est, ut unus tantum amet alterum, sed requiritur ἀνθφίλησις, qua amatus amantem redamet. Ubi tamen *notes velim, præstabiliorem esse amorem activum, seu τὸ amare, quàm passivum seu amari. Ratio* diversitatis gradualis *desumitur à fine diverso. Qui enim amari malunt, non per se id expetunt, sed* (1.) *ob spem lucri*, quæ, si amentur à ditioribus, sperant se accepturos ab ipsis, quo indigent. (2) *Ob conceptam virtutis confirmationem*, qua si à præstantioribus amentur, opinionem de virtute sua confirmari putant, quam de ea ipsi animo conceperant. *Contrà* amare per se expetitur, ceu patet exemplo matrum, quæ liberos impensissimè amant, tum etiam, quando illi redamare ipsas per ætatem nondum possunt, imò quando jam redamare possunt, non adeò id curant, modò vivant liberi, & benè iis sit, ut habeant, quod ulterius ament. *2. Manifesta perspicuitate, quæ* in definitione *circumscribitur verbis* (1.) *Negativis*, dum dicitur Amicitiam esse debere non occultam, neq; incognitam, quia inter ignotos non datur amicitia, ita ut, quibus non constat de mutua inter se benevolentia, illos nemo amicos dicat, sed benevolos. Unde ab amicitia excluditur illa benevolentia, qua diligimus ignotos, vel eos, quibus de amore nostro nihil constat. (2.) *Positivis*, dum dicitur amicitiam debere esse perspicuè actuosam, & ut Cicero in Lælio ait, officiosam, quia amici non est tantum bene velle, sed multòmagis benefacere. Quocirca officiis sublatis, quod sæpè longo locorum intervallo & silentio fieri solet, tollitur quoq;

(II.) Strictior, qui desumitur.
1. à subjectis.
2. *ab adjuncto, vid.*
(1.) Reciprocatiõe NB.
1.
2.
(2) Manifesta perspicuitate.
1.
2.

quoq; omnis amicitia, juxta illud Isocratis: ἡ ἀπροσηγορία πολλὰς φιλίας διέλυσε: *Multas amicitias silentium diremit*, vide & thes. 2. *III. à causa impulsiva*, quæ est bonum aliquod amabile, quale est *vel* virtus, *vel* jucunditas, *vel* utilitas.

3. *à causa impulsiva.*

II. *Affectio*, vid: Necessitas expedientiæ, quæ probatur 1. ex natura hominis. 2. ex distributione status.

VIII. Affectio, Amicitiæ generalis *est adjuncta ejus necessitas* (*non* quidem *absoluta*, quasi nullo modo amicis carere possemus, *sed*, ut vocant) *expedientiæ*, qua non facilè iis carere possumus, si nimirum expeditè & benè vivere cupiamus, *ceu patet I. ex natura hominis*, qua ipse est πολιτικὸν ζῶον, neq; solitariâ vitâ delectatur, quod & ex ipsarum civitatum constitutione patet, dum concordiæ studere cives unicè volunt legumlatores. *II. Ex distributione status, seu omnis vitæ generis, dum amicitia est necessaria in statu & secundo*, dum qui bonis omnibus aliis abundant, & amicis insuper ideò opus habent, ut bona sua possint communicare, cum bona illa revera bona non sint absq; beneficentia, hæc autem non absq; amicitia facilè; *& adverso*, dum similiter, qui rebus adversis utuntur, ad solos amicos perfugium habent. Hinc *Amicitia necessaria est 1. omni vitæ generi, ita ut etiam Beatus indigeat amicis virtute præditis.* (1) quia amicorum ope præclariùs omnia agit, ita ut felicitas diu sine amicitia subsistere nequeat. Quò enim major felicitas, eò major invidia plerunq;, quæ contra felicitatem negotiosissima & operosissima est, dum omnia incommoda molitur. Hæc autem incommoda amici pro viribus amovere & amoliri poterunt. (2) *quia summum Bonum in actione virtutis* juxta Aristotelem *consistit*, hæc autem respicit objectum, cui bonum illud vult communicari. Non enim convenientius dabitur objectum hujus communicationis, quàm amicus virtute præditus, quippè cujus virtute beatus se oblectat, & in quo suam contemplatur. Ex quibus jam *patet, quare tione Amicitia in Ethicis tractetur, quia vid: est aliquid concomitans summum bonum, quod confert ad ejus benè esse. Dico notanter* ad ejus benè esse, quia licet summum bonum absolutè si con-

1.

(1.)

(2.)

NB.

si consideretur & in se, possit esse sine amicorum conjunctione, tamen sine illa bene esse, ultimamq; suam perfectionem & splendorem obtinere nequit. 2. *Omni ætati apte & convenienti*, & quidem (1.) *Adolescentiæ*, ut moneantur adolescentes ab amicis, sicubi delinquunt. (2.) *Virili ætati*, ut in ea homines actiones honestas & præclaras eò rectius obeant. Hic enim, si ulla in re alia, verissimum est illud Diomedis apud Homerum Σύνθ δὺ ἐρχομένω, commonefaciens, si plures idem agant, intellecturos & perfecturos omnia meliùs. (3.) *Senectuti* etiam, ut quæ senes per corporis imbecillitatem ipsi nequeunt, expediant per amicos.

2.
(1.)
(2.)
(3.)

IX. *Causæ* Amicitiæ constitui possunt *duplices. I. Efficiens, quæ considerari potest* (I.) *Generaliter, & tunc causa* Amicitiæ ab Aristotele *ponitur unica Æqualitas.* Si enim nimis magnum intervallum sit, ut nulla amplius comparatio esse possit & æqualitas, cessat amicitia. Ita non est amicitia inter Deum & hominem, inter vilissimum verberonem & Regem, inter hominem stupidum seu rudissimum & virum sapientissimum. Unde etiam querelis, in amicitia subortis, occurritur retributionis æqualitate, ceu inferiùs patebit. *Statuitur* autem tunc *illa Æqualitas duplex. 1. Arithmetica*, quæ inter pares locum habet, & consistit in officiorum, conditionum & vitæ generis æqualitate simplici, adeoq; in quantitate simplici. *Hæc hîc in Amicitia primarium locum obtinet*, quia quò major est inter aliquos inæqualitas, eò minor & difficilior ad amicitiam *tum* contrahendam, *tum* continuandam dabitur proclivitas. Nam qui olim æquales erant amici, ubi postea alteratio eorum contigit aliquantula dignitate aucta, sæpè amici esse desinunt, & contrarium induunt habitum. *2. Geometrica*, quæ inter impares, & quoad dignitatem inæquales, datur, & consistit in proportione & comparatione rationum, qua personarum inæqualitas prudenti & convenienti officiorum æqualitate compensatur, ita ut cuiq; id tribuatur, quod ei debetur. v. g. quando parentes

(III.) *Causæ*, quæ (1.) Efficiens, quæ consideretur. *1. Generaliter.*

1.

NB.

2.

liberis præstant educationem, hi autem illis viciſſim debitam reverentiam, perſonarum illa inæqualitas officiorum proportionata æqualitate compenſatur, dum unicuique ſuum exhibetur, unde & amicitiam inire poſſunt. Sic juxta geometricam æqualitatem is, qui præſtantior eſt, magis diligatur, quam diligat. *Hæc Æqualitas in Amicitia quoq; attenditur, ſed ſecundario*, quia Arithmetica æqualitas magis eſt de natura amicitiæ. (II.) *Specialiter*, dum ſpecialiter enumerantur illæ cauſæ, in quibus eſt æqualitas *vel* Arithmetica, *vel* Geometrica, & quæ Amicitiam producũt. *Hæ cauſæ procreatrices* Amicitiæ à Rev. & Excell. Dn. D. Jac. Mart. de ſummo Bono diſp. 13. *conſtituuntur duplices. 1. Primaria quæ* ſunt (1.) *ipſa Natura*, quæ hominem animal ſociabile finxit. Non poteſt a. homo Politicam ſeu civilẽ agere vitam ſine amicitia, quippè quæ in ſocietate conſiſtit teſte ipſo Philoſopho l. 8. Eth. Nic. c. 9. (2.) *Æqualitas ſeu ſimilitudo ætatis, ingenij, ſtudij*, quod patet *tũ* ex oppoſitio, vid. morum diſſimilitudine, quæ amicos diſſociat juxta Ariſtotelem l. 1. œcon. c. 4. *tum* ex teſtimonio Plutarchi in l. de adul. ab amicis diſcernendis, ubi ait: Seni ſenilis lingua jucundiſſima eſt; pueroq, puer: & mulier apta fœminæ: ægrotus itidem ægroto. (3.) *Converſatio & conſuetudo*, qua mores & mentem alterius exploro, ita ut notitia illa ſit primum omnis amicitiæ fundamentum. (4.) *Propinquitas* & cognatio juxta nonnullos. 2. *Secundariæ, quæ* ſunt (1.) *Jucunditas, ſeu oblectatio mutua*, quæ præcipuè familiaritatis & converſationis deſiderium juvenum animis inſtillat. (2.) *Utilitas*, qua ut muſcæ ad culinæ nidorem advolant, ſic potior hominum pars ad fortunam potiorem & utilitatem. Hæc tamen amicitia, ſi nil virtutis continet, vera & firma non eſt juxta effatum Syracidis c. 6. v. 8. 11. *Nam eſt amicus tempore ſuo, qui non permanet die afflictionis tuæ. Sed rebus ſecundis erit tanquam tu, & in familiares tuos utetur libertate: ſin deprimeris, contra te ſtabit, & à facie tua occultabitur.* (3.) *Societas in honoribus, rebus tum* ſecundis, *tum* adverſis. Qui enim ſimul fecere naufra-

2. *Specialiter* & tunc cauſa procreatrix eſt.

1. Primaria, quæ (1.) *ipſa natura*. (2.) *Æqualitas.*

(3.) *Converſatio.*

(4.) *Propinquitas.*

2. Secundaria, quę (1.) *Jucũditas.*

(2.) *Utilitas.*

(3.) *Societas.*

naufragium, facilè amant invicem. II. *Finis*, *qui* duplex constitui potest. 1. *Intermedius & subordinatus*, *qui* ad ulteriorem tendit, estq; h. l. *amici salus & utilitas*, ob quam in omni amicitia non tua, sed amici causa, benefacias, ipsi tribuendo, quod illi debetur. *Dico notanter* te benefacere debere amico tribuendo, quod illi debetur, quia non omnia simpliciter & temerè amici gratia sunt facienda, quia aliàs sæpè contrà honestatem & prudentiam peccaretur. v. g. Si amicus, magnis febribus æstuans, gelidæ potum aquæ deposceret, quem tamen Medicus peritus prohiberet, tu certè nihil contra veræ amicitiæ jus faceres, si ipsi potum illum denegares, cum de ejus salute hîc agatur, quam melius intelligit Medicus, quam ipse ægrotus æstuans. Et licet per potionem aquæ frigidæ aliquantisper relevari posset amicus, multò tamen graviùs postea vehementiusq; afflictaretur. *Nec obstat* axioma tritum: *Amicorum idem est velle & nolle, quoniam illud intelligendum est de justo & licito tum* objecto, *tum* fine, quia amicis quidem gratificandum, sed sine impietate & scelere, vide disput. 8. th. 9. Prolixiorem Canonis hujus explicationem si expetis benevole lector, proximè illam tibi exhibebo in tractatu meo Axiomatico. Ex eodem hoc fine Amicitiæ *Ethici* ulterius *disputant, an amico benefactori gratificandum & dilargiendum, an verò potiùs creditori reddendum debitū.* v. g. Sit redemtus quis à prædonibus, ita ut qui ipsum redemerit, obsidem se dederit, atq; ita redimendus vicissim sit certâ pecuniæ summâ. Ast idem, qui redemtus est, alteri cuiquam debeat, qui solutionem poscat & flagitet. Facere utrumq; non potest, sed si redimat amicum obsidem, carendum omninò erit creditori, vel si satisfaciendum creditori, amicum redimere nullo modo licebit. Jam quæritur, utrum rectiùs ille faciet? *Respondeo, simpliciter si hi casus considerentur*, utriusq; omissio illegitima erit, *si* tamen considerentur *comparatè & in collatione mutua*, ita ut summè necessarium sit, maximeq; honestum, amico obsidi eâ pecuniâ succurrere, tunc *ex duobus malis minus*

(II.) Finis 1. Intermedius.

NB.

NB.

eligendum censeo, h. e. succurrendum potiùs puto amico obsidi (nisi specialiores obstent circumstanti æ, quæ totum actum variant) quia istius redemtionis omissio censetur periculosior & gravior omissione solutionis debiti. Nam licet utrobiq; aliàs violetur *tum* gratitudo *tum* fides seu promissio data, tamen ibi de salute & vita amici obsidis agitur, hic autem saltem de pecuniæ jactura. 2. *Ultimus*, ad quem intermedius ille tendit, *quiq;* h. l. *est felicitas politica seu civilis*. Cum enim Amicitia in societate hominum consistat, omnes v. societates reliquæ referantur ad Politicam seu civilem, tanquam ad ultimam & perfectissimam, certè eodem & amicitia reducetur, ita ut Amico propterea & benevelim & benefaciam, ut civilis felicitas *tum* conservetur, *tum* foveatur & ornetur.

2. Ultimus

(IV.) Munera seu Officia, *quæ considerantur.*

X. *Officia seu munera Amicitiæ considerantur* duplicíter. *I. Generaliter, & tunc vir bonus amicis ipsorum gratia velit & faciat, quod sibi velit & faciat, cum amicus sit alter ipse.* Quantum igitur Vir bonus seipsum amat, tantum & amare amicum oportet. Amat autem seipsum maximè, ita ut sibi bona velit, & cumprimis benefaciat, quare idem amico faciet & optabit. Ut autem intelligas, qua ratione Vir bonus seipsum maximè amet, sibiq; maximè benè velit & faciat, *notes velim, quod duplex* aliàs detur *φιλαυτία seu Amor sui. 1. Apparens & in malis*, qua quis ita semetipsum amat, ut plus sibi de pecunijs, corporis voluptatibus & præsertim honoribus tribuat, quàm decet. Hæc vitiosa est, & in Virum bonum non cadit, quia ille amor est vanus & inhonestus, quo quis nimium indulget suis affectibus in expetendis voluptatibus, & bonis externis.

1. Genera liter.

1.

2. Hæc autem vulgò *φιλαυτία* vocari solet. 2. *Vera & in bonis*, qua quis præ alijs justa, vel ea, quæ sunt hominis virtuosi, agere studet, sibique honesta maximè vendicat & usurpat. Hæc *φιλαυτία* honesta est, & non reprehensibilis, cum pulcerrima & optima, quæ hominem maximè perficiunt, expetat. Unde hæc *φιλαυτία* in Virum bonum omni-

omninò cadit, juxta effatum Dd. Scholasticorum, qui ajunt: *Charitatem incipere a seipso, & desinere in proximo*, quia in bonis & licitis proximus egomet mihi, & tunica pallio propior, genuque surâ. Hinc juxta posteriorem φιλανθρωπίαν Vir bonus vult se esse, & quidem salvum ac beatum, quod cum absque animi virtute non possit, huic potissimum studet, utque animus eâ perficiatur, operam dat. II. *Specialiter, & tunc* juxta Clariss. Horn. dis. Eth. 9. th. 27. seq. *triplex* præcipuè *munus Amicitiæ* statuitur, 1. εὔνοια *seu actualis benevolentia*, quæ est appetitus boni pro eo, quem amamus. Unde benevolus alteri bona optat. 2. ὁμόνοια *seu concordia*, quæ est consensus inter notos de rebus utilibus & actionem concernentibus. Hanc in amicitia requiri, patet ex illo Terentij: *Idem velle & idem nolle, ea demum firma est amicitia. Ubi nota concordiam ab* ὁμοδοξία *seu consensu doctrinali differre dupliciter, vid. ratione* (1.) *subjectorum*, quia ὁμόνοια seu concordia est inter notos, & quidem eos, qui amicitiam vel actualiter colunt, *vel* colere possunt. Ast ὁμοδοξία potest etiam esse inter ignotos & inimicos quandoque, qui tamen idem statuere de re aliqua possunt. (2.) *objectorum*, quia ὁμόνοια est de rebus activis & Practicis, seu quæ actionem concernunt, quales sint res gerendæ, quæ spectant utilitatem *vel* publicam, *vel* privatam eorum, qui concordes sunt; *Contrà* ὁμοδοξία est de rebus speculativis (utpote cœlestibus, & hujusmodi alijs,) non cadentibus sub actionem. Ex hisce *patet* posse amicos diversum quid in disputationibus & scientijs sentire, ut tamen amicitiam integram foveant, juxta illud tritum:

Non eadem sentire bonos de rebus ijsdem
Incolumi licuit semper amicitia.

2. Specialiter & *tunc est* 1. Actualis benevolentia. 2. Cõcordia.

I.

2.

3. εὐεργεσία *seu Beneficentia*, quæ est ipse amationis actus secundus, quo erga alios amorem & voluntatem nostram reipsa ac factis declaramus, atque ostendimus. *Ad*

3. Beneficentia.

hanc Beneficentiam *pertinet etiam officiorum commutatio & bonorum communio*, juxta illud tritum : *Amicorum bona sunt communia, scil:* (1.) *ratione* (*non κτήσεως seu possessionis, sed*) *χρήσεως seu usurpationis*, quia amicitiæ perpetuus comes statuitur εὐεργεσία, qua bonis suis omnibus, quibus potest modis, prodest amico. (2.) *quoad modum legitimum*, h. e. *extra damnum & dedecus ipsius possidentis*, ita ut ista communitas virtute & amicitia terminetur, quæ non patitur *vel* contra voluntatem amici, *vel* in ipsius dedecus infamiam & damnum quicquam moliri quemquam Non igitur per axioma præsens tibi conceditur rapere amico proventus agrorum, pecudes aut quascunque opes alias, etiamsi alias tibi horum omnium usus honestus & legitimus concedi possit bona cum pace ipsius possessoris veri. Uberiorem hujus axiomatis explicationem Deo auxiliante in tractatu meo axiomatico tradam. *Hic* autem coronidis loco *observes velim rationem, ob quam benefactores impensius plerunq; amant suos beneficiarios triplicem constitui*

1. ab Ethicis. 1. *Beneficij dependentiam à benefactore*, qua beneficium opus est benefacientis. *Unusquisq; autem id maximè*

(1.) *amat, quod opus ipsius est, ceu patet exemplo.* (1.) *artificis*,

(2.) qui longè effusius effecta opera amat, quam hæc, si forsan inciperent amari, dilectura essent suum effectorem. (2.) *Poetæ* qui supra modum diligit Poemata sua. Cum itaque

2. beneficiarius, quà talis, sit opus benefactoris, ille propter illam dependentiam ab hoc impensius amatur. 2. *Majorem durationem honestæ beneficientiæ*, ex qua benefactor voluptatem singularem capit, quia honestius est beneficium conferre, quam accipere; contra perit brevi utilitas & voluptas, quam ex beneficio percipit beneficiarius, seu

3. is, in quem confertur. 3. *Laboriosiorem acquisitionem*, juxta quam cum labore conjunctum est benefacere, non item beneficium accipere: diligimus autem unumquodque id impensius, quò majori nobis labore constitit.

(V.) *Circumstãtia temporis.* XI. *Circumstantia temporis* in Amicitia *dupliciter considerari potest* vid. *ratione I. Acquisitionis & vocationis*,

Ratione 1. Acquisitionis. *juxta*

juxta quam Amici acquiri debent & parari in secundis nostris potiùs rebus, quam in adversis. 1. quia minimè convenit velle eos tunc malorum nostrorum participes fieri. 2. quia viri constantis est, non dolere nimium, nedum dolere multum suâ causâ alios velle. *Si enim id non inest, quod magis inesse videtur, nec illud inerit, quod minus inesse videtur.* Unde licet in adversis maximè amicis indigeas, ut illorum *vel* ope *vel* certè conspectu & alloquio subleveris, nihilominus tamen vocandi tum & faciendi sunt tardè, promptè vero cum melior rerum facies apparuerit. Contrà autem res se habet, si non vocare ad te amicos velis, sed ipse ad eos accedere; tum enim promtè ad calamitosos ibis, ut hos juves rectius, tardè ad fortunatos, ne beneficium expectare videaris. *II. Usurpationis, juxta quam amicis,* antea jam acquisitis, *uti poteris in utraq; fortuna.* 1. *Secunda,* ut habeas in quos virtutem exerceas, & cum quibus prosperitatem tuam communices. 2. *Adversa,* ut tibi prosint consilio & auxilio, in rebus enim adversis amicita vera sese maximè in actum exerit.

1.
2.
NB.
2. Usurpationis.
1.
2.

XII. Distributio Amicitiæ *potest instituì* dupliciter vid: *ratione I. objecti amabilis analogati. II. Subjecti.*

(VI.) Distributio, ratione.

XIII. Juxta objectum amabile analogatum Amicitia dividitur in species (non perfectè univocas, sed) *analogas,* ita ut amicitia, tanquam analogus conceptus latior, ipsis competat inæqualiter, seu secundum magis & minus, ob quam causam præsens divisio est analogi in sua analogata. *Unde Amicitia ratione hujus objecti amabilis analogati duplex constituitur. I. Perfecta & propriè dicta,* quæ est proborum hominum benevolentia mutua, conspicua, confirmata & constans, ex probitatis cognitione consurgens, & ad vitæ honestæ conjunctionem perducens. Hæc definitio desumta est *partim* à subjectis, *partim* ab affectionibus, *partim* à causis, quæ omnia distinctè enodentur. Unde *de Amicitia hac Perfecta & Honesta hic breviter notentur.* (1.) *Subjecta* in quibus, & inter quæ Amicitia hæc datur, *quæq; h. l. sunt homines probi, qui hic considerari possunt, ratione 1.*

(I.) Objecti, & tùc Amicitia est.

1. *Perfecta* cujus notetur.

1. Subjectū, quod considerētur ratione.

Quali

(1.) Qualitatis. 1. *Qualitatis, & tunc homines,* amicitiam hanc honestam contrahentes, *sint (1.) Boni & Probi,* quippe qui soli amicitiæ veræ fructum constituunt, & sibi amicitiam ipsam proponunt, quia causa cur se mutuo diligant, non nisi in ipsis est, vid. virtutis similitudo. Ut autem hæc bonitas alterius, & virtutis similitudo, tibi innotescat, multos modios salis cum eo devores, antequam in amicitiam adsciscas, quia prius explorare oportet, an alter tuo amore dignus sit, & an tutò ipsi fidere possis, cum in animis hominum multæ sint latebræ, multi recessus, ut loquitur Cic. in or. pro Marcell. 2. *(2.) Dignitate & studiis aliqualiter æquales, & pares suo modo.* Unde & illud Epicharmi: Constat in hoc nervo sapientia fidere nulli, aut si vis ulli fidere fide pari. Si enim summa oriatur inæqualitas, & amicus fiat nimis potens, aut ascendat ad summum honoris fastigium, non poteris facilè eo, quo antea, modo cum eo conversari. (2.) Quantitatis discretæ. 2. *Quantitatis discretæ seu Numeri, & tunc amici adsciscendi sunt pauci, non multi.* Ut enim fluvius, in multos deductus rivos, fluit tenuis & langvidus; sic benevolentia & amicitia, in multos distracta, langvescit. Unde 1. *multitudo in amicitia honesta non admittitur (1.) ob officia amicitiæ,* quæ sunt moribus similem se præbere, alteriqve placere & consentire. Ast multis, quandoque dissentientibus & litigantibus, simul se similem præbere & consentire qui studet, is tandem nemini placet, neminiqve amicus est, quia fieri non potest, ut cum multis simul ex animo doleamus & lætemur. Unde notetur exemplum elegans Plutarchi: Si ex multis, inquit, unus roget ad cœnam, alius ad iter, alius ad funus, alius ut in foro sibi sit advocatus, alius ad nuptias, &c. quis par his omnibus eodem tempore esse posset. 2. *(2.) Ob modum explorandi alicujus mentem & mores,* qui requirit tempus diuturnum. Ast plurium mentes & mores explorare difficulter possumus. 3. *(3.) Ob paucitatem bonorum,* qui in honesta amicitia requiruntur. 4. *(4.) A majori,* h. m. Non potest quis inservire multis in amicitia *neq;* jucunda, quia jucundum non est quic-

quicquam, nisi quod paucum, cum satietas rerum etiam jucundissimarum facilè quemq; capiat, si plusculum earum possideat, non minus atq; condimentorum in cibis solet esse fastidium, si nimia sint: *neq;* utili, quia multis & omnibus, à quibus benefactũ tibi est, simul non potes æquè referre beneficia, estq; idipsum tuis facultatibus detrimentosum. E. multòminus quis inservire poterit multis in amicitia honesta, quippe quæ duntaxat à viris bonis colitur. *Ratio* sequelæ patet ex canone Logico: *Si illi, cui magis inesse videtur, non inest, neque illi inest, cui minus inesse videtur. Paucitas* autem *illa* amicorum *exactè determinari nequit, sed æstimari potissimum debet tum* ex conversationis commoditate, *tum* ex mutua officiorum communicatione. *(II.) Affectiones, quæ* sunt *1. Raritas & difficultas, juxta quam Amicitia Honesta est difficilis & rara (1.) ob difficilem & prolixã explorationem,* qua longo demum tempore alterius cõstantem mentẽ & mores perfectè cognoscis, cum φανερῶς quandoq; mores ex adulterina & falsa causa proficiscí possint. Quare tempus diuturnum requiritur, quo constantiam in verbis & factis alterius observes, quia prius in amicitiam recipere quemq; non oportet, quam dignus ea esse perspectus fuerit. *(2.) Ob paucitatem bonorum*, quibus honestum curæ & cordi est, quiq; in hac Amicitia requiruntur. Quare pauca hujus Amicitiæ exempla referuntur, qualia sunt *(1.)* Pyladis & Orestis. *(2.)* Herculis & Thesei apud Plutarchum. *(3.)* apud eundem Thesei & Pirithoi, cum quo jurejurando confirmavit amicitiam, quæ nunquam divelli potuit. Quocirca à Poetis fingitur unà cum illo ad inferos descendisse ad rapiendam Proserpinam. *(4.)* Davidis & Jonathanis 1. Sam. 20. Plura exempla vide apud Plutarch. in apoph. 2 *Stabilitas & Firmitas*, cum à virtute proficiscatur, re stabili. Unde neq; viri boni turpe aliquid, quod amicitiã dissolvat, patrant, neq; tale quid postulant ab aliis, quod in aliis societatibus facilè contingit. Unde amicitia inter pocula cõtracta vitrea, & fragilis est, quia ibi neq; deliberatio, neq; consultatio locum habet, neque exploratio prudens

NB.

2. Affect. 2, quæ *(1.) Raritas & difficultar.* 1.

2.

(2.) Firmitas.

mentis & morum alterius. Vide contra hanc madidam fraternitatem Rev. & Excel. Dn. D. Jac. Mart. de S. Bono disp. 13. q. 3. *3. Utilitas*, qua amici isti sibi invicem usui sunt ad res quasq; pulcerrimas gerendas. 4. *Jucunditas*, quia virtute nihil est jucundius, neq; solida alia voluptas hominis, nisi quæ ex virtutis actione percipitur. 5. *Perfectio, qua Amicitia hæc honesta perfecta* dicitur *in sensu* duplici (*1.*) *Absoluto, quo perfecta dicitur ratione tum subjectorum*, quia est inter verè bonos, qui sunt perfecti moraliter. Unde hi amici benè sibi inter se volunt per se & propter semetipsos tantum, ideò vid. quia boni sunt; *tum causæ*, quia oritur à virtute, quæ bona. (*2.*) *Comparato*, quo Amicitia hæc præter honestatem includit & utilitatem & jucunditatē, quod reliquæ imperfectæ species non faciūt, quippe quæ non includunt omnia amabilia. (*III.*) *Causæ*, & quidem *1. Efficiens*, quæ est probitatis cognitio, quippe ex qua proficiscūtur omnes actiones, quibus amicitia constituitur & conservatur. 2. *Finis*, qui est genuinum exercitium veræ honestatis in vita humana. *II. Imperfecta & impropriè dicta, in qua amici amātur (non per se*, quia alter alteri bona, quę vult, non ea causa vult, quia amet, *sed) per accidens*, vid. propter *tum* utilitatem, *tum* jucunditatem, quam capere quis cupit. Unde amicitię nomen his speciebus competit tanquam minus principalibus analogatis, quippe quæ amicitiæ denominantur saltem per similitudinem & convenientiam cum perfecta amicitia, quoad 1. mutuum amorem manifestum, qui in omnibus amicitiæ speciebus datur, licet non æq; perfectè. 2. Objectum amabile, quod in omni amicitia attenditur, quia amorem excitare potest. Unde in generali amicitiæ ratione conveniunt, licet inæqualiter & analogicè saltem. *Constituitur a. Amicitia hæc imperfecta duplex. 1. Utilis*, quæ solius commodi ardore & perceptione constituitur. *Hæc* locum *potißimùm* habet *in senibus, & iis, qui senili vitio* h. e. avaritia, *laborantes* omnia ad quæstum referunt, *estq; duplex. 1. Legitima* seu *Legalis*, in qua fit officiorum & beneficiorum compensatio ex antecedente pa-

(3.) *Utilitas.*
(4.) *Jucūditas.*
(5.) *Perfectio.*
in sensu.
(1.) Absoluto.
(2.) Comparatio.
3. Causæ.
(1.) *Efficiēs*
(2.) *Finis.*
2. *Imperfecta.* quæ
1. Utilis, quæ.
(1.) *Legalis*, quæ

te pacto & remunerando compromisso. *Unde hæc* pactis conventis constat, estq; *rursus duplex.* (1.) *Stricta & mercatoria* q., in qua fit compensatio statim, & de manu, quod ajunt, in manum, ceu fieri solet inter ementes & vendentes. Unde sordida censetur hæc compensatio. (2.) *Liberalior paullò*, in qua retributio *vel* permittitur alterius fidei & integritati, *vel* in aliud tempus differtur Benevolentiæ causa. 2. *Moralis*, in qua fit retributio, non ex aliquo pacto, sed ex amici utriusq; benevolentia & arbitrio secundum morem & consuetudinem communem, quam ratio & naturalis æquitas præscribit. Ubi tamē *notes velim morale sumi dupliciter.* (1.) *Latè*, prout circa hominum mores occupatur, & sic legitimum quoq; includit, quia eo sensu etiam leges divinæ morales dicuntur. (2.) *Strictè*, prout sumitur pro consuetudinario, & sic opponitur legali, quippe quod est limitatum quid & certo pacto ac lege munitum. Unde hæc Aristotelica l. 8. Eth. c. 13. distributio amicitiæ utilis in legalem & moralem facta est ad imitationem justi, quod est vel scriptum & determinatum, vel non scriptum seu consuetudinarium. (*II.*) *Delectabilis & jucunda*, quam voluptatis & delectationis fruitio constituit. *Hæc in adolescentibus potissimū* datur, quippe qui plerunq; secundum affectus vivūt, omnesq; suas actiones voluptate metiuntur, unde & hæc amicitia instabilis cēsetur propter juvenum instabiles affectus & mores.

XIV. Juxta subjecta, seu Personas Amicitiam contrahentes, *dividi potest Amicitia ratione ipsarum personarum. I. Conditionis ac status diversi, & sic Amicitia est inter* 1. *Æquales*, qui moribus, ætate, dignitate, aliisq; bonis sibi æquales sunt, unde & æqualia officia sibi invicem præstare possunt. 2. *Inæquales*, qui impares & inæquales sunt, ita ut alter altero sit superior *vel* dignitate, *vel ætate*, unde *duplex* potissimum *imparitas* ab Ethicis enumeratur, vid: *ratione* (1.) *Ætatis*, ut est amicitia inter senem & juvenem; patrem & filium; præceptorem & discipulum. (2.) *Dignitatis seu imperij*, ut est amicitia inter Magistratum & subditum. *II. Societatis diversæ, juxta quam Amicitia est* (*I.*) *Privata*, *quæ* est inter homines, prout privatam degunt vi-

(1) Stricta

(2.) Liberalior.

(2.) *Moralis.*

1.

2.

2. Jucūda.

(II.) Subjecti ratione diversi.

1. *Status atque conditionis.*

1.

2.

(1.)

(2.)

2. *Societatis*, & tūc Amicitia est 1. Privata, quæ

(2) Cõsuetudinaria

(2.) Cõsanguinea.

1.

2.

3.

(3.) Connubialis.

1.

2.

2. Publica

II Respectiva. in collatio.

(I.) Cum causi de struẽtibus.

quæ

Decretę

1.

2.

(1.)

tam, & *constitui potest* rursus *triplex*. 1. *Consuetudinaria*. quæ ex humana præelectione contrahitur propter consuetudinẽ, studiorum & ætatis similitudinem, ut & societatẽ in honoribus, in rebus tum secundis, tum adversis. 2. *Consanguinea*, *quæ* ex sanguinis cognatione nascitur, estq; (1.) πατρικὴ, quæ est inter parentes & liberos, quos unit liberorum à parentibus dependentia & productio. (2.) Ἀδελφικὴ, quæ est inter fratres, simul & sorores. Has personas unit *tum* identitas qua in patre unum sunt & idem, quoniam ejusdem cum parentibus sunt essentiæ; *tum* communis educatio & ætatis æqualitas. 3. συγγενικὴ, quæ est inter agnatos & cognatos, quos similiter unit sanguinis conjunctio. 3. *Connubialis seu Matrimonialis*, *quæ* propter matrimonium & nuptias inter aliquos est instituta. Hęc rursus duplex. (1.) *Primaria seu conjugalis*, quæ est inter maritum & uxorem ob conjugij unitatem & necessitatem. (2.) *Secundaria & ratione* Affinitatis, quæ inter affines colitur, & ex nuptiis atq; amicitia conjugali pendet atq; derivatur. (II.) *Publica seu Politica*, quæ in diversis Rerump. formis habetur, de quibus in Politicis fusius. Ad hujus Politicæ societatis finem, vid. ad communem & publicam civitatis felicitatem, referri debent omnes privatæ societates, tanquam ad finem architectonicum & principalem.

XV. Sequitur jam *Respectiva* Amicitiæ *consideratio*, *in qua* instituitur ejus *collatio* I. *cum causis destruentibus* seu Amicitiã contractam dissolventibus. II. *cum oppositis extremis*. III. *cum Justitia*.

XVI. Causæ destruentes constituuntur *duplices*. I. *Directæ*, per quas Amicitia directè evertitur, *suntq;* (I.) *Generalis & Communis*, *quæ* est *Inæqualitas redamationis & candoris*, quando æqualis utrinq; non est redamatio, sed alter quidem vehementer & assiduè amat, alter a. deficit, imò fraudem & dolum quandoq; substituit. (II.) *Specialis*, & quidem *in Amicitia I. Imperfecta*, vid. utili & jucunda, *in qua causa destruens est defectus retributionis*, quando non est mutua voluptatis & commodi fruitio, tunc n. querelæ suboriri solent, præsertim in amicitia utili morali.

Reme-

Remedium, quo hujusmodi querelis occurritur, est retributio, qua oblatum beneficium vel voluptas redditur & compensatur. Ut a. legitimè hæc retributio instituatur, mensura attendatur, qua beneficij oblati dignitas & quantitas mensuranda est, quæ in amicitia morali potissimum est (non voluptas & beneficentia dantis, sed) utilitas accipientis seu ejus, qui accepit, ita ut tantum fuerit beneficium, quantum eo illi commodatum est: quare & tantundem quoq; reddendum erit. *Dixi notanter* hanc mensuram potissimùm observandam esse in amicitia morali, quia in amicitia legali, quæ pactis conventis constat, aliter se res habet, tunc n. quia beneficium conferens pactum fecit, jam ipse beneficium æstimavit. *Potest* a. *illa Retributio esse vel parilis*, quando ij, qui pares sunt, par pari referunt; *Vel imparilis*, quando inter impares fit retributio, ita ut is, qui plus beneficij accipit, plus observet & colat alterum, sic enim servabitur æqualitas adeoque & amicitia. 2. *Perfecta seu Honesta*, in qua causa destruens est Virtutis abjectio & defectus. Licet n. in hujusmodi amicitia querelæ non facilè nascantur, ita ut non facilè dissolvi possit, quia illa amicitia est inter bonos, si tamen contingat ut dissolvatur, tunc ejus causa est Virtutis abjectio, & absentia, qua *vel* improbus, seu qui pravis moribus est, res ita celat, ut à viro bono in amicitiam adsciscatur; *vel* probus resipiscentiam denegat, ita, ut, qui vir bonus antea perspectus fuerit, in vitia tantoperè prolabatur, ut redire ad saniorem mentem non velit, licet tuo auxilio & monitis pedem inde referre possit. *II. Indirectæ*, quæ indirectè amicitiam tollunt, ut sunt. 1. *Defectus animi & corporis graviores.* v. g. Dementia, cœcitas, surditas &c. 2. *Inæqualitas dignitatis plenaria*, ob quam non semper probant eadem, neque iisdem delectantur aut offenduntur, ita ut sæpè non possint commodè ampliùs conversari. 3. *Negatio convictus ob distantiam locorum, & diuturnum silentium.* Adjeci notanter diuturnum silentium, quia aliàs utile admodum sæpè est, absentes amicos in aliis locis possidere, ut per illos negocia & opera nostra perficere possimus. Un-

NB.

(2)

2. Indirectæ.

1.

2.

3.

de quò diuturnior est ista absentia & silentium, eò magis non usum tantum amicitiæ impedit, sed & ipsam Amicitiam extinguit, licet indirectè & per accidens saltem.

(II.) Cum oppositis extremis, quæ peccant.

XVII. Extrema opposita constituuntur *duplicia*, vid: *peccantia. I. In Excessu, ut* πολυφιλία, qua quis quosvis sine discrimine, adeoq; multos sibi eligit amicos. Hæc πολυφιλία pernicios est, *tum* quia amicorum officium distrahit, eorumq; vim enervat, *tum* quia omnibus eodem tempore in diversis gratificari impossibile, vide th. 13. Propendent autem ad hoc vitium juvenes potissimùm, quippe qui non tantum conversationem impensius amant, sed & faciliùs sese mutuò oblectant.

1. In Excelsu.

2. In Defectu.

II. In defectu, ut Ἀφιλία, quæ est omnis amicitiæ negatio & aversatio. Ad hoc vitium procliviores sunt senes. 1. Ob majorem solitudinem, qua recessibus magis, quàm conversationibus gaudent. 2. Ob morositatem majorem, ob quam potiùs crebris suis objurgationibus & stomachationibus alios offendunt, eosq; ab amicitia sua arcent, quàm oblectant. Ob quæ extrema Amicitia virtuti censetur similis, ita ut sit affectus animi congruenter munere verarum virtutum moralium, & cumprimis justitiæ, formatus.

VOLUPTATIS.

XVIII. Sequitur jam VOLUPTAS, quam secundum Effectum Summi Boni immediatum vocavi, disput. 2. thes. 38. quia voluptas animi Summi Boni perpetuus est comes, dum actiones virtutum non solum suâ naturâ, sed etiam viro bono sunt jucundæ, quatenus in iis se oblectat adeò, ut non opus habeat aliâ quadam aliunde accersitâ voluptate. Cum autem & in disp. 5. & 7. similiter quædam de voluptate enodanda proposuerim, consultum duxi, generalem Voluptatis delineationem hic exhibere, in qua quatuor potissimùm considerentur, vid. Voluptatis. I. Definitio. II. Affectio. III. Divisio. IV. Oppositio.

I. Definitio in qua cõceptus.

XIX. Definitio hæc traditur ab Aristotele lib. 7. Eth. Nicom. c. 13. *Voluptas est operatio non impedita, promanans ab habitu, qui est secundum naturam. Hæc* Ethica descriptio Aristo-

Aristotelica *resolubilis* est *in conceptum. I. Latiorem* qui est operatio, quat. enim ἐνέργεια non est impedita, sed libera, eatenus jucunda & voluptuosa rectè denominatur, quemadmodum eadem dicitur bona, quat. est naturæ conveniens. Ubi notes velim, quod perturbationum principia vel comites sint voluptas & Dolor juxta Piccol. gr. 1. cap. 16. 17. *Voluptas enim duobus considerari potest modis. (1.) in adeptione, possessione, & fine, & sic* tanquam *consequens* amorem sequitur, eumque cum omnibus ad illum attinentibus perficit, ceu testatur ipsa experientia, dum is, qui re amata fruitur ob amorem maxima voluptate afficitur. *(2.) in origine amoris, & tunc* accipitur pro ea voluptate, quæ consurgit ex objecti & boni accommodati cognitione, estque *fons & principium amoris.* Diverso itaque respectu Voluptas amoris & principium, & comes est. *II. Strictiorem, qui desumitur. 1. ab adjuncta affectione, secundum quam voluptas sit* operatio *non impedita, sed libera*, quia illa ἐνέργεια, quat. fit liberè & sine impedimento, est jucunda & voluptuosa vel ipsa voluptas. Hinc quando ex adspectu pulchræ picturæ sanus aliquis capit voluptatem, ægrotus nullam, fit indè quod in sano sit operatio libera, in ægro non. Nam ἐνέργεια, illa, qua intuetur uterque picturam, quamque sequi debet voluptas, non consistit duntaxat in externo adspectu, verum & in interno judicio, quod interiores sensus sequitur, qui tamen in ægroto impediti & q. ligati sunt per morbum. 2. *à causa*, vid: habitu, qui secundum naturam: vide Rev. & Excel. Dn D. Jac. Mart. dis. 7. q. 2.

1. Latior.

(1.)

(2.)

2. Strictior.

1.

2.

XX. Affectio Voluptatis statui potest *duplex. I. Bonitas*, secundam quam Voluptas pura, seu præcisè in se considerata, censetur bona, ceu patet inductione voluptatis. 1. ejus, quæ ex rerum contemplatione consurgit. 2. ejus, quæ pertinet ad actiones sensuum & memoriam. 3. ejus, quæ ex actione secundum virtutem consurgit. vide Piccol. gr. 9. c. 15. Unde voluptas in natura sua & propriæ essentiæ puritate censetur bona, licet aliàs contingenter, & in quibusdam parti-

II. Affectio, quæ 1. Bonitas

2. Gradualis mutatio.
NB.

particularibus conditionibus posſit fieri mala. *II. Gradualis intenſio & remiſſio*, ſecundum quam Voluptas eſt *vel* major, *vel* minor, prout ipſa operatio eſt intenſior vel remiſſior. Unde & novæ res delectant magis, quàm eæ, quibus jam ad ſuevimus: circa illas enim operatio eſt intenſior, circa has v. jam elanguit.

III. Diviſio. I.

XXI. Diviſio Voluptatis *conſiderari poteſt. I. Generaliter, quoad mutuam diſcrepantiam ſpecificam*, juxta quam ſpecies ejus ſpecie differunt. 1. quia perficiunt operationes ſpecie diverſas. 2. quia una aliam ſæpè obſcurat & imminuit, imò excludit. vide gratia brevitatis plura ap. Clar. Horn. diſ. Eth. 10. th. 26. *II. Specialiter, quoad ſpecialem enodationem*, juxta quam voluptas eſt. 1. *ratione ſubjecti* eſt *vel* animi, *vel* Corporis. vide diſ. 7 th. 7. 2. *ratione affectionis* eſt *vel* Neceſſaria, quæ pertinet ad conſervationem vel individui ut in cibo & potu vel ſpeciei ut in actu venereo; *vel* non Neceſſaria ita, ut quæ ex honoribus & ſimilibus provenit. Plures ſpecies voluptatis ſi expetis, lege gratiâ brevitatis Rev. & Excel. Dn. D. Jac. Martini diſ. de S. B. 7 th. 2. ſeq.

2. (1.) (2.)

IV. Oppoſitio.

XXII. Oppoſitio reſpicit oppoſitum Voluptatis, *quod* eſt *Dolor*, quæ notat privationem jucundæ & cupitæ voluptatis. Cum autem oppoſitorum eadem ſit ratio, doloris conſideratio facilè ex voluptatis enodatione patebit. Quare hic pedem figam, Deo gratias agens, quod ejus auſpicio & ſubſidio generalem hanc Philoſophicæ Practicæ partem abſolverim, cujus fructum ut ex hoc labore percipiat quiſque, faxit æquus ille ævi arbiter, quod animitus & calide voveo.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0460
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746593341/phys_0464
DFG

quid vel agendum vel sustinendum; ut sunt
capti, pueri, viduæ, omni humano præsi-
bes, & egeni. (2.) *Indignè & præter Meritum*
dignè, & ex vi justitiæ mala contingunt, ibi
s non est. Unde nemo mentis compos,
litoris, & similium nebulonum supplicium,
misericordiâ commovetur. 4. *Oppositum*
Excessu, ut nimia Misericordia, qua etiam
pœnæ subijcit, cupimus exceptos à pœna
mmanitas, seu Immisericordia, qua aliorum
r, nec ijs cupimus opitulari. *II. Acquisita*,
comparata, quæ secundum magis dicitur
hæc vox ipsi magis propriè, & secundum
competit. *Hæc* rursus *triplex* à nonnullis
tinentia. 2. Tolerantia. 3. Obedientia. de sin-

4. Oppositum.
1.
2.
II. Acquisita qua.

nentia notetur Consideratio. I. Nominalis, quæ
juxta quam Continentia derivatur à Con-
tat invitum & repugnantem quasi tenere,
adhuc datur pugna quædam affectuum,
gnantium, unde ipsi refrænandi sunt.
iuxta quam Continentia absolutè sumpta
lterius alioq; termini, V. G. Honoris, lu-
citer *supponitur*. 1. *Perfectè pro habitu perfe*
quidem (1) *Totali*, hoc est, pro tota Tem-
circa alimentum & Venerem, adeoq; pro
titate. (2) *Speciali, & partiali*, pro sola Ca-
cies Temperantiæ, juxta disp. 7. Neutra
tinet, quia hîc agitur non de Virtute, qua-
, sed semivirtute saltem, & habitu Imper-
ctè, pro habitu imperfecto, quo bonum &
mentis eligimus, sed cum pugna interna
oco accipitur. Idem judica de Incontinen-
ua ejus notetur. 1. *Definitio.* 2. *Objectum.*

(1.) *Continentia cujus consideratio.*
1. Nominalis *in qua.*
1. *Notatio.*
2. *Æquivocatio.*
1.
(1.)
(2.)
2. Realis *in qua.*
1. *Definitio*

hæc esto. *Continentia est dispositio proba*